CATHOLIC BOOK AGENCY
PIAZZA PONTE S. ANGELO, 28
ROME (ITALY)

COMPENDIUM

PETRI AUREOLI

COMPENDIUM

SENSUS LITTERALIS TOTIUS DIVINAE SCRIPTURAE

A CL. THEOLOGO

FR. PETRO AUREOLI ORD. MIN.

ARCHIEPISCOPO AQUENSI

UNIVERSITATIS PARISIENSIS OLIM PROFESSORE

DOCTORE FACUNDO

NOVISSIME IN LUCEM EDITUM

A FR. PHILIBERTO SEEBOECK EIUSDEM ORD. ALUMNO

S. THEOLOGIAE LECTORE

ALMA COLLEGE
208.7
LIBRARY
A0645
Alma, California

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
EX TYP. COLL. S. BONAVENTURAE

1896.

26792

« Neque enim vel syllaba vel apiculus est in s. litteris, in cuius profundo non sit grandis quispiam thesaurus ».

S. Chrys. in Gen. hom. 21. n. 1.

REVMO AC COLENDISSIMO PATRI

ALOYSIO A PARMA

TOTIUS ORDINIS SERAPHICI MINISTRO GENERALI

HUNC LIBRUM DEDICAT

in Christo hum. et obed. filius ac servus

FR. PHILIBERTUS

DEDICATIO

Revme ac Colendissime Pater!

Cum sacrarum litterarum studium inter omnes disciplinas theologicas ab Ecclesia semper primum et utilissimum habitum sit, sapientiam tuam, Reverendissime Pater, minime fugit, ut, tanquam totius Ordinis nostri seraphici supremus rector, in Athenaeo nostro principali, in Collegio S. Antonii, quod Romae sub tuis auspiciis floret, hanc doctrinam fundamentalem introducendi curam gereres, quo magis « ab infantia » seraphici Ordinis nostri alumni sacras litteras addiscant, quae « possint ipsos instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Iesu, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus[1] ». Et ideo ex Concilii

[1] II. Tim. 3, 15. sq.

Trid. sensu ac voluntate cavendum esse Tibi patebat, « ne caelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus s. summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat[1] ».

Quoniam autem, augustissime Pater, ad huius doctrinae biblicae cathedram parvum meum ingenium accire benignissime voluisti, ut iuvenes ex omnibus orbis seraphici partibus illic confluentes in s. scripturarum pratum, omni sanctitatis et scientiae odore fragrans, primus Lector introducam : en ! offero benevolentiae Tuae librum ex antiquissima Ordinis nostri aetate in lucem editum, qui continet Commentaria in omnes et singulos V. et N. T. libros, compendiose acutissimo cum ingenio conscripta a cl. Theologo *Petro Aureoli,* qui Ordini nostro egregio fuit decori ac ornamento, et doctrina profunda et vitae sanctitate florens.

Non renuas, quaeso, amabilissime Pater, filii Tui donum parvulum, sed benedic benedictione seraphica, S. P. N. Francisci verus successor, huic operi, ut omne datum optimum et omne donum perfectum

---

[1] Sess. 5. cap. 1. de reform.

descendat « a Patre luminum » in animas legentium ac editoris

Suazii in Valle Oeni, in conventu S. P. N. Francisci,
die 19 Octobris 1894.

Revmae Paternitatis Tuae Digmae in Domino
hum. ac obed. servi et filii
FR. PHILIBERTI AB OENIPONTE,
Ord. Fr. Min.

PROOEMIUM EDITORIS

« *In antiquis est sapientia* ».
Iob 12, 12.

Quamvis nostra aetate probatissimorum auctorum, qui in sacras litteras Commentaria et introductiones, omnibus scientiae criticae thesauris adornatas, in lucem dederunt, copia non deesset, imo studium biblicum ex summi Pontificis Ss. D. N. Papae Leonis XIII gloriosissime hodie regnantis desiderio ac stimulo in Litteris encycl. « Providentissimus Deus » 18 Nov. 1893 addito inter s. Theologiae alumnos in dies magis efflorescerent; tamen non abs re duximus, proferre ex antiquitate Theologum, qui olim in universitate Parisiensi « doctor facundus » appellatus, sui aevi et saeculorum sequentium admirationem et obsequium praecipue in s. litteris exponendis non tantum adeptus est, sed et optime meruit.

Auctor ille celeberrimus, cuius vitam ex fontibus fide dignis infra delineavimus, *Petrus Aureoli,* Seraphici S. P. Francisci Ordinis Minorum alumnus ac Archiepiscopus Aquensis, inter alia opera theologica et hoc « Compendium » scriptum reliquit, in quo omnes et singuli s. scripturae libri divisionibus et argumentis acutissimis exponuntur, nisus semper S. Ecclesiae catholicae et SS. Patrum auctoritate.

Compendium dicitur ab ipso auctore liber iste, quia tum hermeneuticas et archaeologicas doctrinas, tum omnium s. litterarum argumenta, secundum litteralem sensum mira acrimonia divisa, concise complectitur.

Quod ex se patet, dicendum est, saeculi XIV doctorem theologum ea arte critica in indagandis textibus carere, quae hodie ratione controversiarum inter catholicos et protestantes viget; ast

nihilominus lector favens in isto « doctore facundo » non solum sententias profundissimas alibique ignotas inveniet, sed etiam artem perscrutabitur, s. litteras bene exponendi fructusque exinde permultos carpessendi.

Novam editionem quod spectat, prae oculis habui editionem Venetiis per Lazarum Soardum die XXIX Octobris MDVII impressam, quae titulum fert: « Aurea ac paene divina totius sacre pagine Commentaria compendiose edita per Clarissimum Theologum Fratrem Petrum Aureolum Seraphici Ordinis alumnum: ac Sancte Romane Ecclesie Cardinalem novissime in lucem e tenebris excerpta. Incipit feliciter ». « Cum gratia et privilegio ». In hoc igitur volumine abbreviaturas omnes complevi et ad nostram legendi rationem redegi ac paucis annotationibus auxi. Ad hanc vero editionem Venetianam, quae a non paucis textus erroribus purificanda erat, adhibui quatuor manuscripta et unum aliud incunabulum, videlicet: tres codices manuscriptos ex bibliotheca Laurentiana Florentiae, infra sub numero 1, 2 et 10 notatos; deinde incunabulum Suazense, quod etiam infra describitur, quibuscum textus comparationem feci exactam, ut ex variantibus textum meliorem probarem ac editionem, in quantum fieri potuit, correctam efficerem.

Cui operi, ut ad bonum finem dirigatur, haud pauca auxilia inveni primum Romae, ubi cl. Dr. Henricus Denifle Ord. Praed. Archivi Vaticani subpraefectus ac in scientiis theologicis medii aevi versatissimus, simulque cl. Monsig. Dr. De Waal, Collegii ad campum sanctum pro Germanis Rector, consilio et opera me adiuvarunt. Deinde etiam in nostro Collegio S. Bonaventurae ad « Claras Aquas » prope Florentiam, ubi Praefectus operis editionis S. Bonaventurae, cl. Dr. Theol. A. R. P. Ignatius Jeiler cum sociis confratribus auxilia praestitit, dum textui indagando ultimam manum imponebam. Quibus ergo lectissimis viris, tanquam discipulus suis magistris, qua par sum cum reverentia gratias hic agere velim, nil aliud in mente ferens, quam ut totum opus in maiorem Dei gloriam cedat, cuius meriti ipsi fautores et coadiutores participes fiant, sicut et lectores benigni atque omnium ultimus

Suazii in Valle Oeni, provincia Tirolensi Austriae,
Kal. Ian. MDCCCLXXXXV.

EDITOR.

COMMENDATIO THEOLOGICA

Die Herausgabe des Breviarium Bibliorum (i. e. Compendium sensus litteralis etc. a Petro Aureoli) findet nicht nur meine Billigung, sondern erregt in mir die grösste Freude. Ich meine aber zugleich, dass diese Publication überaus grossen Nutzen für junge Theologen und Priester in der Seelsorge haben wird.

Innsbruck, 20 Iuni 1893.

Dr. MATTHIAS FLUNK S. I.
Professor der Theologie an der Universität Innsbruck.

PETRUS AUREOLI DOCTOR FACUNDUS.

† 1322.

1. *Petrus Aureoli,* Ordinis Fratrum Minorum S. P. Francisci, S. Theologiae Magister, publicus academiae Parisiensis professor, provinciae Aquitaniae Minister, Archiepiscopus Aquensis, a claritate et perspicuitate ingenii dictus « doctor facundus », a Sixto Senensi appellatus « vir omnium scientiarum peritia clarissimus et singularis concionator ad summam usque admirationem » — *nomen* ipse sibi non aliud imposuit, quam « Filius indignus Frater Petrus Aureoli, Ord. Fratrum Minorum et ipse minimus [1].

---

[1] In ded. Commentarii ad sentent. Lombardi ad summ. Pontif. Ioann. XXII. vid. Katholik 1882 I. pag. 315-327, 415-426. Dr. Stanonik.

Eidem postea (1332) erronee appositum fuit cognomen « De Verberia », « né à Verberie-sur-Oise », quod alii Doctori Parisiensi ex Ordine Vallis scholarium proprium erat. Vide « Chartularium Universitatis Parisiensis » a cl. Dr. H. Denifle O. P. Parisiis, Delalain, 1891. Tom. II. p. 431. G. 981. 18. not. 1334. 2. Ian.

De nomine proprio variantes inveniuntur scriptiones: Aureolus, vel Aureoli; sed cum in regestis Vaticanis semper « Aurioli » legatur, haec forma authentica censenda est, ut Denifle recte iudicat. Retinuimus formam, quae exhibetur a codicibus florentinis.

Locus nativitatis urbs Aquitaniae *Tolosa*[1] verosimiliter de eo constare potest, testante Bartholomaeo Pisano, eiusdem Ordinis alumno, qui iam anno 1343 Aureoli vitae proximus de Provincia Aquitania scripsit: « Ista provincia Aquitania bonis praedicatoribus semper claruit et claret et habuit istum magistrum facundum Petrum Aureoli, qui luculenter scripsit super sententias, fecit compendium bibliae et plura alia. Tandem fuit archiepiscopus Aquensis[2] ».

De anno vero, quo Petrus Aureoli natus fuit, fontibus historicis antiquioribus prorsus silentibus, probabilis videtur sententia libri « Biographie Toulousaine », quae annum 1280 indicat[3].

2. Quodsi « Doctoris facundi » *vitae curriculum* persequimur, invenimus ipsum anno 1314 Parisiis praesentem ad disputationem theologicam, cui nondum Doctor, sed aspirans ad gradus maiores intererat. Cuinam autem scientificae scholae, inter Theologos celebres tunc Lutetiae florentes, nomen dederit Petrus Aureoli, ex traditione refert Waddingus, dum *Scotistarum* clarissima nomina undecim ponens scribit[4]: « Petrum Aureolum his attexuerunt alii, sed aemulum potius quam discipulum alii appellant ».

---

[1] Aut in vicinis regionibus Galliae meridionalis, ubi praesertim in Département « Tarn » nomen « Auriol » saepius invenitur.

[2] Liber. conform. l. 1. fruct. II. pro part. 2. ed. Mediol. 1510. fol. CXXVI, p. 1. col. 1. Dr. Stanonik.

[3] Paris 1823, I. 405. « Aureoli (Pierre) né à Toulouse en 1280 ». Dr. Stanonik.

[4] VI. 136. f. ad ann. 1308. n. 66.

Eodem anno Petrus Aureoli *lectoratus* theologici officio functus est *Tolosae* in conventu Fratrum Minorum ac defensor fuit veritatis immaculatae conceptionis B. M. V., testante Petro de Alva [1]:

« Tractatus (de conceptione B. M. V.) hac occasione a fr. P. Aureolo confectus est. Cum enim dictus fr. Petrus Aureolus esset lector in conventu fratrum Minorum de Tolosa, accidit, ut praedicaret in domo fratrum Praedicatorum in festo Conceptionis B. M. V. In sermone, qui fiebat ad Clerum, adducit quasdam rationes, quae superius sunt tactae, quod pium erat credere, quod B. Virgo esset a Deo praeservata, ne originale contraheret. Hoc enim Deus facere potuit et decuit, et forte factum fuit in tantum, quod dictum festum licite celebrari poterat, ut superius est expressum.

« Sed cum hoc audiret quidam fr. Praedicator, praedicaverat Clero sequenti dominica, ostendens, quod B. V. originale contraxit, solvit ex suis rationibus et confirmans propositum suum propriis rationibus, quae etiam sunt tactae superius, addens nihilominus et imponens, quod ipse fr. Petrus affirmaverat, ita fuisse, cum tamen sub dubio et pia credulitate totaliter dimisisset. Quapropter dictus fr. Petrus hanc quaestionem solemniter in scholis saecularium disputavit et ibidem praesentibus omnibus religiosis, doctoribus, magistris ceterisque clericis ad instantiam totius studii [2] determinavit per

---

[1] Monumenta seraph. immac. Conc. p. 79. (Vide Dr. Stan. l. c.).

[2] i. e. coram tota universitate Tolosana, existente ex facultatibus tum saecularibus tum regularibus Ordinum.

modum superius annotatum. Actumque fuit hoc in praedicta civitate Tolosana anno Incarnationis Domini 1314 in vigilia S. Thomae apostoli, regnante de novo Ludovico rege Francorum ac praesente Gualhardo [1], episcopo Tolosano, sede apostolica tunc vacante ».

3. S. Antoninus porro narrat [2], quod « magnae sufficientiae » Petrus Aureolus in capitulo Fratrum Min. generali, Neapoli sub Michaele de Cesena anno 1316 celebrato, electus est *ad lecturam sententiarum Parisiis,* quamvis aliqui adulatores dicentes Ministro generali, quod sibi in electione se (Petrus) opposuerat, niterentur, ipsum pro viribus impedire. Ast Michael verbum notabile illis susurronibus respondisse fertur: « Absit, ut pro quavis offensa a me tantum lumen Ordinis exstinguatur ».

Maiorem autem huic lecturae Parisiensi addidit gradum et excellentiam Ioannes XXII, Pontifex Max., anno 1318, idibus Iulii, cum Petrum Aureoli dignitate « *magistri in theologia* » insigniret ac facultatem papalem docendi tribueret, iuxta Bullam, Avenione datam, quae sic sonat, laude plena [3]:

« Ioannes XXII Thomae cancellario Parisiensi, dilecto filio.

---

[1] Anno 1305-1317.

[2] Chron. tit. 24. c. 9. § 15. ed. Lugd. 1586. III, 784. col. 2. c. (Stan.) Cf. Wadding. Annal. Min. 2. ed. VI, 522.

[3] Novissime Denifle, loc. cit. p. 225. ex regest. Vatican. Avenion. Ioannis XXII. vol. IX. fol. 464. Bulaeus IV. 177. Item Stan. in « Katholik » l. c. Ideoque frustra conatur Oudinus negare huius textus authenticitatem.

Sicut partim experientia, partim fide digna relatione didicimus, et te ipsum etiam non latere putamus, dilectus filius Petrus Aureoli Ord. Min. sic in studio theologicae facultatis diebus insudavit et noctibus, sic per continuationem studii et exercitium lectionum profecit laudabiliter in eodem, quod dignum se reddidit, ut credimus, ad obtinendam docendi licentiam in eiusmodi facultate. Quia igitur ipsum honestate conspicuum et tantum thesaurum scientiae, divina sibi suffragante gratia, assecutum, dignum est, ut benevolentia prosequamur gratiosa, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Petro iuxta morem, qui servari in talibus consuevit, licentiam huiusmodi auctoritate nostra, remoto cuiuslibet tardidatis obstaculo, largiaris. Per huiusmodi vero licentiam eidem Petro dandam de nostro speciali mandato nolumus fratribus praedicti vel alterius Ordinis iam praesentatis per eundem vel alium Ordinem vel imposterum praesentandis ad huiusmodi licentiam obtinendam aliquod generari praeiudicium vel promotionem eorum quomodolibet retardari. Datum Avenion. 2 idus Iulii anno 2».

Eodem anno 1318 die lunae post festum S. Martini hiemalis (i. e. 13 Novembris) quatuor magistri in theologia Parisiis iuramentum fecerunt de statutis universitatis observandis et secretis celandis, quorum nomina expresse referuntur [1]: « Venerabiles viri ac religiosi fratres Ioannes de Prato Praedicatorum, Petrus Aureoli Minorum, Ioannes de

[1] Denifle l. c. pag. 227. Num. 776 nota 3, sub nomine « *Aurioli* », dum Stanonik l. c. p. 419, secundum Bulaeum adhuc « Amoly » legit.

Dunis Cisterciensis, et Ioannes Paignote Eremitarum Ordinum ».

4. Nunc autem, quamvis magister noster Petrus ad altiores adhuc et excellentiores dignitates ecclesiasticas ascenderet, tamen pro talis tantique viri efficacissima strenuitate valde abbreviati sunt dies eius, quod maxime dolendum est.

Anno enim 1319 factus est Petrus Aureoli *minister* provinciae Ordinis seraphici in Aquitania [1].

Anno porro 1321 invenimus eundem *ad sedem archiepiscopalem Aquae Sextiae* evectum ex bulla Ioannis XXII « Sponso coelesti », III. kalend. Mart. data, ex cuius textu sequentia pro Petri Aureoli laude sat clara eloquia valent [2]:

« Nos... demum in te (Petrum Aureoli), Ordinis fratrum Minorum, Ordinem ipsum expresse professum, in sacerdotio constitutum ac S. Theologiae magistrum, virum quidem morum gravitate laudabilem, vitae munditia commendandum, discretionis et consilii maturitate conspicuum aliarumque

---

[1] Denifle l. c. Chron. XXIV. gen. in ms. Assisinat. fol. 142. a. — Wadding. ad a. 1318. n. 19. — Caesar Nostradamus, Histoire et chronique de Provence, Lyon 1614, p. 337. apud Stanonik (Katholik).

[2] Wadding. Annal. VI. 515. ed. 2. — Denifle l. c. Reg. Vat. Ioann. XXII. a. V. ep. 647, ubi et « s. theologie magister » vocatur. Adest etiam breve Ioannis XXII. ad Petrum Aureolum, ad Aquensem ecclesiam metropolitanam in Gallia evectum: « Pridem Aquensem... » Wadding. Suppl. ad an. 1320. n. 2. 18 kal. Iul.

Constat insuper summum Pontificem Ioannem XXII. Petrum Aureoli non solum tamquam archiepiscopum Aquensem denominasse, sed et in persona ipsum ordinasse, ex quo patet, Petrum Aureoli nunquam inter fratres Minoritas fuisse, qui adversarii contra hunc Papam exstiterant, et quidem post mortem Petri eiusdem.

virtutum muneribus circumfultum, aciem direximus nostrae mentis... »

Annus vero, quo Petrus Aureoli vitae suae cursum finisse videtur, probabiliter est 1322, et quidem ante mensem Iulii, ut ex bulla Ioannis Papae XXII, data Avenione VII. idus Iulii anno VII. patet, quae sic sonat [1]:

« Venerabili fratri Iacobo, episcopo olim Lodovieńsi, in archiepiscopum Aquensem electo, salutem. Ad providam apostolicae sedis circumspectionem pertinet, pensare vices temporum, personarum attendere merita et qualitates considerare locorum...

« Dudum siquidem Aquensi ecclesia per obitum bonae memoriae *Petri,* archiepiscopi Aquensis, qui apud sedem praedictam extitit, carnis viam ingressi, pastoris solatio destituta, nos attendentes, quod nullus praeter nos de ordinatione ipsius ecclesiae se hac vice intromittere potest » etc.

Martyrologium franciscanum « Arturi de Monasterio » et multi alii fontes historici 27. Aprilis 1322 tanquam obitus diem nominant, sed cl. P. Denifle probat, Petrum Aureolum iam ante 23. Ianuarium anni 1322 vita functum esse, verosimiliter 10. Ianuarii et quidem Aquis [2].

---

[1] Reg. Vat. epist. 932.

[2] Denifle l. c. P. 225. n. 772. not. In introitu et exitu Arch. Vat. n. 41. fol. 178. « Raymundus Aureoli » sub hac temporis nota « frater quondam archiepiscopi » designatur, ut ex denominatione successoris per Breve Ioannis XXII. anni eiusdem 1322, 9. Iulii in Reg. Vat. t. 73. q. 932. liquet; non q. 32, ut Stanonik indicat, Katholik, 1882, p. 479-500. — Tres historici provinciales (de la Provence), Pittou 1668, Louvet 1676 et Haitze nat. 1656. eodem modo diem obitus Petri Aureoli 10. Ianuarii 1322 significant.

Sunt, qui asserant, Petrum Aureoli Cardinalem fuisse S. Romanae Ecclesiae, sed « confunditur cum eius antecessore in episcopatu Aquensi, qui Petrus (Desprès) etiam nominatur [1] ».

Referunt etiam historiographi gallici, Petrum Aureoli in congregatione Episcoporum Parisiis habita magno nisu iura sedis romanae contra libertates Galliae defendisse, sed frustratum et in dioecesim regressum prae dolore vita decessisse [2].

Quidquid autem in tali testimonio verum sit, hoc constat, quod « Doctor facundus » semper extitit fervens assertor supremae potestatis Sedis apostolicae romanae. Idem ex eiusdem operibus scriptis ubique patefit, sicut ex eiusdem Repercussorio sat clare evincitur: « Donec ergo S. Romana Ecclesia sic expresse determinaverit, sicut ista expressa sunt, quid de conceptione aut sanctificatione immaculatae Virginis tenendum, iustificationem eiusdem Virginis, quam coepi tenere, non deseram », ubi duplex confessio Petri Aureoli correctissima exprimitur simul quoad regulam fidei, soli summo Pontifici competentem, ac quoad assertionem immaculatae conceptionis beatissimae Virginis Mariae.

---

[1] Denifle l. c.: « Caveas, ne quantum ad Petrum Aurioli, Ord. Min. Oudin. (Comment. de script. eccl. III. 847 seq.) sequaris, qui inter alia, nescimus qua temeritate, asseruit, epistolam supra publicatam non inveniri in Reg. Vat. Ioann. XXII, eamque postea confictam esse ».

[2] Haitze, Episcopat métropol. d'Aix 1863 à Aix p. 78: « Bien loin de lui attirer des admirateurs, le fit regarder avec indignation par tous les bons français... et de s'être fait une si fâcheuse affaire, le fit bientôt partir de ce monde ». Sententia est communis, quod Petrus Aureoli sedi suae resignaverit. (Sic Fisquet, Gams, Dutems etc.).

OPERA A PETRO AUREOLI CONSCRIPTA.

I. OPERA TYPIS EDITA.

Non existente omnium operum Petri Aureoli, doctoris facundi, completa editione typographica, commemoramus sequentes libros, qui variis in locis editi fuerunt:

1. Commentarii in 4 libros sententiarum dedicationem ad Pontificem maximum Ioannem XXII. in initio ferunt et Romae editi sunt in duobus voluminibus in folio, quorum primum anno 1596, alterum 1605 impressum fuit.

Pars prior, a cl. Cardinali Constantio Sarnano glossis valde pretiosis in margine aucta, non minus quam 1226 paginas ac insuper regestum alphabeticum 48 paginarum continet. Eiusdem titulus: « Commentariorum in primum librum sententiarum (pars prima) auctore Petro Aureolo Verberio Ord. Min. archiepiscopo Aquensi, S. R. E. Cardinali. Ad Clementem VIII. Pontificem opt. max. — duos errores praesefert, cum Petrus nec « Verberius » nominetur, nec Cardinalis fuerit, ut supra dictum est.

2. QUODLIBETA SEXDECIM — in fine secundi voluminis Commentariorum in sententias annexa ac in 5 classes divisa, continent:

I. *Communia de Deo et de creaturis.* Quodl. 1. Utrum in aliqua re formalitas et realitas distinguantur 2. Utrum actio agentis differat realiter ab agente?

II. *Propria de Deo.* Quodl. 3-5. tractant de distinctionibus in divinis.

III. *De anima intellectiva.* Quodl. 6. Utrum anima intellectiva sit immediatum principium suorum operationum? Quodl. 7. An anima rationalis est constituta ex actu possibili et agente, tanquam ex potentiali et actuali in genere intelligibilium?

IV. *De anima intellectiva beata.* Quodl. 8-10. Qu. 8. Utrum ad visionem beatificam requiratur aliqua similitudo creata (species) distincta ab actu? (Neg.).

3. « BREVIARIUM BIBLIORUM », seu « Compendium S. Scripturae », seu « Compendium litteralis sensus totius divinae scripturae », seu « De divisione S. Scripturae », seu « Commentaria compendiosa in universam S. Scripturam » — est introductio realis in sacras litteras veteris et novi testamenti, quae argumentum, divisionem et valorem singulorum librorum S. Scripturae indicat et sensum litteralem praecipue retinet ac minime mysticum praefert, ut Victor Le Clerc pro suo lubitu scribebat.

Hoc « breviarium » suo tempore maximo in honore et applicatione studiorum habebatur, ut Lucas Waddingus testimonium fert ex eloquio Georgii

Ederi, viri hoc in genere scribendi egregie laborantis, qui ait [1]:

« Coepi de sacrorum Bibliorum artificio summatim explicando diligentius inquirere, in qua cogitatione, cum diutius, ut par erat, multumque versatus essem, en mihi fortuito, sed quod constanter credo, non absque Dei quodam nutu, in manus venit *liber vere aureus* conscriptus primum a probatissimae opinionis et sanctitatis viro Petro Aureolo, postea vero a doctissimo viro Iacobo Wimphelingo, magno Germaniae Theologo, domino Ioanni Eckio dicatus, qui, quod toties mihi venire optaram, primo statim fronte pollicebatur, videlicet Compendium Bibliorum utriusque Testamenti atque adeo totius sacrae scripturae epitomen.

« Quo semel ac iterum perlecto, magna cum voluptate cognovi divinum hunc virum illud prorsus ipsum, quod olim apud Ciceronem Crassus de ipsa iurisprudentia proposuit, in hac nostra Theologia Christiana non tantum pari dexteritate conatum, sed maiori etiam laude assecutum fuisse, quam ab illo fere potuerit expectari.

« Nam sacrosanctum illud scripturae divinae corpus fere totum in suas primum partes, ipsas deinde partes in ipsos libros, hos in capita sive genera, capita vero in versiculos, tanquam generum species, et tandem versiculos in singula saepe paulo gravioris ponderis verba, tanquam specierum differentias, tanto artificio partitus est, ut tam huius terrae quam illius aeternae et immortalis Eccle-

[1] Scriptores Ord. Min. Romae, Typogr. Francisci Alberti Tani 1650.

siae formam, atque adeo Bibliorum non summam tantum comprehendisse, sed etiam artem quandam tradidisse videretur.

« Mirabar profecto vehementer, utilissimum hoc opus nostris hominibus adeo esse incognitum, quod fere nullam antea audivissem neque auctoris neque libelli tam excellentis fieri mentionem, qui dignissimus erat, meo quidem iudicio, ut eum exercitatissimus aliquis Theologus quasi postliminio reductum in perfectiorem paulo restitueret formam et summis illustraret eloquentiae viribus ».

Waddingus subiungit: « Quod hic optavit Gregorius Ederus, Stephanus Novelletius Theologus Parisiensis praestitit, recognovit ac tabulis analyticis illustratum emisit Parisiis anno 1581 ».

Editiones typographicae « Breviarii bibliorum » sequentes existunt:

1. Incunabulum in quarto — absque loci et anni indicatione — in Bibliotheca studiorum Olomucensi — unum exemplar. (Haini Repertor. bibliogr.).

2. Parisiis editum fuit 1508, 1565, 1581, 1610, 1613 in 8°.

3. Venetiis, 1507, 1508, 1575 in 4°.

4. Argentinae, 1514 in 4°.

5. Rothomagi, 1596, 1649.

6. Lovanii, 1647.

7. Incunabulum, signatum D, in quarto absque loci et anni indicatione in bibliotheca fr. min. Suazii, sec. Haini 2141 Argentorati apud typogr. Georgium Husner. Panzer P. I. pag. 87. n. 461: « Istum librum Dnus archiepiscopus Salisburgensis dedit Dno Leonardo Kentstrasser fr. strict. observantiae 1513 ipso die Erasmi ».

4. De immaculata conceptione — opera tria:

a) *De conceptione Mariae Virg.*[1] — incipit: « Nondum erant abyssi etc. De conceptione Virginis tractaturi, quae se videtur innuere in hoc verbo absque originalibus concepta tenebris et abysso cuiuscumque peccati, quemadmodum et felix eiusdem Filius decantando testatur cantico 4. dicens: Tota pulchra es » etc.

Cap. I. allegantur loci SS. Patrum et S. Scripturae, qui contradicere videntur.

Cap. II. ponuntur distinctiones de conceptione (quae accipitur tribus modis), de peccato originali (quod etiam accipitur tribus modis: pro suo causali, pro suo materiali et pro suo formali) et de contradictione ipsius (de iure tantum, vel etiam de facto — unde non est impossibile, quod aliquis deberet contrahere de iure, et tamen praeservante Deo et praedonante offensam non contraheret de facto). Potest etiam quis dici, quod contrahat peccatum originale ex necessitate naturae, utpote quia taliter generatus, et tamen non contrahit ex gratia spirituali » — ut de B. Virg. M. factum est. « Videtur enim horrendum piis auribus et animis devotis, quod unquam eius beata anima filia irae fuerit aut in odio Dei ».

Cap. III. « Quod Deus potentia absoluta *potuerit* praeservare Virginem, ne contraheret peccatum orig. ».

---

[1] Manuscriptum invenitur Romae in Bibl. Vitt. Em. Sessoriani gen. 1405-10. p. a Iohanne de Frisia in monte Albano anno M. CCC. XV. in Vig. S. Bartholomaei Ap. consummatum.

Cap. IV. « Deum ex summa *decentia* et rationabili *voluntate* eam potuisse praeservare ».

Cap. V. « Quod absque periculo fidei et erroris teneri potest, quod Deus eam praeservaverit ».

De facto: « Nec una pars nec alia est de necessitate fidei, donec *per Ecclesiam* determinatum fuerit, quid tenendum ».

Memoratu valde digna est Petri Aureoli sententia *de Pontificis Romani Infallibilitate* [1]:

« Ad solum Romanum Pontificem spectat, ea quae dubia sunt in fide et circa quae sunt scholasticorum opiniones, definire, ut probatur X. 24. qu. I de baptismo et eius effectu, cap. Maiores in principio... Et intantum hoc *privilegium est proprium summo Pontifici*, quod expresse in haeresim prolabatur, quicumque ab eo illud auferre conatur ».

Pro sua sententia citat deinde plures auctoritates — S. Anselmum, Richardum a S. Victore, Robertum a Lincoln, Alexandrum de Hales, et annotat, hoc festum solemniter peragi iam in ecclesiis anglicis et romanis, item in universitate Parisiensi et in aliis ecclesiis.

Cap. VI. Auctoritates, quae contradicunt, solo de iure loquuntur, aut in alio sensu verba « peccatum originale » et « conceptio » interpretantur... « Quod autem ipsa contraxerit iram quantum ad animam et concupiscentiam quoad carnem, nullus unquam testatur.

---

[1] Alva p. 35 n. 165.

Quoad s. scripturam dicit valere canonem: « Quod non omnia privilegia, concessa B. Virgini, expressa sunt in s. scriptura, sed tantum quod sit mater Dei, ex quo infert Ecclesia, omnem honorem, omnem praerogativam sibi fuisse a Deo collatam, quae purae debet et potest tribui creaturae salvo honore suo. Et ideo S. Augustinus (in serm. de Assumpt.) dat istam regulam de inquirendo circa Mariam: ut videatur, quod congruit rationi et dignitati illius ».

In fine ait Petrus Aureoli: « Quae dicta sint absque praeiudicio verius sapientis et Romanae Ecclesiae...

b) *Repercussorium*[1] editum contra adversarium innocentiae matris Dei, « compositum per fratrem Petrum Aureoli de Ordine fratrum Minorum anno Domini 1314 ».

Incipit: « Iustificationem meam, quam coepi tenere, non deseram » (Iob 27). Iustificationem inviolatae Virginis, quam dudum auxiliante Domino suscepimus defendendam, ne vanis latratibus quorundam mordacium obnubilari contingat, praecedenti tractatui de conceptione eiusdem Virginis praesentem decrevimus subnectendam, qui sub 12 conclusionibus continetur ».

c) *Declaratio sententiae B. Bernardi* — de hac re incipit: « Sanctus Bernardus ad canonicos Lugdunenses de conceptione B. Mariae, quod fuerit in originali concepta.

---

[1] Manuscriptum ab Iohanne de Frisia in monte Albano invenitur in Bibl. Vitt. Em. Sessor. l. c.

5. Tractatus de paupertate sive de usu paupere rerum, Venetiis impressus 1513 tanquam tertia pars operis: « Firmamenta trium Ordinum S. Francisci », et antea Parisiis 1512 in 4°, ubi invenitur in parte quarta fol. CXVI-CXIX [1].

II. OPERA INEDITA.

1. *Postilla* super *Iob,* quae tamen S. Thomae merito adscribitur.

2. *Postilla* super *Isaiam* prohetam. In catalogo 1774 impresso, continente manuscripta latina Bibl. Laurentianae Florentiae, invenitur codex 4. Vol. p. 707, ubi legitur: « Petri Aureoli, Provinciae Aquitaniae, Postilla super Isaiam prophetam completa ». Incipit: « Doctrinam quasi prophetiam effundam et relinquam eam quaerentibus sapientiam ». Eccl. 24, 46.

3. *Compendium theologiae* in octo libros partitum. Waddingus in « Script. Ord. Min. » hoc opus cum Pelbarto erronee Petro Aureoli adscribit.

4. *Tractatus de decem praeceptis decalogi,* cuius manuscriptum in bibl. Bodlei Oxfordii invenitur. Stanonik putat, hoc opus Petro Aureoli solummodo per coniecturam adscriptum fuisse.

5. *Tractatus « Rosae distinctiones »,* sive Rosa distinctionum, tempore Waddingi in conventu Seez asservatus et saeculo XV. in monasterio ad S. Crucem Florentiae retentus secundum eiusdem Bibliothecae catalogum. Hodie ambo codices perditi sunt.

---

[1] Waddingus invenit manuscr. huius tractatus in conventu Seez, in Normandia.

6. *Sermones de tempore,* liber 1, et sermones de Sanctis, liber 1, tempore Waddingi in conventu Seez et in aliis monasteriis asservabantur.

7. *Tractatus de baptismo,* qui incipit: « Ad regenerationis Christi mysterium contemplandum fuit facta quaestio, utrum baptismus, quo Christus fuit baptizatus, fuerit eiusdem rationis cum baptismo, quo nos baptizamur ».

8. *Parvae quaestiones,* quarum tertia tanquam « exquisite tractata » laudatur a Ioanne Bacon in III. Sent. d. 2. qu. 2. art. 1. sec. Sbaralea.

9. *Tractatus de principiis naturae* a Ioanne Canonico medio saeculo XIV. in opere Physic. l. 1. qu. 9. § « quartum dubium » a Fr. Samson (medio saeculo XV. 1. Physic. qu. 16. citatur (sec. Sbaralea).

10. *Logica* sec. Fritzon « Gallia purpurata » pag. 310. manuscr. inveniri dicitur in bibl. Venet.

CODICES MANUSCRIPTI.

1. *Florentiae* Bibl. Laurentiana Plut. 16. Cod. 34. saec. 14. « Incipit literalis sensus totius diviñe scripture a Fr. Petro Aureoli Ordinis Fr. Min. et ponitur primo commendatio sacre scripture in generali ». In quarto grandi fol. 123 in binis columnis, litteris rubricatis. (Signatum A).

2. *Florentiae* Bibl. Laurentiana Plut. 32. D. Cod. 13. « Iste liber est Conventus sancte Crucis de Florentia Ordinis Minorum ». « Incipit compendium literale totius div. scripture editum a fratre Petro Aureoli Ord. Fr. Min. sacre theologie doctore ». (Signatum (B).

Waddingus citat manuscriptum in bibliotheca Minorum *Toletana,* scriptum anno 1345.

CODICES EX CATALOGO

P. FIDELIS A FANNA.

Compilatio litteralis totius S. Scripturae Petri Aureoli.

3. IX. 7. Hispali columbino cod. Y. 130. 2. m. fol. s. XV.

4. X. 174. Parisiis arsen. cod. 186. m. fol. s. XIV.

5. XII. 125. Ibid. nation. cod. 15255. m. fol. maior. s. XIV.

6. XII. 176. Trecis cod. 1344. m. in 4° s. XIV.

7. XII. 229. Lauduni cod. 3. m. in 4° s. XIV.

8. XIII. 61. Burdigalae cod. 16. m. in 4° s. XIV.

9. *Manuscriptum,* quod asservatur in *bibliotheca Vaticana Romae,* cod. 9388, membr. folia 103 continet, binis columnis elegantissime conscripta, ita ut in quavis pagina bis 35 lineae inveniantur. In margine tituli ponuntur. In toto suo ambitu nil differt ab editione nostra Venetiana quoad sensum et argumentum libri, multo meliores autem praesefert citationes S. Scripturae, quae in Venetiana saepe corrigendae erant. Pagina prima codicis Vatic. auro circumlinita exhibet initialem litteram perpulchram, floribus et duobus draconum capitibus ornatam.

Initium sic sonat: « Incipit compendium literalis sensus totius div. scripture editum a fr. Petro Aureoli ordinis frat. min. Venite ascendamus, et primo ponitur commendatio sacre scripture in generali.

In fine ait scriptor: « Explicit compendium literalis sensus totius divine scripture Parisiis per Nicolinum de Bremide Magnifico militi et Comiti Iohe Domino Nicolao de Spinellis nec non Regni Sicilie canzo ibidem legato pro Comite virtutum ad regem et coronam Francie a. 1393. Finito libro sit laus et gloria Christo Amen. Hoc compendium est ad usum mei fratris Ambrosii Iohannis de Colle ordin. minor. Provincie Thuscie ».

10. *Manuscriptum* in bibliotheca Laurentiana Florentiae ex fine saec. decimi quarti ortum. (Signatum C).

11. *Manuscriptum* in bibl. Monachii. Compendium Biblie totius — Argent. 1514. 4. Inc. d. a. Inc. 5. a. 134. 2°. P. Lat. 109. 4ª. 270. et 271. 3°.

PROLOGUS

COMMENDATIO SACRAE SCRIPTURAE IN GENERALI.

Venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, Isaiae secundo [1].

Gregorius [2], exponens illud in Iob [3] scriptum: *Semel loquitur Deus et id ipsum secundo non repetit*, de divina scriptura pronuntiat, proloquitur et disserit in haec verba: « Deus singulorum vocibus non respondet, quia tale construit eloquium, per quod cunctorum quaestionibus satisfacit. In scripturae quidem eius eloquio nobis omnibus in eo, quod specialiter petitur, communiter respondetur. Ibique vita praecedentium fit forma sequentium, atque in his, quae per scripturam ad patres nostros Deus protulit, nos erudire curavit. Unde cogitationibus vel tentationibus singulorum non iam passim per prophetarum voces, aut singulorum officia satisfacit; quia quidquid potest evenire singulis, in sacra scriptura communiter comprehendit ».

---

[1] Vers. 3, et Mich. 4, 2.

[2] Moral. XXIII. c. 19. n. 34, multis tamen hic omissis.

[3] Cap. 33, 14.

Ex quibus verbis colligitur, quod scriptura sacra sit illud *tabernaculum,* illa Dei *domus,* illud *oraculum* atque illud sacrum *propitiatorium,* unde Dominus loquebatur ad Moysen et filiis Israel respondebat, sicut scribitur in figura [1]: « Supra propitiatorium, de medio Cherubim praecipiam et loquar ad te ».

Quocirca seraphicorum auscultator concentuum et dominicae gloriae sedentis super solium excelsum contemplator Isaias propheta, qui non tam prophetiam secundum Hieronymum [2] quam evangelium texuisse videtur, in cuius tempore « retro rediit sol », et qui « addidit regi vitam », qui « spiritu magno praevidit ultima et lugentes in Sion consolatus est in aeternum », qui « ostendit futura et praedixit abscondita, antequam venirent », iuxta quod Sapiens [3] testatur de ipso: hic utique eximius prophetarum, ubi scripturam novi ac veteris testamenti pro tempore revelatae veritatis et gratiae contemplatur, secundo capitulo [4] libri sui, ibi eandem aspicit quasi Dei *oraculum,* quasi *domum* super verticem montium collocatam et ait: « Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini super verticem montium, et fluent ad eum omnes gentes »; ac si aperte diceret, quod scriptura sacra talem habet proportionem ad universam humanam sapientiam, qualis est comparatio montium ad infima convallium et ad omnem aliam planam terram.

---

[1] Exod. 25, 22.

[2] Hieron., Praef. ad Paulam et Eustoch. in translationem Isaiae etc.; supra respicitur Isai. 6, 3. et 1.

[3] Eccli. 48, 26-28; cfr. Isai. 38, 8, 9.

[4] Vers. 2.

Sunt nempe sacrae literae quasi ille *mons protectivi vigoris,* de quo ad Lot Angelus protestatur [1] dicens: « Non stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac »; — quasi *mons* ille *incentivi ardoris,* super quo Moyses et universus populus Israel admiratur, in Exodo [2], ubi scribitur, quod « totus mons Sinai fumigavit, eo quod descendisset Dominus super eum in igne »; — quasi *mons* ille *rigativi humoris,* de quo David cum iubilo gloriatur in Psalmo [3] dicens: « Ecce quam bonum et quam iucundum »; sequitur: « sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion »; — quasi *mons* ille *diffusivi odoris,* ad quem se itura sponsa Domini attestatur [4]: « Vadam ad montem myrrhae et ad collem thuris »; — quasi mons ille *allectivi candoris,* qui dicitur *Libanus,* de quo prophetico vaticinio praedicatur [5]: « Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron ».

Nimirum divina sapientia mons est *protectivus* propter contubernium divinae *maiestatis,* quod in ea conspicitur; *incentivus* propter conflatorium Christi *caritatis,* quod in ea attenditur; *roravivus* propter promptuarium caeli *voluptatis,* quod in ea ebibitur; *infragrativus* propter magisterium veraе *sanctitatis,* quod in ea disseritur; est mons *allectivus* et *candens* propter privilegium purae *veritatis,* quod in ea reperitur.

O studiosa anima, quae sacrae scripturae inebriaris mellifluis, quae ipsius epularis deliciis, quae ipsius oblectaris irriguis, nonne tibi videtur scri-

---

[1] Gen. 19, 17. [2] Cap. 19, 18. [3] Ps. 132, 1-3.
[4] Cant. 4, 6. [5] Isai. 35, 2.

ptura sacra quidam mons *protectivus,* cum conspicis in ea contubernium divinae *maiestatis?* « Candor quippe est lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis »; « generositatemque illius glorificat, contubernium habens Dei, sed et Dominus omnium dilexit illum », in Sapientia [1]. Est ergo ita, ut ipsa sit « mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo; etenim Dominus habitabit in finem », in Psalmo [2].

An non videtur tibi quidam mons *incentivus,* dum inspicis in ea conflatorium *caritatis* Christi et clibanum amoris Dei? « Finis quidem praecepti » et totius divinae scripturae « est caritas », prima ad Timotheum [3]. Quam caritatem sponsa senserat, dum canebat [4]: « Introduxit me rex in cellam vinariam », inebriantem scilicet et aestuantem scripturam, « ordinavit in me caritatem ». Hanc Isaias [5] didicerat, cum dicebat: « Dixit Domino, cuius ignis in monte Sion », id est in scriptura sacra, « et caminus eius in Ierusalem ».

An non videtur tibi quidam mons *rorativus,* dum reperis in ea promptuarium coeli *voluptatis?* « Nonne tibi videtur hoc iam in terris regni coelestis habitaculum; et illos fructus in terra carpere, quorum radices in coelo fixae sunt »? Hieronymus ad Paulinum [6]. « Iudicia quidem Domini vera, iustificata in semetipsa et dulciora super mel et favum [7] ». Propter quod studentibus cum diligentia et devotione de ea praedicatur per Prophe-

---

[1] Cap. 7, 26. et 8, 3. [2] Ps. 67, 17. [3] Cap. 1, 5.
[4] Cant. 2, 4. [5] Isai. 37, 9.
[6] Epist. 53. (alias 103.). n. 9. [7] Ps. 18, 11.

tam [1]: « Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos » ; ut sic libri sacri canonis sint illi montes mirae dulcedinis, de quibus scribitur in prophetia Ioelis [2]: « In illa die stillabunt montes dulcedinem et colles fluent lacte, et super omnes rivos Iuda ibunt aquae; et fons de domo Domini egredietur et irrigabit torrentem ».

An non videtur tibi quidam mons *fragrativus* et valde odoriferus, dum reperis in ea magisterium verae *sanctitatis?* Vera quidem sanctitas, vera virtus et eius magisterium non reperitur alibi, secundum Augustinum super Ioannem [3], nisi in ipsa, quae est « cella aromatum et odoramentorum et unguenti optimi [4] ». In eius montibus fugit dilectus et inhabitat ac requiescit Dominus eius Christus cum odorifera vita sua, sicut decantat sponsa [5]: « Fuge, dilecte mi, assimilare capreae hinnuloque cervorum super montes aromatum ».

An non demum tibi videtur sacra scriptura quidam mons *candens* summeque *allectivus,* dum respicis in ea privilegium purae *veritatis?* In nulla namque scientia humanitus inventa sincera potest veritas reperiri. Porro haec est, de qua dictum est Danieli [6]: « Et nunc annuntiabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis ». Hinc est, quod ex huius scripturae veritatum splendoribus « stultam fecit Dominus sapientiam huius mundi, prudentiamque reprobavit prudentium [7] » ac philosophorum insipientium arrogantiam confutavit, sicut scriptum

---

[1] Ps. 35, 9. [2] Cap. 3, 18.
[3] Verba ipsa non invenimus. [4] Isai. 39, 2.
[5] Cant. 8, 14. [6] Dan. 10, 21. [7] I. Cor. 1, 20. et 19.

est in Psalmo [1]: « Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis, turbati sunt omnes insipientes corde ».

Declaratum est itaque ex cursu praedicto, quod scriptura sacra vere sit et proprie *montuosa*, ita ut de ipsa praedictum fuerit per figuram Deuteronomii [2]: « Terra, ad quam ingredieris possidendam, montuosa est, de coelo spectans pluvias, quas Dominus Deus tuus semper immisit, et oculi illius in ea sunt a principio anni usque ad finem eius ». Hic est mons ille, de quo inquiritur per Prophetam [3]: « Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sanctus eius »?

Et hic est mons, ad cuius accessum, ingressum et conscensum Isaias propheta in propositis verbis nos inducit, admonet et hortatur dicens: *Venite, ascendamus ad montem Domini* etc. In quo quidem verbo animarum docilium excitatur *intelligentia*, scripturarum coelestium praedicatur *praeeminentia*, doctrinarum salubrium promulgatur *exuberantia*.

Animarum dico docilium *excitatur intelligentia* ex modo exhortativo: *Venite, ascendamus;* scripturarum vero coelestium praedicatur *praeeminentia* ex tropo figurativo: *ad montem Domini et ad domum Dei Iacob;* doctrinarum quoque salubrium et gratiarum sublimium promulgatur *exuberantia* sub verbo exspectativo: *et docebit nos vias suas.*

Igitur in his verbis sacrae scripturae aliquid *indicitur*, aliquid *obiicitur*, aliquid *promittitur*. Indicitur enim *amplexus* studiosae *attentionis: Venite, ascendamus;* obiicitur *excessus* generosae *con-*

[1] Ps. 75, 5. 6. [2] Cap. 11, 10-12. [3] Ps. 23, 3.

ditionis: ad montem Domini et ad domum Dei Iacob; promittitur *influxus* luminosae *diffusionis: et docebit nos vias suas.*

Quae quidem tria crastina die diffusius pertractanda nunc omittantur gratia brevitatis, ad doctorem huius scientiae Christum Iesum recurrendo et supplicando, ut per amplexum mentalem valeamus ascendere ad scripturae sacrae excessum totalem, et deinde mereamur influxum illum mentalem assequi virtute sacri canonis montuosi, de quo influxu promissum est per prophetam Ezechielem [1]: « In pascuis uberrimis pascam eos in montibus Israel, ibique requiescent in herbis virentibus, et pluviae benedictionis erunt »; ad quod nos perducat qui sine fine vivit et regnat. Amen.

COMMENDATIO SACRAE SCRIPTURAE IN SPECIALI.

Venite, ascendamus etc., ubi supra.

Magnus ille Pauli discipulus, Apostolorum contemporaneus divinorumque conscius arcanorum Dionysius Areopagita in epistola sua, quam scribit Tito [2] hierarchae interroganti, quae sit sapientiae domus, et quis cibus eius et potus, de scriptura sacra sic dicit: « Aedificans, inquit, sapientia sibi domum, duplex alimentum proponit: unum quidem forte et manens, aliud humidum et profusum, et in cratere donat provisivas bonitates ipsius. Forte quidem ali-

[1] Cap. 34, 14. 26.

[2] Epist. 9. post medium, multis hic omissis. Versio haec respondet illi antiquae, quae invenitur in editione impressa Argentinae 1503 fol. CCXXV. b., ex qua in fine substituimus verba *et quae vini mixtio, et rursus* verbis sensu prorsus carentibus.

mentum arbitror fore intellectualis perfectionis et manentis identitatis cognitionem, secundum quam divina participantur ab illis intellectualibus instrumentis, quibus divinissimus Paulus ex sapientia accipiens vere forte tradidit alimentum. Humidum vero et diffusum per varia et multa et divisibilia ad non tremulam Dei cognitionem nutritos manuducere; propter quod rori, aquae et lacti, vino et melli assimilantur divina et intellectualia eloquia. *Rori* quidem et *aquae* propter virtutem vitae generativam; *lacti* vero propter vim augmentativam, *vino* vero propter vim revivificativam; *melli* vero propter mundificativam simul et conservativam ».

« Haec quidem divina Sapientia donat attendentibus copiose ad ipsam, indeficientem alimentorum affluentiam largiens et superemanans. — In symbolica ergo theologia invenies cum sapientiae *domo columnas septem* discretas et *forte alimentum* in Sacramento et in pane divisum, et quae vini mixtio, et rursus ab ebrietate Dei et crapulam ». Haec Dionysius, de domo sacrae scripturae loquens.

Quam quidem *domum divinae sapientiae* dicimus, ubi *ros, aqua, vinum, mel* et *lac* in cratere tornatili ministratur, ubi *accubitus, somnus* et *crapula* reperitur.

Ros quidem est degustatio omnium divinorum, sicut scriptum est in Deuteronomio [1]: « Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum ».

Aqua, mundatio scilicet et abstersio omnium vitiorum, sicut dicitur in Ezechiele [2]: « Effundam

---

[1] Cap. 32, 2.

[2] Cap. 36, 25.

super vos aquam mundam, et mundabimini »; et alibi [1]: « Aqua sapientiae salutaris potabis illos ».

Vinum, scilicet calefactio et inebriatio animorum in amore divino, sicut suasum est in Proverbiis [2]: « Bibite vinum, quod miscui vobis »; et in Isaia [3]: « Emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac ».

Lac, eruditio scilicet omnium parvulorum, sicut scriptum est in prima Petri [4]: « Quasi modo geniti infantes lac concupiscite »; et Apostolus dicit: « Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam ».

Mel, scilicet informatio omnium perfectorum, sicut David [5] testatur: « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo ».

Accubitus, recreatio scilicet hominum activorum, de quibus dicitur in Luca [6], quod « faciet eos dominus discumbere », in scriptura sacra, « et transiens ministrabit eis ».

Somnus, obdormitio scilicet hominum devotorum et contemplativorum, de quibus dicit Psalmista [7]: « Cum dederit dilectis suis somnum », in scripturis suis sanctis, « ecce haereditas Domini, filii; merces, fructus ventris ».

Crapula, impinguatio scilicet omnium meritorum, quae habet fieri virtute sacrae scripturae in Cantico [8]: « Comedite, amici, bibite et inebriamini, carissimi ».

---

[1] Eccli. 15, 3. [2] Cap. 9, 5. [3] Cap. 55, 1.
[4] Cap. 2, 2; sequitur I. Cor. 3, 2. [5] Ps. 118, 103.
[6] Cap. 12, 37. [7] Ps. 126, 4. [8] Cap. 5, 1.

Hanc itaque sapientiam, in qua ut in domo mirifica, quae praedicta sunt, divinitus ministrantur, contemplatus Isaias propheta, ad ipsius conscensum et ascensum sub verbis propositis nos invitat, cum ait: *Venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob.* — In quo quidem verbo, ut heri dicebatur, *animarum docilium excitatur intelligentia* ex modo exhortativo, quo dicitur: *Venite, ascendamus; scripturarum coelestium praedicatur praeeminentia* sub tropo figurativo, cum additur: *Ad montem Domini et ad domum Dei Iacob; doctrinam salubrium et gratiarum sublimium promulgatur exuberantia* sub verbo exspectativo, sub quo concluditur: *Et docebit nos vias suas.*

PRIMUS ARTICULUS.

Intelligentia docilium animarum.

Primum igitur *excitatur intelligentia docilium animarum,* cum dicitur: *Venite, ascendamus!*

Ascendamus itaque atque ascendamus, quia ascensione opus est intelligentia scripturarum, sicut ait sanctus Propheta de theologo studioso in Psalmo [1], quod « ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrimarum »; et repromittendo subnecti, quod « benedictionem dabit Legislator; videbitur Deus deorum in Sion », in sua scilicet sacra doctrina.

Venite ergo et ascendamus a sensibilibus ad intellectualia, a corporalibus ad spiritualia, a mu-

[1] Ps. 83, 6.

tabilibus ad immobilia et aeterna, quia nobis consulitur Esdrae primo[1]: « Quis est in vobis de universo populo eius? Ascendat in Ierusalem et sit Dominus Deus cum eo ».

Videmus sensibiliter, quod de numero ascendentium quaedam ascendunt cum *volatu,* ut aves; quaedam ex *afflatu* et impulsu venti, ut nubes; quaedam ascendunt cum *conatu,* ut homines; quaedam ascendunt cum *ornatu,* ut oves et pascuales greges, sicut habetur in Cantico[2]. — Venite ergo, theologi studiosi, et ascendamus istis quatuor modis. Ascendamus utique cum *volatu* meditationis perspicuae, ut aves; cum *afflatu* inspirationis intraneae, ut nubes; cum *conatu* supplicationis mellifluae et orationis assiduae, ut homines; cum *ornatu* conversationis perspicuae, ut oves.

Ascendamus primo *cum volatu perspicuae meditationis ut aves,* quia scriptum est[3], quod « in lege eius meditabitur die ac nocte », qui vult in ea perficere. In sanctis quidem literis profunda est requirenda intelligentia, ubi per vocem ad intellectum, per intellectum ad rem, per rem ad rationem, per rationem ad veritatem pervenitur. Quod cum quidam minus docti et superbi non capiunt, ad philosophorum doctrinas se transferunt, in sacris literis nihil autumantes subtile aut meditatione dignum, Hugo[4]. Quocontra de studioso theologo cum volatu meditationis perspicuae ascendente scribitur in Psalmo[5]: « Ascendit super Cherubim et volavit, volavit super pennas ventorum »; quemadmodum

---

[1] Cap. 1, 3. [2] Cap. 1, 6. 7. [3] Ps. 1, 2.
[4] Eruditionis didascalicae V. c. 3. [5] Ps. 17, 15.

et in alio loco dicit Psalmista[1]: « Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo et requiescam ».

Ascendamus secundo *ex afflatu intraneae revelationis ut nubes.* « Lex enim spiritualis est et revelatione indiget, ut intelligatur, ac revelata facie in ipsa gloria Dei contempletur ». « Revela », inquit Psalmista[2], « oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua », ait Hieronymus in epistola ad Paulinum[3]; unde et Danieli[4] per noctem revelata est visio. Studioso ergo ascendenti ex afflatu revelationis divinae dicitur illud Psalmi[5]: « Ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum », super *pennas* utique sacrarum inspirationum; et tertio Regum[6] dicitur, quod « nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari ».

Ascendamus tertio *cum conatu assiduae devotionis et deprecationis* et iugis orationis, sicut ascendunt *homines.* « Non solum enim admonendi sunt homines venerabilium literarum, ut in scripturis sanctis genera locutionum sciant, et quomodo apud eas aliquid dici soleat, diligenter advertant memoriterque retineant; verum etiam (quod est praecipuum et maxime necessarium) orent, ut intelligant. In eis quippe litteris, quarum studiosi sunt, legunt: « Quoniam dominus dat sapientiam et a facie eius scientia et intellectus »; a quo et ipsum studium (si pietate praeditum est) accepe-

---

[1] Ps. 54, 7.
[2] Ps. 118, 18; supra respicitur II. Cor. 3, 18.
[3] Epist. 53. (alias 103.) n. 4. [4] Dan. 2, 19.
[5] Ps. 103, 3. [6] Cap. 18, 44.

rint [1] ». Unde abbas Theodorus, ut refert Cassianus in Collationibus Patrum [2] non aliter quaestionem difficilem et longo tempore ignoratam agnovit, donec septem diebus et noctibus infatigabiliter perseverans pervigil in oratione permansit.

Quocirca studiosus theologus bene per Ionatham figuratur, de quo scriptum est [3], quod « ascendit Ionathas, reptans manibus et pedibus, et armiger eius post eum »; *reptans* enim pedibus et manibus et conatus mentis totalis, quo per sacram orationem ascenditur in Deum. Cum ergo voluntas ascendit sacris orationibus, tunc ad intelligentiam scripturarum eius *armiger*, scilicet intellectus, ascendit. Haec est enim virgula aromatica, virtute cuius ascendit anima ad scripturas: « Quae est ista, quae ascendit per desertum », per immensam silvam et per latibula scripturarum, « sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentari », in Canticis [4].

Ascendamus quarto *cum ornatu conversationis conspicuae sicut oves et pascuales greges.* Non enim ascensor huius scientiae sacrae est sectator passionum. Nam « qui didicerit et sic fecerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum. Qui vero didicerit et non fecerit, minimus vocabitur in regno coelorum [5] ». Propter quod ait Iacobus [6]: « Estote factores verbi et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos; quia, si quis auditor est verbi et non fa-

---

[1] August. III. de Doctrina christ. c. 37. n. 56, ubi citatur Prov. 1, 6.

[2] De Coenob. Institut. V. c. 33.

[3] I. Reg. 14, 13.

[4] Cap. 3, 6.

[5] Matth. 5, 19.

[6] Cap. 1, 22.

ctor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo; consideravit enim se et abiit et statim oblitus est, qualis fuerit » Et recte hoc dicit, quoniam scriptura divina est quoddam speculum et quoddam lavacrum ad animae lotionem, abstersionem et ornamentum ordinatum, sicut scriptum est[1]: « Capilli tui sicut greges caprarum, quae ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascendunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, et sterilis non est inter eas »; ut referantur *capilli* ad affectiones sacras, *dentes* ad collocutiones mundas, *foetus* ad operationes virtuosas, quibus debent ornari, qui *ascendunt de lavacro* scripturarum et *de monte Galaad,* de acervo scilicet testimonii. Nam de scriptura dictum est[2]: « Testimonia tua credibilia facta sunt nimis ».

Sic igitur patet, qualiter in hoc verbo animarum docilium intelligentia excitatur, cum dicitur: *Venite, ascendamus,* quod erat primo declarandum.

SECUNDUS ARTICULUS.

Scripturarum coelestium magnificentia et excellentia.

Secundo vero scripturarum coelestium magnificentia et excellentia praedicatur, sub tropo figurativo, cum comparatur *monti* et *domui. Ad montem,* inquit, *Domini et ad domum Dei Iacob*

---

[1] Cant. 4, 1, 2.

[2] Ps. 92, 6.

A. Mons Domini.

Monti quidem scriptura comparatur, pro eo quod in ipsa respectu universae terrae reperitur: *celsitudo,* qua exsuperat *plenitudo,* qua exuberat; *pulcritudo,* qua irradiat et illustrat et occupat; *magnitudo,* qua replet et accumulat. Consimiliter scriptura divina:

1. Quasi mons omnem *sensum exsuperat* in sensu *anagogico;* Matthaeus [1]: « Duxit eos in montem excelsum seorsum et transfiguratus est coram eis ».

2. Quasi mons omne *bonum exuberat* et omnem rivum pullulat in intellectu *tropologico,* ubi de moribus agit; Psalmus [2]: « Super montes stabunt aquae; rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra ».

3. Quasi mons omne *centrum irradiat* et occultum declarat in sensu *allegorico,* ubi agit de Christo, per quem omnes umbrae et figurae legis irradiantur; quia « lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est [3] », cui et dicitur illud propheticum [4]: « Quis tu, mons magne, coram Zorobabel? in planum; et educet lapidem primarium et exaequabit gratiam gratiae eius ».

4. Quasi mons *omne verum accumulat* et aggregat in intellectu *literali* et in sensu historico superficiali et plano. « Omnia enim, quaecumque utiliter alibi didiceris, multo fortius in scriptura

---

[1] Cap. 17, 1. 2. [2] Ps. 103, 6. 14. [3] Ioan. 1, 17.
[4] Zach. 4, 7.

sacra invenies. Et quanto minor est auri, argenti vestisque copia, quam de Aegypto secum Israeliticus populus attulit, in comparatione divitiarum, quas postea Hierosolymae consecutus est, maxime sub tempore Salomonis; tanta est scientia collecta de libris gentium, si divinae scientiae comparetur», ut ait Augustinus[1], ut ipsa scriptura sit mons ille magnus, de quo Daniel[2]: « Lapis autem, qui percusserat statuam », qui destruxit omnem inanem philosophiam, « factus est mons magnus et implevit universam terram ».

Annon vobis videtur scriptura divina monti congrue comparari, cum dicitur: *Ascendamus in montem Domini?*

Octo montes.

Nimirum *octo montes* inter alios invenio nominatos, videlicet:

montem *Sion,* qui interpretatur specula;

montem *Bethel,* qui interpretatur domus seu habitaculum;

montem *Sinai,* qui interpretatur regula seu mensura;

montem *Oliveti,* qui dicitur mons *pinguedinis;*

montem *Horeb,* qui interpretatur mons incendii seu ardoris;

montem *Libani,* qui dicitur mons candoris;

montem *Galaad,* qui interpretatur acervus testimonii;

---

[1] De Doctrina christ. c. 41. [2] Cap. 2, 35.

montem *Moria,* qui interpretatur mons visionis, ubi Abraham obtulit filium, et aedificatum est postea templum, de quo dicitur[1] proverbium: « In monte Dominus videbit ».

Et indubitanter *octo* sunt *praeclarae materiae,* ad quas omnia reducuntur, quae tractantur in divinis scripturis.

1. Scriptura namque tractat alicubi de *miro fastigio beatissimae Deitatis;* et ibi occurrit sicut mons *Sion,* et ob hoc gloriatur Ecclesiasticus[2]: « Et sic in Sion firmata sum et in civitate sanctificata similiter requievi »; quemadmodum et alibi[3] testatur: « Factus est in pace locus eius », i. e. beatae Deitatis, « et habitatio eius in Sion », i. e. in sacra scriptura.

2. Tractat alibi de *sacro colobio*[4] *assumptae humanitatis;* et ibi occurrit ut mons *Bethel,* qui interpretatur habitaculum Dei. Ibi enim agitur de Christo, « in quo habitavit plenitudo Deitatis corporaliter », secundum Apostolum[5]; et in Cantico[6]: « Similis esto, o dilecte mi, capreae hinnuloque cervorum super montes Bethel ».

3. Tractat alibi de *vario vestigio creatae universitatis;* et tunc occurrit ut mons *Sina,* qui interpretatur regula sive mensura. « Creavit enim Deus omnia in numero, pondere et mensura » secundum Sapientem[7]; et ad Galatas[8]: « Sina mons est in Arabia et servit cum filiis suis »; universa enim

---

[1] Gen. 22, 14. [2] Cap. 24, 15. [3] Ps. 75, 2.
[4] Species quaedam tunicae. [5] Col. 2, 9.
[6] Cap. 2, 9. 17. [7] Sap. 11, 21. [8] Cap. 4, 25.

creatura Creatori deservit. Scriptum [1] est enim, quod « statuit ea in aeternum et in saeculum saeculi; praeceptum posuit et non praeteribit ».

4. Tractat alicubi de *summo stipendio supernae felicitatis;* et tunc occurrit velut mons *Oliveti,* ungens corda studentium oleo laetitiae et exultationis, Zacharias [2]: « Stabunt pedes Domini super montem Olivarum ». Unde tempore noctium et tribulationum exeundum est et studendum pro consolatione ad loca scripturarum, in quibus agitur de superna felicitate, exemplo illius, de quo scriptum est [3]: « Noctibus exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti ».

5. Tractat etiam alibi de *diro supplicio futurae calamitatis;* et ibi occurrit sicuti mons *Horeb,* qui interpretatur ardor. Ibi enim timore comburitur et ardet anima studiosi; et ibi potissime scriptura divina apparet ut mons Dei comminantis homini peccatori; tertio Regum [4] dicitur de Elia, quod « comedit panem subcinericium et bibit aquam ex vase et ambulavit usque ad montem Dei Horeb ». Loca enim scripturae, in quibus tractatur de diro supplicio futurae calamitatis, maxime nos inducunt ad poenitentiae sanctae lamentum.

6. Tractat etiam alibi de *multo insignio immensae varietatis praeceptaeque honestatis;* et hoc, ubi tractat *de virtutibus, donis, praeceptis* et de eorum oppositis; et ibi occurrit scriptura sicut mons *Libani,* qui interpretatur candidatio. Ibi namque omnis sanctitas lucet omnisque munditia et hone-

---

[1] Ps. 148, 6. [2] Zach. 14, 4. [3] Luc. 21, 37.
[4] Cap. 19, 6. 8.

stas, Domino contestante[1]: « Sancti estote, quoniam ego sanctus sum »; Ecclesiasticus[2]: « Quasi plantatio cedri in monte Libano ». Cedrus alta Libani, celsitudo omnis perfectionis; haec non plantatur alibi, non reperitur in aliis scripturis.

7. Tractat etiam alibi de *magno et stupendo prodigio auctoritatis,* ubi videlicet agitur de portentis Moysi, de Prophetarum miraculis, de stupendis prodigiis Iesu Christi; et ibi occurrit sicut mons *Galaad,* qui interpretatur acervus testimonii. Ista enim prodigia et mirabilia sunt inducta in testimonium veritatis. Dicitur de Iacob[3], quod « extenderat tabernaculum suum in monte Galaad ». In illis quippe locis scriptura sacra multum extollit Dei potentiam, et eam magnificat et extendit.

8. Tractat etiam alibi de *claro praeconio perfectae activitatis* virorum sanctorum, quorum exempla, mores et actus vitamque describit; et ibi occurrit ut mons *Moria,* qui dicitur mons visionis. Ad exempla illorum debemus aspicere et intueri et nos ipsos aedificare, quia scriptum est in figura[4], quod « coepit Salomon aedificare domum Dei in monte Moria ».

Igitur cum omnis veritas, quae disseritur in scripturis, vel spectat ad *Sion,* ad beatam scilicet Deitatem; vel spectat ad *Bethel,* ad assumptam humanitatem; vel ad *Sina,* ad creatam unitatem; vel ad montem *Oliveti,* ad supernam felicitatem; vel ad montem *Horeb,* ad futuram calamitatem; vel ad montem *Libani,* ad iniunctam vel impositam ho-

---

[1] Lev. 11, 44. [2] Cap. 50, 13. [3] Gen. 31, 25.
[4] II. Paral. 2, 1.

nestatem per praecepta divina; vel ad montem *Galaad,* ad stupendam auctoritatem et Dei potestatem facientis mirabilia; vel ad montem *Moria,* ad ostensam scilicet sanctitatem et perfectionem sanctorum et iustorum: — recte possumus dicere, quod « fundamenta eius in montibus sanctis ».

Montes ergo *in circuitu eius,* scilicet sacrae scripturae, et *Dominus in circuitu populi sui,* populi scilicet Christiani, cui ipsam communicavit. Sic igitur patet de scripturarum coelestium magnificentia sub tropo figurativo *montis.*

Comparatur etiam *domui et ad domum,* inquam, *Dei Iacob.*

B. Domus Dei.

Ad domum Dei Iacob.

Vere namque ipsa est domus Dei habens Dei *picturam, sculpturam, clausuram, structuram.* Nimirum liber sacri canonis omni modo depingitur floridae exornationis; omni tropo contegitur et clauditur mysticae elocutionis; omni stilo inciditur et sculpitur physicae indagationis; omni nodo contexitur et construitur providae coaptationis.

1. Omni, dico, modo depingitur *floridae exornationis,* qua utitur *rhetoricus,* secundum Augustinum[1]: « Quapropter et eloquentes quidem, non solum sapientes, canonicos nostros auctores fateamur et tali eloquentia usos esse, qualis personis huiusmodi congruebat ». Unde ex 45 coloribus, sive verborum

[1] De Doctrina christ. IV. c. 7. n. 21, ubi concludit post plura exempla.

exornationibus, quos ponit Tullius [1], nullus deficit in scripturis divinis.

Est enim *repetitio,* ubi dicitur [2]: « Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum, qui facis angelos tuos spiritus » etc.

Et est *conversio,* ubi dicitur: « In quo quis audet (in insipientia dico), audeo et ego; Hebraei sunt, et ego ».

Et est *gradatio,* ubi dicitur: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum ».

Et est *traductio,* ubi dicitur: « Israel, sectando legem iustitiae, in legem iustitiae non pervenit ».

Et est *membrum* sive colum, cum dicitur: « Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis [3] »!

Et est *articulus,* cum subditur: « Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum tuum, Israel, abalienati sunt retrorsum ».

Et est *comparatio,* ubi dicitur: « Vae vobis, qui opulenti estis in Sion et confiditis in monte Samariae »!

Et universaliter non deest unica ex 45 floritionibus dictionum, sicut (nisi tempus deficeret) promptum esset ponere in exemplis, et apparebit ex lectione Isaiae.

Similiter ex 20 exornationibus sententiarum seu floridationibus, quas Tullius subnectit in eodem se-

---

[1] Cicero, II. Rhetorices.

[2] Ps. 103, 4. seq.; sequuntur II. Cor. 11, 21. 22; Ioan. 1, 1; Rom. 9, 31.

[3] Isai. 1, 4; sequuntur Isai. 1, 4; Amos 6, 1.

cundo [1], nulla deest in serie scripturarum, sicut patet legenti, quia ibi est: licentia, distributio, diminutio, frequentatio, expositio, brevitas, demonstratio, imago et conformatio, et sic de aliis, ut ex 45 floritionibus textus sacri canonis venustissime adornetur varieque pingatur.

In cuius figura legitur tertio Regum [2], quod fecit Salomon in parietibus templi et domus Domini « Cherubim et palmas et varias picturas ». Et in pavimento vestibuli Assueri erat ex smaragdo « et pario stratum lapide, quod mira varietate pictura decorabat [3] ».

2. Secundo liber sacri canonis quasi domus Dei omni tropo concluditur et obserratur *mysticae elocutionis,* qua utitur *grammaticus,* ut docet Augustinus dicens [4]: « Sciant homines literati, omnibus modis locutionis, quos tropos vocant, auctores nostros usos fuisse, etiam multiplicius et copiosius, quam possint credere, qui eos nesciunt, aut etiam aestimare ». Et subdit, quod istorum troporum omnium non solum in divinis libris exempla sunt, sed etiam quorumdam nomina retinentur, ut *allegoria, parabola, aenigma.*

Unde ex 24 speciebus *tropi,* quos assignat grammaticus, nulla deest in scripturis divinis.

Est enim ibi *homopasion,* ubi dicitur [5]: « Os iusti meditabitur sapientiam »; et ubi dicitur: « Veritatem meditabitur guttur meum ».

---

[1] Cap. II. [2] Cap. 6, 23. seqq.
[3] Esth. 1, 6.
[4] De Doctrina christiana, III, c. 29. n. 40.
[5] Ps. 36, 30; sequitur Prov. 8, 7.

Et *anthropopatos*, ubi dicitur[1]: « Poenitet me fecisse hominem »; et ubi dicitur: « Dimitte me, ne irascatur furor meus ».

Generaliter et in sacris Libris reperitur *methonomya, antonomasia, cathachresis, metalepsis, hyperbatos, periphrasis* et *ironia*, ut per hoc scriptura divina pluribus, immo tropis omnibus obserata appareat et conclusa. In cuius figura scribitur[2], quod « omnis domus Dei vestiebatur cedro habente tornaturas ». *Tropus* enim idem est quod conversio, ideo scriptura divina plena est tropicis tornaturis.

3. Tertio liber sacri canonis omni stilo disseritur, scinditur et sculpitur *physicae indagationis*. Unde Hieronymus in prologo super Isaiam dicit: « Quid loquar de physica, ethica et logica?... Quidquid potest humana lingua proferre et mortalium sensus accipere, isto volumine continetur ». Et Augustinus docet[3], quod « quidquid de loco, situ, naturis animalium, lignorum, herbarum et lapidum aliorumque omnium in scientiis physicis dictum est; hoc tamen valet ad solvendum, sculpendum et incidendum aenigmata scripturarum ». Unde omnis notitia sive historica de factis gentilium, sive metaphysica, sive geometria, sive ars mechanica, sive poetica, seu philosophica invenitur in scriptura sacra multipliciter sculpta — sicut Augustinus[4] deducit et promptum esset, per exempla videre. In cuius figura legitur tertio Regum[5] de Salomone, quod omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis celaturis.

---

[1] Gen. 6, 7; deinde Exod. 32, 10.
[2] III. Reg. 6, 18.
[3] De Doctr. christ. II. c. 29. n. 45.
[4] Ibid. c. 28-30.
[5] Cap. 6, 18. seqq.

Sculpsit enim in eis Cherubim quantum ad scientias philosophicas, et palmas quantum ad mathematicas, et celaturas valde eminentes quantum ad historicas et mathematicas. Sine enim regulis artis mechanicae atque proportionibus male potest intelligi templum Ezechielis, tabernaculum foederis, arca Noë et horologium solis, quod legitur in Isaia [1].

4. Quarto liber sacri canonis omni nodo contexitur et construitur *providae coaptationis,* ita ut qui nescit aut non intelligit illos nodos, nexus et regulas, quibus contexitur et sententia coaptatur, non possit bene proficere in ea. Quas quidem regulas in tertio de Doctrina christiana [2] optime persequitur Augustinus, exponens decem regulas Tychonii et addens ipse alias plures, ita ut sit: prima regula de capite et corpore, — secunda de vero et mystico corpore, — tertia de promissis et lege — quarta de toto et parte, genere et specie, — quinta de numeris et temporibus, — sexta de recapitulatione et anticipatione — septima de diabolo et eius corpore — octavo de distinctione — nona de percunctatione — decima de observatione.

1. Est ergo prima regula, quod, ubi scriptura agit de Domino, saepe se transfert ad eius corpus.

2. Secunda, quod, ubi agitur de corpore Christi vero, saepe transfertur ad Ecclesiam, quae est mysticum corpus eius.

3. Tertia est, quod, ubi agitur de promissis et lege, saepe quod dicit ad literam, est ad spiritum transferendum; ut illud [3]: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem,

---

[1] Cap. 38, 8. [2] Capp. 30-37. [3] Ioan. 6, 54.

non habebitis vitam in vobis ». Verumtamen melius secundum Augustinum vocatur haec regula « de spiritu et litera ».

4. Quarta regula est, quod, ubi agitur de genere et de toto, saepe referendum est ad speciem et ad partem, ut cum dicitur in Ezechiele [1]: « Domus Israel habitavit in terra et polluit illam in via sua ». — Hoc non est intelligendum de toto Israel, sed de Israel secundum carnem; et quod sequitur: « Dabo vobis cor novum et auferam cor lapideum de carne vestra et dabo vobis cor carneum et spiritum meum ponam in medio vestri » — non potest intelligi de toto Israel, sed de reliquiis, quae secundum electionem gratiae salvae factae sunt, ut Apostolus dicit [2].

5. Quinta regula est: Cum agitur de temporibus et legitimis numeris, ut ibi: « Per tempus et tempora et dimidium temporis [3] » — et alibi: « Beatus, qui pervenit usque ad dies 1335» — et alibi: « Qui habet intellectum computet numerum bestiae » — in his omnibus procedendum est a parte ad totum, iuxta illud [4]: « Diem pro anno dedi tibi »; alibi a toto ad partem per synecdochen, ubi dicit Salvator [5]: « Sicut fuit Ionas tribus diebus et tribus noctibus in ventre ceti, sic erit Filius hominis in corde terrae ».

6. Sexta regula est, quod frequenter per recapitulationem et quandoque per anticipationem verba scripturae ordinantur.

---

[1] Cap. 36, 17. et 26. 27. [2] Rom. 9, 27.
[3] Apoc. 12, 14; deinde Dan. 12, 12. et Apoc. 13, 18.
[4] Ezech. 4, 6. [5] Matth. 12, 40.

7. Septima, quod frequenter, cum agitur de diabolo, transferendum est ad eius corpus mysticum, quod est ecclesia impiorum et e converso, ut est illud [1]: « Quomodo cecidisti, lucifer, qui mane oriebaris »? ubi agitur de rege Babylonis, nihilominus transferendum est ad diabolum, qui est caput omnium superborum.

8. Octava regula, quam addit Augustinus, potest dici *distinctio*. Nam aliquando dictione addita ad clausulam praecedentem, est oratio haeretica; quae relata ad posteriorem est catholica et e converso, ut est ibi [2]: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum »; sequitur secundum distinctionem Arii: « Hoc erat in principio apud Deum », nolens confiteri, Deum esse Verbum.

9. Nona regula potest vocari *percunctatio* seu interrogatio, qua non intellecta frequenter in scriptura erratur, ut ubi dicitur [3]: « Deus est, qui iustificat, quis est, qui condemnet »; si (quod sequitur) « Iesus Christus, qui mortuus est », intelligatur responsio et non percunctatio, error est. Nam intelligit Apostolus, quod Iesus Christus interpellat pro nobis et non condemnat.

10. Decima regula potest vocari *observatio*, qua cavendum est secundum Augustinum, an propria sit locutio aut translativa. In qua maxime erraverunt Manichaei, scripturam quantumcumque lite-

---

[1] Isai. 14, 12.
[2] Ioan. 1, 1.
[3] Rom. 8, 33. 34.

ralem et proprie intelligendam dicentes debere intelligi spiritualiter, ut Mariam dicunt non fuisse mulierem, sed significare Ecclesiam; et sic de aliis erroribus multis.

Istis igitur decem regulis, decem funibus, decem nodis, scriptura sacra contexitur et provide coaptatur, ut superbos irrideat, indignis clausula sit, et ne sit plana, ut vilescat, sicut dicit Gregorius [1].

Quocirca in figura huius mirae iuncturae legitur per figuram [2], quod « trabes posuit Salomon in domo Domini per circuitum », et quod « texit domum laquearibus cedrinis ». *Cedri* namque altitudo designat subtilitatem, quare subtiles connexiones sacrae doctrinae proprie designantur per *laquearia cedrina.*

Ex quo igitur liber sacri canonis floride depingitur, tropice concluditur, physice inciditur et sculpitur, provide contexitur et constringitur et ad eius intelligentiam intratur: ideo ipsa est verissime *domus Dei.* Quam etiam prophetalis spiritus admiratur [3], ubi ait: « O Israel! quam magna est domus Dei et ingens locus possessionis eius, magnus et non habens finem, excelsus et immensus », quia ob hoc scripturarum coelestium merito magnificentia et praeeminentia praedicatur sub tropo figurativo, cum dicitur: « Ad montem Domini et ad domum Dei Iacob »; quod erat secundario declarandum.

---

[1] Moral. XX. c. 1.
[2] III. Reg. 6, 6. 9.
[3] Baruch 3, 24. 25.

TERTIUS ARTICULUS.

Divisio generalis bibliae in octo partes principales.

Et docebit nos vias suas.

Ultimo doctrinarum sublimium et gratiarum nobilium propalatur exuberantia sub verbo exspectativo, cum dicitur: « Et docebit nos vias suas »; ubi considerandum, quod scriptura divina potest *dividi in octo partes principales,* secundum octo modos docendi, quos assumit.

I. *Octo modi docendi.*

1. Docet namque *politice* et legislative in prima sui parte, in quinque libris Moysi, scilicet in Pentateucho.

2. Docet ibi secundo *chronice* seu historice et enarrative in altera sui parte, videlicet in decem libris: Iosue, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Esdrae, Tobiae, Iudith, Esther, Machabaeorum.

3. Docet vero tertio *hymnidice* et quasi poëtice et decantative in altera sui parte, videlicet in tribus libris: Psalmorum, Threnorum et Cantici Canticorum.

4. Docet quarto *prophetice* et declarative quasi per modum homiliarum, sermonum et praedicationum in alia sui parte, videlicet in sex libris: Isaiae, Ieremiae, Baruch, Ezechiel, Daniel et libro duodecim prophetarum.

5. Docet quinto *dialectice* et disputative in alia sui parte, scilicet in duobus libris: Iob et Ecclesia-

stes. In utroque enim disceptative, concionative et disputative proceditur.

6. Docet vero sexto *monastice,* seu ethice et consultative in alia sui parte, videlicet in tribus libris: Proverbiorum, Sapientiae et Ecclesiastici.

Quia sub istis sex modis docendi comprehenduntur omnes libri veteris testamenti.

7. Docet vero septimo *testimonialiter* et affirmative eo modo, quo notarii assueti sunt de veritate informare homines; et hoc in prima parte novi testamenti, videlicet in evangeliis.

8. Docet vero octavo *epistolariter* et destinative in secunda parte novi testamenti, videlicet in quatuor libris, scilicet in decem epistolis Pauli, in Actibus, qui liber fuit epistola ad Theophilum missa, sicut ex principio patet: « Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile » etc. Similiter et in libris *septem canonicarum* [1] et ultimo in libro Apocalypsis; qui liber est epistolaris et missus est, ut in principio dicitur [2]: « Quam dedit illi Deus palam facere servis suis, mittens per angelum servo suo Ioanni »; et statim sequitur epistolare exordium cum sua salutatione: « Ioannes septem ecclesiis, quae sunt in Asia. Gratia vobis et pax ab eo, qui est et qui erat et qui venturus est ». Et sequitur narratio: « Ego Ioannes, frater vester et particeps et socius in tribulatione, fui in insula, quae appellatur Pathmos, et fui in spiritu dominica die, et audivi post me vocem magnam ».

---

[1] Nunc apostolicae dicuntur.

[2] Cap. 1, 1; deinde 1, 4. et 1, 9. 10.

II. *Domus varia.*

Circa quod consideratur, quod in istis octo partibus occurrit liber sacri canonis quasi varia domus Dei, ut bene dicatur in verbo proposito: *Venite, ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob.* — Occurrit enim

a) ut *domus lapidea* in parte legislativa ratione gravitatis legis, cuius pondus et onus vix filii Israel potuerunt unquam portare [1], a quo onere liberavit nos Christus.

b) Quasi *domus lignea* in parte enarrativa ratione aequitatis; nam ibi divina iustitia super observatores et transgressores legis, qualiter se habuit, enarratur.

c) Ut *domus eburnea* in parte decantativa ratione voluptatis et suavitatis, ut patet in Psalmis et Canticis.

d) Quasi *domus nubea* in parte declamativa in libris prophetarum ratione obscuritatis; « tenebrosa enim aqua in nubibus aëris [2] » et est profunda intelligentia in prophetis.

e) Quasi *domus aurea* in parte consultativa in libris sapientialibus ratione honestatis et sapientiae, quae ibi docetur.

f) Quasi *domus bellica* in parte disceptativa ratione diversitatis et contrariae probabilitatis, sicut patet in Iob, ubi est varius conflictus rationum.

---

[1] Respicitur Act. 15, 10.

[2] Ps. 17, 11.

g) Quasi *domus coelica* in parte attestativa quatuor evangeliorum ratione maiestatis Christi, quae ibi principaliter exhibetur quasi in coelis.

h) Quasi *domus rorida* in parte destinativa epistolarum et librorum epistolarium; rigaverunt enim in libris illis apostoli et foecundaverunt Ecclesiam doctrinis suis.

Venite ergo, ascendamus, inquam, *ad domum Domini.*

III. *Ascensio octuplex.*

1. Ascendamus, inquam, *ad domum lapideam* et ad libros legislativos, et docebimur de *viis timoris.* Lex enim illa ut lex lapidea, lex timoris, sicut scriptum est[1]: « Domus, cum aedificaretur, de lapidibus dolatis aedificata est ». Quia in alio loco dicitur[2]: « Venite filii, audite me; timorem Domini docebo vos ».

2. Venite secundo, ascendamus ad *domum Dei ligneam,* ad libros scilicet enarrationis, et docebimur de *viis rigoris.* Ibi enim manifestatur Dei iustitia in punitionibus hominum, qui recesserunt ab eo, utpote Saul, Ieroboam, Achab; et in exaltationibus aliorum, qui tenuerunt se cum eo, videlicet Samuel, David, Ezechias et Iosue. Unde scriptum est[3], quod « Salomon aedificavit parietes domus intrinsecus et cooperuit lignis cedrinis ». Et de hac doctrina per viam rigoris habetur in Psalmo[4]: « Disciplina tua correxit me in finem, et disciplina tua ipsa me docebit ».

---

[1] III. Reg. 6, 7. [2] Ps. 33, 12.
[3] III. Reg. 6, 15. [4] Ps. 17, 36.

3. Ascendamus tertio ad *domum Dei eburneam*, ad libros decantativos scilicet, et docebimur de *viis dulcoris*. Unde scriptum est[1]: « Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiae regum in honore tuo ». Et de hac doctrina per modum dulcoris scribitur in Proverbiis[2]: « Comede, fili mi, mel, quia bonum, et favum dulcissimum gutturi tuo; sic doctrina animae tuae »; et primo Paralipomenon[3] dicitur, quod « erudiebant canticum Domini cuncti doctores ».

4. Ascendamus quarto ad *domum Dei bellicam*, videlicet ad libros disceptativos, et docebimur de *viis vigoris*, investigare scilicet cum multo vigore ratione divinorum iudiciorum, sicut patet in libro Iob. Et haec est domus, de qua scriptum est[4], quod « erat concertatio magna inter domum David et inter domum Saul; domus autem Saul deficiebat quotidie ». Nam inter Iob et amicos suos fuit concertatio, donec amici sui convicti sunt et defecerunt. Et similiter in Ecclesiaste legitur longa concertatio inter stultum et sapientem virum, quorum personas Salomon vicissim induit quasi concionator. De hoc autem modo docendi per modum vigorosum et bellicum decantabat Propheta[5]: « Qui docet manus meas ad proelium et digitos meos ad bellum ».

5. Ascendamus quinto ad *domum Dei auream*, ad libros scilicet consultationis, et docebimur de *viis decoris*. Scriptum est[6] namque, quod « nihil erat in domo Domini, quod non auro tegeretur ».

---

[1] Ps. 44, 9. [2] Cap. 24, 13. [3] Cap. 25, 7.
[4] II. Reg. 3, 1. [5] Ps. 143, 1. [6] III. Reg. 6, 22.

Et de doctrina decentissima librorum sapientialium ad literam dicitur [1], quod « doctrix est sapientia Dei et electrix operum illius ». Quocirca qui docti fuerint et in libris sapientialibus eruditi, « fulgebunt quasi splendor firmamenti et quasi stellae in perpetuas aeternitates », sicut promittit Gabriel angelus [2].

6. Ascendamus sexto ad *domum Dei nubeam*, ad libros scilicet declamationis omnium prophetarum, et docebimur de *viis splendoris*. Scriptum est enim [3], quod « domus Dei impleta est nube », et dicitur [4]: « Nebula implevit domum Domini, et non poterant sacerdotes propter nebulam ministrare ». In libris namque prophetatibus nebulosis non patet de facili intellectus, ut homo non possit explicare, nisi quia splendores et refulgentiae Iesu Christi apparent in eis aliquando sicut radius solaris in nube. Et per istum splendorem docebimur in libris prophetalibus; nam aliter clausi sunt omnino sermones; Ioannes [5]: « Iesus autem perrexit in montem Oliveti, et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos ».

7. Ascendamus septimo ad *domum Domini coelicam*, ad libros attestationis quatuor Evangeliorum, et ibi docebimur de *viis amoris*. Haec est enim illa domus, de qua Iacob post visum somnium admiratur, dicens [6]: « Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam »; et sequitur: « Non est hic aliud nisi domus Dei et porta coeli ». Et ideo qui docen-

---

[1] Sap. 8, 4. [2] Dan. 12, 3. [3] II. Paralip. 5, 13.
[4] III. Reg. 8, 10. [5] Cap. 8, 1. [6] Gen. 28, 16.

tur in hac domo, docentur amorose a Deo et modo filiali, sicut scriptum est [1]: « Erunt omnes docibiles Dei »; « universos filios tuos doctos a Domino et multitudinem pacis filiis tuis ». « Ponam in lapidem propugnacula tua et omnes terminos tuos in lapides desiderabiles ».

8. Ascendamus ultimo ad *domum Dei rotundam,* ad libros scilicet salutationis et epistolares; ibi docebimur de *viis foecundationis et rigativi humoris,* sicut scriptum est [2]: « Fons egredietur de domo Domini »; et « erit fons patens domui David et habitatoribus Ierusalem [3] ». Ex qua oritur illa sapientia et doctrina, quae praeloquitur dicens [4]: « Ego sapientia effudi flumina ». « Dixi: Rigabo hortum plantationum et inebriabo prati mei fructum ». « Quoniam doctrinam quasi antelucanam omnibus illumino ».

Sic igitur in octo scholis et in octo domibus supradictis docet nos Dominus vias suas. De qua quidem inexplicabili doctrina, in istis octo domibus comprehensa, et viis inscrutabilibus sapientiae, quae in istis libris docetur, Hieronymus per modum cuiusdam epilogi loquens in prologo super Psalmos [5] ait: « Quid hic non inveniatur, quod faciat ad utilitatem aut ad aedificationem humani generis, conditionis, sexus, aetatis? Habet enim hic infans, quod lactet; puer, quod laudet; adolescens, quod corrigat; iuvenis, quod loquatur vel sequatur; senior, quod precetur. Hic discet femina pudicitiam,

---

[1] Ioan. 6, 45; sequuntur Isai. 54, 13. et 54, 12.
[2] Ioel 3, 18. [3] Zach. 13, 1. [4] Eccl. 24, 40. 42. 44.
[5] Non invenitur in operibus Hieronymi.

parvuli invenient pietatem, viduae iudicem, pauperes protectorem, advenae custodem. Hic inveniunt reges, quod audiant; iudices, quod timeant. Hic tristem consolatur, laetum temperat, iratum mitigat, pauperem recreat; divitem, ut se agnoscat, increpat; omnibus se sustinentibus et suscipientibus apta medicamenta tribuit, nec peccatorem despicit, sed remedium ei per poenitentiam ingerit. Post haec Deus ostenditur, simulacra irridentur, fides asseritur, perfidia repudiatur, iustitia ingreditur, prohibetur iniquitas, misericordia laudatur, crudelitas abdicatur, veritas requiritur, mendacium damnatur, dolus accusatur, praedicatur poenitentia, pax sequenda promittitur, spes certa nutritur. Quodque in his omnibus est excellentius Christi sacramenta laudantur». — Haec Hieronymus.

Sane hoc attendendum est, quod scriptura sacra non potest dividi per partes subiectivas aut integrales sui subiecti, cum Deus simplicissimus sit, sicut ceterae scientiae dividuntur secundum regulam philosophi[1]: «Secantur scientiae quemadmodum et res», de quibus sunt. Nec potest dividi per veritates theologicas artificialiter contra se distributas, quoniam quasi in quolibet libro tractatur de veritatibus istis, ut quasi quilibet sanctorum scriptorum composuerit suam theoriam, quantum Spiritui sancto utile et necessarium visum est secundum Augustinum[2]. Unde de mysterio Trinitatis, de incarnatione, de iustitia Dei et aliis perfectionibus in quolibet libro scripturae sacrae aliquid reperitur.

---

[1] Aristot., III. de Anima, text. 38. (in ed. Firmin-Didot c. 8.).

[2] De Civ. Dei, XI. c. 2.

Historiae et quae in libris chronicis tractantur narrative, in libris propheticis ponuntur praedicative, in Psalmis decantative et in libris sapientialibus conclusive. Nam sapientiales sententiae non sunt nisi quaedam generales regulae, collectae ex historiis, ex his, quae vel bonis vel malis hominibus evenerunt, sicuti colligi potest ex prologo super librum Ecclesiasticum. Cum ergo libri scripturae non possint dividi penes materiam, necesse est, quod dividantur penes modum docendi. Innuit quidem scriptura omnem modum persuadendi, quia traditur practice, et idcirco videtur magis posse artificialiter dividi per illos octo modos, homines practice instruendi, de quibus dictum est.

VETUS

TESTAMENTUM

I. PARS POLITICA.

Hic ponitur divisio primae partis scripturae, quae politica est.

Pentateuchus.

Incipit prima pars scripturae divinae.

Itaque prima pars, quae est politica et legislativa, sub librorum quinario continetur. Tractatur enim

1. de qualitate *Domini* legem iniungentis,
2. de qualitate *famuli* legem proponentis,
3. de qualitate *cumuli* legem continentis,
4. de qualitate *populi* legem admittentis,
5. de brevitate *epilogi* legem exponentis.

1. Genesis.

1. Incipit ergo *Genesis* pars politica et tractat de Domino legem iniungente, describens eius *omnipotentiam: a)* pro eo, quod *creator* omnium fuit a principio, quod declarat in 5 capitulis; *b)* pro

eo, quod *salvator* fuit omnium hominum sub diluvio, quod declarat in aliis 4 capitulis; *c)* pro eo, quod *disseminator* omnium gentium, confuso labio per universum mundum, quod declarat in 2 capitulis.

2. Describit etiam eius *benevolentiam* et amicitiam ad homines, praecipue ad patres Israëlis spiritualis et carnalis. Et ostendit:

a) ex *Abrahae segregatione;* quantum ad locum: « Egredere de terra tua et cognatione tua [1] »; quantum ad signum circumcisionis, (et) quantum ad factum oblationis filii (cap. 12-25.).

b) Similiter ex *Isaac custoditione,* quem servavit et custodivit inter illas nefarias nationes (cap. 25-29.).

c) Similiter ex *Iacob praeelectione* et multiplicatione (cap. 29-39.).

d) Similiter ex *Ioseph exaltatione* a capite 29 usque ad finem.

Argumentum. Acsi vellet ita arguere liber ille: Leges illius Dei, qui est omnipotentissimus et solus Deus benevolus, sunt ab hominibus observandae. Sed ille Deus, qui leges, quae ponuntur in hoc tractatu politico, instituit et iniunxit, est solus Deus omnipotentissimus et humano generi summe benevolus, et maxime patribus sanctis: ergo illius leges sunt ab omnibus observandae. Unde sicut politicae (leges) humanitus inventae incipiunt a fine omnium actuum humanorum; sic ista politica (lex) divinitus revelata incipiat oportet a principio productivo universorum, a quo tamquam ab iniungente omnes leges bonitatem et rectitudinem sortiuntur.

---

[1] Cap. 12, 1.

2. Exodus.

Nunc accedit liber *Exodus* quasi liber secundus et tractat de *famulo* legem proponente, videlicet de *Moyse,* describens:

a) qualiter fuit miraculose *servatus* in scirpo (cap. 1-2.);

b) qualiter fuit malitiose *effugatus* ex Aegypto ibi: « Numquid vis me interficere, sicut occidisti hominem aegyptium »? Sequitur, quod fugit in terram Madian et hoc in fine capituli secundi;

c) qualiter fuit imperiose *destinatus* a Deo (c. 3-4.);

d) qualiter fuit prodigiose *operatus* in plagarum denario (c. 5-14.);

e) qualiter fuit gloriose *magnificatus* et manifestatus coram populo (c. 14-19.);

f) unde dicitur ibi, quod « populus timuit Dominum et crediderunt Domino et Moysi, servo suo » [1].

Argumentum. Acsi vellet arguere liber ille usque ad locum illum: Sic famulo Dei credendum est in his, quae ex parte Dei proponit; sed Moyses fuit famulus Dei vere, ut ex his quae pertracto, iam patet: ergo Moysi credendum quoad leges et alia, quae ex parte Dei proponit.

3. Leviticus.

Nunc accedit *Exodus* a decimonono et *Leviticus* et tractat de *cumulo* legem continente, videlicet de multitudine legum.

---

[1] Cap. 14, 31.

a) De legibus, quae regulant hominem quantum ad *moralia* (Exod. c. 19-21.).

b) De legibus, quae regulant hominem quantum ad *iudicia* (c. 21-23.).

c) De legibus, quae regulant hominem quantum ad *obsequia,* exhibenda Deo ibi. De legibus tabernaculi, utensilium et indumentorum (c. 23. usque in finem Exodi).

d) De legibus *sacrificii* et offerendorum (Lev. c. 1-7.).

e) De legibus *sacerdotii* et consecrandorum (c. 8-10.).

f) De legibus *edulii* et cibariorum, quae animalia sunt munda et quae immunda (c. 11.).

g) De legibus *puerperii* atque immundorum, quia de puerperis, leprosis et semifluis, idolatricis suffocatis, incestuosis, morticinis (c. 12-22.).

h) De legibus *iubilaei,* phase et solemniorum (c. 23-25.).

i) De legibus *voti voluntarii* atque promissorum, et occasione huius ponuntur promissiones plurium bonorum observantibus legem (c. 26-27. usque in finem).

Incipit liber Numerorum.

4. Numeri.

Nunc accedit liber *Numerorum* et tractat de *populo,* legem admittente, describens octo numeros:

a) Numerum *pugnatorum* et eorum collocationem circa tabernaculum in castris; et hoc tam levitarum quam omnium filiorum Israel; et mandat, eiici omnem leprosum a castris et applicari nazareum (c. 1-6.).

b) Numerum *oblatorum* et eorum distributionem, quid et quantum quilibet princeps obtulit post numerationem (c. 7.).

c) Numerum *ministrorum,* levitarum scilicet et sacerdotum et eorum deputationem ad diversa officia (c. 8-12.).

d) Numerum *exploratorum* et eorum deturbationem, quantum populum turbaverunt (c. 13-15.).

e) Numerum *peccatorum* Chore, Dathan et Abyron, et *fornicatorum,* qui initiati sunt Beelphegor cum Madianitis iuxta consilium Balaam et eorum interfectionem (c. 16-25.).

f) Numerum *genitorum* de novo in deserto, mortuo toto populo antiquo, qui prius fuerat numeratus, et eorum destinationem ad bellum (c. 26-32.).

g) Numerum *mansionum* et eorum collectionem (c. 33-37.).

h) Ultimo numerum *praesidiorum,* sex civitatum confugii et eorum assignationem (c. 34. usque ad finem).

Argumentum. Acsi velit ita arguere liber iste: Scientia politicae si bene tractatur, debet populum disponere et sub certo numero ordinare, ut patet septimo Politicae [1]; sed ista politica est divina et bene tradita: ergo populus debuit, ut praedictum est, sub certis numeris ordinari.

Incipit liber Deuteronomii.

5. Deuteronomium.

Nunc accedit liber *Deuteronomii* et tractat de *epilogo* legem exponente. Et primo:

---

[1] Aristot.

a) Ponit epilogum *itineris* et laborum (c. 1-3.);

b) epilogum *foederis* et praeceptorum tam iudicialium quam moralium quam aliorum (c. 4-26.);

c) epilogum multiplicis *muneris* et promissorum in observantes leges et multiplicis *afflictionis* atque malorum in transgressores (c. 27-32.). Ibi ponitur benedictio et maledictio, et invocatur coelum et terra, ut patet in cantico, quod concluditur: « Audite, coeli, quae loquor »!

d) ponit epilogum et summam *futurorum* (c. 33-34.), unde Moyses benedicendo filiis Israel, quae futura erant, cuilibet tribui prophetice cum quadam brevitate summavit.

Argumentum. Acsi sic vellet arguere liber ille: Nullus potest se excusare ab observantia legis clare expositae, clare et breviter explicatae post suam definitionem; sic fit in processu meo, ut declaratum est: igitur ab observantia legis politicae nullus potest se rationabiliter excusare.

Et sic finitur tota pars politica et legislativa totius sacrae scripturae, cuius ascensus est arenosus, quia sterilis, si intelligatur ad literam; et tamen fructuosus, si intelligatur de Christo per allegoriam; Ecclesiasticus [1]: « Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani », hoc est in affectibus Iudaeorum, qui inveterati sunt et obstinati in observantia legis; cum tamen scriptum sit [2]: « Vetera transierunt », dicente Apostolo [3], « novum veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est ».

---

[1] Cap. 25, 27. [2] II. Cor. 5, 17. [3] Hebr. 8, 13.

Venite ergo, Theologi, et ascendamus ad partem legislativam, non cum ascensu arenoso, sed sicut scriptum est [1]: « Consurgite et ascendamus in meridie », intellectum spiritualem per meridiem accipientes.

---

[1] Ierem. 6, 4.

II. PARS HISTORICA.

Hic ponitur divisio secundae partis, quae est historica.

LIBRI: Iosue, Iudicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Esdras et Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Machabaeorum.

Incipit secunda pars scripturae divinae.

Secunda pars, quae est historica et enarrativa sub librorum denario continetur. Non intendit enim illa pars nisi unam conclusionem, hanc scilicet, quod Deus adimplevit circa terram promissionis filiis Israel, quae comminatus est, vel quae promisit.

Promisit namque respectu terrae promissionis:

1. Quod eos illuc *induceret:* « Dabo vobis terram fluentem lac et mel [1] ».

2. Quod eos *defenderet:* « Dominus Deus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis [2] ».

3. Quod oppressos *erigeret* et leniret.

4. Quod eos erigeret *in sublime:* « Faciet te Dominus excelsiorem cunctis gentibus [3] ».

---

[1] Exod. 3, 17. [2] Ib. 14, 14. [3] Deut. 26, 19.

5. Comminatus est, quod eos *reiiceret*, si non observarent legem.

6. Comminatus est, quod eos *eiiceret* de terra et captivaret.

7. Promisit, quod in captivitate eos *non desereret*, immo assisteret.

8. Promisit, quod eos *reduceret* et ad terram promissionis iterum revocaret [1].

Patent haec omnia Deuteronomii 29. 28. 27. et in parte prima per totum.

Incipit liber Iosue.

Iosue.

Incipit ergo *Iosue* partem historicam et enarrationem et intendit unam conclusionem, scilicet Deum fuisse respectu filiorum Israel quoad terram promissionis *stupendum inductorem*. Quod patet:

1. Ex Iordani divisione.

2. Ex murorum Iericho stupenda collisione.

3. Ex quinque regum captione.

4. Ex totius terrae depopulatione, quae obtinebatur a triginta et uno regibus.

5. Et demum ex totius terrae per sortes et funiculos distributione.

Haec enim concludunt, Dominum fuisse evidenter stupendum inductorem filiorum Israel in terram promissionis.

Incipit liber Iudicum.

---

[1] Deut. 29. etc.

Iudicum.

Tunc accedit liber *Iudicum,* qui est secundus et intendit conclusionem aliam, scilicet Deum extitisse *providum redemptorem* et salvatorem, et hoc sub 14 iudicibus. Cum enim peccarent Domino, tradebat eos in manibus nationum, et cum revertebantur ad ipsum, mittebat eis (salvatorem): Othoniel, Hado, Sangaz, Debora, Gedeon, Abimelech, Kelnar, Iephte, Abethim, Hailon, Abdon, Samson et Heh sacerdotem.

Incipit liber Ruth.

Ruth.

Tunc accedit liber *Ruth* et intendit unam conclusionem, scilicet Deum esse *placidum lenitorem* oppressis. Quod probat ex Elimelech peregrinatione et Noëmi reversione et ex Ruth desponsatione.

Incipit

I. et II. liber Regum et I. Paralipomenon.

Nunc accedit *primus et secundus liber Regum* et *primus Paralipomenon* et *pars secundi,* et intendunt quartam conclusionem, scilicet Deum esse *maximum erectorem* filiorum Israel. Sublimavit enim eos in regnum. Quod apparet in Samuele a principio primi Regum usque ad caput 17; et in David per totum residuum et per totum librum secundum; et in Salomone a principio tertii usque ad caput 22.

III. et IV. Regum et II. Paralipomenon.

Nunc accedit *liber Regum tertius* a capite 12. usque ad finem *quarti* libri et intendit quintam conclusionem, videlicet Deum fuisse *validum correctorem* populi Israelitici. Quod declarat ex decursu 19 regum Iuda et regno Israel. Per omnia enim, cum reliquissent Dominum, iverunt continue decrescendo.

Nunc accedit finis *quarti Regum* et *secundi Paralipomenon,* et intendunt sextam conclusionem, scilicet Deum fuisse regum *eiectorem* et *captivatorem* populi sub Theglathphalasar, Salmanasar, Senacherib, Nabuchodonor, regibus Assyriorum et Chaldaeorum.

Incipit liber

Esdrae et Nehemiae.

Nunc accedit *liber Esdrae et Nehemiae,* et intendunt conclusionem septimam, videlicet Deum fuisse *propitium reductorem* de captivitate sub Cyro, Dario et regibus Medorum.

Incipiunt quatuor libri

Tobiae, Iudith, Esther, Machabaeorum.

Nunc accedunt quatuor libri *Tobiae, Iudith, Esther, Machabaeorum,* et intendunt octavam conclusionem, videlicet Deum fuisse *praecipuum adiutorem* et adstitorem tempore captivitatis.

1. Adstitit enim *Tobiae* sub prima captivitate, quae fuit Assyriorum.

2. Et adstitit *Iudith* et universo populo sub captivitate secundi Nabuchodonor regis Assyriorum.

3. Et adstitit *Esther* et toti populo sub captivitate Medorum.

4. Adstitit *Machabaeis* et universo populo sub captivitate Graecorum, ut secundum hoc denarius historialium librorum apte clamet, Deum complevisse, quidquid comminatus est et promisit transgressoribus et observantibus suae legis.

Nec ad alium finem historiae ordinantur. Non enim intendit sacra scriptura historias propter se, sed in ordine ad Deum.

Ad hanc partem historicam est ascensus scorpiosus; et lingit et pungit; et isti libri inducunt Deum lenientem per misericordiam legis observatores et punientem ac pungentem per iustitiam transgressores, de quo ascensu scribitur in figura Numerorum [1], quod terra promissionis « circuibat australem plagam per ascensum Scorpionis »; plaga enim australis designat Dei iudicia contra transgressores divinae legis, ex zelo iustitiae facta.

---

[1] Cap. 34, 4.

III. PARS HYMNODICA.

Hic ponitur divisio tertiae partis, quae est hymnodica.

LIBRI: Psalmorum, Threnorum et Cantica canticorum.

Incipit tertia pars divinae scripturae.

Tertia pars divinae scripturae, quae est hymnodica et quasi poëtica et decantativa, sub librorum ternario continetur. Est enim sciendum, quod cantus poëtici dividuntur in tria genera scilicet:

1. In *carmina,* quae sunt cantus laetitiae; Boethius de Consolatione[1]: « Carmina quorundam ».

2. In *elega* (elegias), quae sunt moestitiae cantus; sicut ibidem sequitur: « Et veris elegi fletibus ora rigant ».

3. In *dramata,* quae sunt amicitiae cantus.

Et secundum haec pars decantativa scripturae divinae ad modum sacrae poëtriae dividitur in librum

[1] Boethius, I. de Consolatione, Metrum 1. v. 2: Carmina, qui quondam studio florente peregi; v. 3: Et veris elegi fletibus ora rigante.

a) Psalmorum, qui continet carmina laetitiae et dulcoris; et in librum

b) Threnorum, qui continet elegias miseriae et doloris; et in

c) Cantica canticorum, qui continet dramata gratiae et amoris.

Liber Psalmorum.

Incipit igitur partem poëticam et decantativam *liber psalmorum,* qui continet carmina laetitiae et dulcoris, et dividitur

1. in *alleluia,*
2. in *cantica,*
3. in *orationes,*
4. in *intellectus,*
5. in *psalmos,*
6. in *titulos.*

Continet enim 77 psalmos, 18 intellectus, 28 cantica, 6 titulos, 17 alleluia et 4 orationes, qui simul iuncti 150 psalmos efficiunt.

1. Carmina namque, quae in psalterio continentur, quaedam sunt, quae dicuntur *alleluia* a iubilo uberiori, sicut: « Lauda, anima mea, Dominum » (Ps. 145.). — « Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus » (Ps. 146.). — « Laudate Dominum de coelis » (Ps. 148.) — et sic de aliis, in quibus David exprimebat magnum iubilum cordis sui erumpentis sic in laudem Dei.

2. Quaedam vero dicuntur *cantica* a labio exteriori, quia ore a levitis et sacerdotibus cane-

bantur, sicut patet in cantico 15 graduum [1] (Ps. 119-133.); propter quod hoc taliter nominantur, quia dum David ascendebat ad domum Domini per scalam 15 graduum, in quolibet gradu unum ex illis canticis canebatur, et in ultimo gradu, qui iam erat in atrio domus Domini, canebatur: « Ecce nunc benedicite Dominum, qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri » (Ps. 133.).

3. Quaedam vero dicta sunt *intellectus* a radio profundiori, prout ibi propheta « in finem », hoc est in futurum de Christo profundius speculabatur, sicut patet in illo Psalmo: « Misericordias Domini cantabo in aeternum » (Ps. 88.); ubi praedicitur de Christo (v. 27.): « Ipse invocavit me alleluia, pater meus es tu »; et de passione subiungitur (v. 39.): « Tu vero repulisti et despexisti, distulisti Christum tuum ». Ideo illi Psalmo praemittitur « intellectus » in subscriptione.

4. Quaedam vero absolute appellata sunt *Psalmi* ab organo exteriori, quia in cithara et psalterio canebantur.

5. Quaedam vero dicta sunt *tituli* a stadio propinquiori, quasi tunc magis propinqua intitularet Christum et maxime in passione, sicut patet in illo Psalmo (58.): « Eripe me ab inimicis meis, Deus meus », cui scribitur: « Ne disperdas vel corrumpas David » in tituli descriptione.

6. Quaedam vero *orationes* dicta sunt ab animo ferventiori, sicut patet in illo Psalmo (16.): « Exaudi, Domine, iustitiam meam, intende deprecationem meam, auribus percipe orationem meam, de vultu

---

[1] Psalmi Graduales, scil.

tuo iudicium meum prodeat » etc., cui inscribitur : « Oratio David ».

Et sub istis sex tota psalmorum diversitas continetur.

Ulterius sciendum, quod illa pars, quae absolute dicitur *Psalmus,* aliquando est expressio laudis divinae in generali, et tunc absolute intitulatur *Psalmus David.* Aliquando vero pro aliqua causa in speciali, et tunc additur *Psalmus David, cum fugeret a facie Absalon,* ut in illo (3.): « Domine, quid multiplicati sunt »? vel « cum ascendissent Philistaei ad quaerendum eum, cum audissent, quod inunctus esset in regem, ut in illo (2.): « Quare fremuerunt gentes »? vel cum venit ad eum Nathan, quando intravit ad Bersabee, ut in illo Psalmo (50.): « Miserere mei, Deus »; et sic de aliis multis Psalmis.

Aliqui vero pro *persona aliqua in speciali,* vel pro levitis cantoribus, qui fuerint in triplici ordine, ut patet in primo Paralipomenon [1]. Quia quidam erant sub manu *Asaph,* quidam sub manu *Ethan ;* et ideo aliqui Psalmi intitulantur *Asaph,* tamquam cantandi per illum ordinem levitarum, sicut est ille (49.): « Deus Deorum Dominus locutus est », et (18.): « Deus venerunt in haereditatem gentes » et sic de pluribus aliis. — Quidam per *Idithum,* ut (38.): « Dixi, custodiam vias meas ». — Quidam pro filiis *Ethan,* ut (88.): « Misericordias Domini in aeternum cantabo ».

Levitis vero ianitoribus, quod erant filii *Chore* intitulantur multi Psalmi ad informationem eorum

[1] Cap. 26, 1. seqq.

sicut (48.): « Audite hoc omnes gentes »; et (47.): « Magnus Dominus et laudabilis nimis ».

Aliquando pro *diversis temporibus* et tunc intitulantur vel pro rememoratione Sabbati, ut (6.): « Domine, ne in furore tuo »; vel secunda Sabbati, ut (47.): « Magnus Dominus »; vel tertia Sabbati, ut (93.): « Deus ultionum »; vel quarta Sabbati, ut (80.): « Exultate Deo adiutori nostro » et sic de aliis. Quia Psalmi illi cantandi erant a diebus illis in consummatione sacrificii. Psalmi vero illi, qui intitulantur vel in *Salomonem*, ut (71.): « Deus iudicium tuum regi da », vel in *Moysen*, ut (89.): « Domine, refugium factus es nobis », vel in *Ieremiam*, *Aggeum* et *Zachariam*, ut (111.): « Beatus vir, qui timet Dominum »; et (136.): « Super flumina Babylonis », facti sunt a David, sed pro persona illorum accipiuntur aliquoties.

Incipit liber

Cantici canticorum.

Divisio Cantici canticorum. — Nunc accedit liber secundus in parte decantativa, scil. *Canticum canticorum* et introducit quatuor personas, scilicet sponsum, sponsam, sodales sponsi et adolescentulas socias sponsae. Et hoc super *decem collationibus*, in quarum qualibet primo loquitur sponsa, deinde sponsus. Et intermiscentur interrogationes et responsiones sodalium et adolescentularum.

Et licet apud Iudaeos quidam autument, quod librum illum Salomon composuerit de sponsa sua filia Pharaonis, nihilominus Iudaei melius sentientes dicunt, quod composuit eum de synagoga, sive

de populo Israelitico et unico vero Deo. Omnibus enim aliis nationibus conversis ad idola, soli filii Israel sibi desponsaverant verum Deum. Et propter hoc Salomon amorem Dei ad filios Israel et e converso sub metaphora sponsi et sponsae nititur explicare.

Dividitur quoque in decem partes principales:

1. Primo agitur de *patrum peregrinatione* Thare, Abraham, Isaac et Iacob, qui egressi sunt de Ur Chaldaeorum. In primo dramate: « Osculetur me osculo oris sui » (cap. 1, 1.).

2. Secundo de *plebis multiplicatione*, de qua in Exodo in principio. In secundo dramate: « Dum esset rex » etc. (1, 11.).

3. Tertio agit de *plebis oppressione* ab Aegyptiis. In tertio dramate: « Ecce tu pulchra es » (1, 14.).

4. Quarto de *Dei descensione* et apparitione in rubo Moysi. In quarto dramate: « Sicut malus inter ligna silvarum » (2, 3.).

5. Quinto de *plebis egressione* ex Aegypto. In quinto dramate: « Vox dilecti mei » (2, 8.), ubi agitur et de egressione: « Surge, propera amica mea » (2, 10.). Et de columnae nubis praecessione: « Ecce iste venit saliens »; et de legislatione: « Sonet vox tua in auribus meis »; et de Amalech debellatione: « Capite nobis vulpes » etc. (2, 15.).

6. Sexto agitur de *eragatione per desertum* quadraginta annis; et ibi primo de circuitione, quam fecerant propter peccatum murmurationis: « Surgam et circuibo civitatem ». Deinde de novo populo generato, mortuis praecedentibus, tractat de vocatione ad ingressum terrae sanctae, qualiter ascen-

derunt per montes Galaad trans Iordanem et coeperunt, ibi: « Capilli tui sicut greges caprarum » (4, 1.). Deinde tractat de contemplatione terrae sanctae, cùm ascendit Moyses in monte Sair, ibi: « Veni de Libano » (4, 8.), ubi continetur invitatio Domini ad terram sanctam, facta sub Iosue. In dramate sexto: « Dilectus meus mihi et ego illi » (2, 16.).

7. Septimo agit de *introductione;* in septimo dramate: « Veniat dilectus meus », et ibi tractat primo quomodo coeperunt comedere de fructibus terrae sanctae et cessavit manna, ut dicitur Iosue [1], et hoc cum dicit: « Comede favum meum cum melle meo » (5, 1.).

8. Octavo agit de *dilatatione synagogae* et radicatione ipsius et exaltatione in terra promissionis et de gloria, quam obtinuit sub temporibus illis usque ad tempora Salomonis; et hoc in octavo dramate: « Ego dormio et cor meum vigilat « (5, 2.). Ubi primo agit de persecutione et liberatione eorum sub temporibus iudicum, ubi legitur: « Invenerunt me custodes » etc. (5, 7.); et de populi clamore et reversione ad Deum: « Adiuro vos, filiae Ierusalem » (5, 8.).

9. Nono agitur de *plebis Israeliticae eruditione* et sapientia sub tempore Salomonis; in nono dramate, quod incipit: « Ego murus et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens », et sequitur: « Vinea fui pacifico » (8, 10. 11.). Ex quo patet, quod loquitur filiis Israel,

---

[1] Cap. 5, 11. 12.

quia scriptum est[1]: « Vinea Domini Sabaoth domus Israel est ».

10. Ultima vero sponsae vox est de *sponsi aeterni inhabitatione* in populo Israel, relictis nationibus. Unde dicit: « Fuge, dilecte mi » ab his nationibus, « assimilare capreae, hinnuloque cervorum super montes aromatum » (8, 14.). Hoc est: Commorare in templo, in monte Sion, ubi fumigabantur et offerebantur Deo aromata, thymiamata et incensum.

Incipit divinus liber Threnorum Ieremiae.

Threni.

Divisio Threnorum. — Nunc accedit liber tertius, scilicet *Threnorum,* qui continet elegias, cantus scilicet tristitiae et moeroris, et hoc pro materia ad literam mortis Iosiae, vel potius, ut textus innuit, destructionis Hierusalem et transmigrationis Israel de terra sua.

Qui quidem liber continet *quatuor planctus* et *unam orationem.*

Secundum hoc dividitur in quatuor capitula et quintum, quod intitulatur *Oratio Ieremiae.*

Distinguuntur autem planctus per literas alphabeti viginti duas. Quia in Hebraeo primus versus incipit a prima litera, secundus a secunda, et sic de aliis; sicut hymnus: « A solis ortus cardine »; primus versus incipit ab a; secundus a b et sic de aliis.

Infra quamlibet autem literam tres clausulae continentur, praeterquam in tertio planctu, ubi cui-

[1] Isai. 5, 7.

libet clausulae correspondet sua litera simul cum dicitur. Et ideo ter repetitur quaelibet litera ut, quum dicitur: Aleph, Aleph, Aleph, et sic consequenter usque ad Thau.

Quare autem liber iste divisus est in quatuor planctus? Hoc est propter quatuor materias lamentationis, quas habuit Ieremias.

1. Namque doluit de Iosiae occisione in campo Mageddo.

2. De Iechoniae transmigratione et abominatione nobilium sub Nabuchodonosor, qui captivavit eos in Babylonem.

3. De Hierusalem muri et templi combustione et destructione facta per Nabuzardam.

4. De Godoliae interfectione et reliquiarum, qui remanserant, dissipatione et deiectione in Aegyptum.

Utitur autem liber iste, ut ostendit Gilbertus, omnibus locis rethoricis provocantibus ad *indignationem* et *conquestionem;* hoc est provocantibus ad misericordiam et indignationem, qui secundum Tullium in fine primi Rhetoricorum [1] sunt multi. Sunt enim 15 provocantes ad indignationem et 15 ad misericordiam.

Primus enim locus provocans ad misericordiam est ex comparatione bonorum, in quibus homo fuit ad mala in quibus est. Et ab isto incipit primus versus Threnorum: « Quomodo sedet sola civitas plena populo, facta est » etc. Unde dicit: « Cui comparabo te (2, 13.) »? « Sedet sola », quae erat

[1] Cap. 54, 54.

plena populo; « facta est vidua », quae erat domina; « facta est sub tributo », quae erat princeps.

Secundus locus est, cum deploratur solatium, cui deservit secundus versus: « Plorans ploravit in nocte », sequitur: « non est, qui consoletur eam ex omnibus caris eius ».

Tertius locus est, cum res honore dignae fuerint turpes, humiles et illiberales: « Viae Sion lugent, eo quod non sit, qui veniat ad solemnitatem, omnes portae eius destructae, sacerdotes eius gementes, virgines eius squalidae et ipsa oppressa amaritudine » (v. 4.).

Et sic de aliis locis tam *conquestivis* quam *indignativis,* quibus utitur liber iste.

Incipit

Prima lamentatio Ieremiae (c. 1.).

« Quomodo sedet sola »! Ad evidentiam huius libelli, qui dicitur Threnorum, procedendum est ad specialem divisionem cuiuslibet lamentationis in se. Dividitur ergo in quinque partes.

In *prima* propheta specialiter lamentatur destructionem civitatis Ierusalem, quae erat caput regni.

In *secunda* specialiter lamentatur destructionem totius Israel et totius regni.

In *tertia* more prophetico convertit se ad Christum et lamentatur de seipso, induens personam Christi, vel secundum sensum Iudaicum lamentatur destructionem ipsius populi.

Et in *quarta* parte lamentatur principaliter et potissime destructionem sanctuarii et templi.

In *quinta* parte fundit orationem ad Deum implorativam auxilii et provocativam divini affectus.

Prima pars continetur in primo capitulo, ibi: « Quomodo sedet sola civitas »? secunda in secundo, quod incipit: « Quomodo obtexit »? tertia in tertio, quod incipit: « Ego vir videns »; et quarta in quarto, quod incipit: « Quomodo obscuratum est aurum »? Quinta vero in oratione ipsa, quae incipit: « Recordare, Domine » etc.

Primum ergo capitulum continet *primam lamentationem,* quae refertur principaliter et potissime ad civitatem Hierusalem, quae erat caput regni. Et dividitur lamentatio in *duas partes* principales. Primo namque propheta admirando lamentatur destructionem Hierusalem et loquitur ad seipsum (v. 1-11.). Secundo ipsamet civitas lamentatur seipsam provocando alios ad compatiendum sibi, et incipit secunda pars in 12. versu: « O vos omnes, qui transitis per viam » etc.

PRIMA AUTEM PARS

continet 11 versus secundum 11 conditiones et excellentias civitatis Hierusalem, super quibus amissis Ieremias desolabiliter lamentatur.

11 Excellentiae, quas habuit Hierusalem:

1. Excessit namque aliquando civitas Hierusalem alias civitates in *auctoritate,* quia multis terris et civitatibus dominabatur.

2. Excessit etiam in *laetitia* et iucunditate, quia erat ibi cantus et multa signa laetitiae.

3. Excessit in *securitate*, ita ut de terris finitimis populi in Hierusalem convenire festinarent propter securitatem.

4. Excessit in *solemniis* diurnis et celebritate; ter enim in anno debebat populus in Hierusalem convenire ad celebranda festa Domini.

5. Excessit in *pace* et tranquillitate, sicut patuit tempore Salomonis, et propter hoc dicta est Hierusalem « visio pacis ».

6. Excessit in *fortitudine* militum et probitate, sicut patuit tempore Salomonis et David, in quo fuit robur exercitus et maxima fortitudo.

7. Excessit in multiplici *prosperitate* et divitiarum copiositate; erat enim tempore Salomonis copia auri et argenti quasi foeni et ferri et quasi luti, ut patet in libro Paralipomenon et Regum.

8. Excessit in *laudis praeconio* et famositate; nominabatur enim in cunctis regnis, ita ut regina Saba veniret a finibus terrae audire sapientiam Salomonis.

9. Excessit etiam in *pulchritudine* et formositate; erat enim pulcherrime et formosissime aedificata.

10. Excessit in *cultu divino* et caeremoniarum sanctitate, ita ut non permitteretur aliquis gentilis aut extraneus ingredi templum.

11. Excessit in *copia panis* et satietate aut saturitate.

Secundum hoc lamentatur propheta super amissionem istarum undecim praerogativarum.

Deplorat namque primo civitatem Hierusalem super amissione pristinae auctoritatis in 1. versiculo: « Quomodo sedet » etc., sequitur: « princeps provinciarum ».

Secundo deplorat eam super amissione pristinae laetitiae et iucunditatis in 2. versiculo: « Plorans plorabit », unde sequitur: « non est, qui consoletur eam ».

Deplorat eam tertio super amissione securitatis in 3. versiculo: « Migravit Iudas propter afflictionem », unde sequitur: « omnes persecutores apprehenderunt eam ».

Deplorat eam quarto super amissione pristinae celebritatis et pristinarum solemnitatum in 4. versiculo: « Viae Sion lugent, eo quod non sit qui veniat ad solemnitatem ».

Deplorat quinto eam super amissione pristinae pacis et tranquillitatis in 5. versiculo: « Facti sunt hostes in capite », et sequitur: « et inimici locupletati sunt ».

Deplorat eam sexto super amissione pristinae fortitudinis et bellicae probitatis in 6. versiculo: « Egressus est a filia Sion », sequitur: « facti sunt principes eius velut arietes » etc.

Deplorat eam septimo super amissione pristinae prosperitatis et copiositatis in omnibus bonis, ut in versiculo septimo: « Recordata est Hierusalem dierum afflictionis », et sequitur: « et omnium desiderabilium suorum » etc.

Deplorat eam octavo super amissione honoris et famositatis in 8. versiculo: « Peccatum peccavit Hierusalem », sequitur: « omnes qui glorificabant eam, spreverunt » etc.

Deplorat eam nono super amissione pristinae pulchritudinis et formositatis in 9. versiculo: « Sordes eius in pedibus eius, deposita est vehementer ».

Deplorat eam decimo super amissione divini cultus et pristinae sanctitatis in 10. versiculo: « Manum suam misit hostis », sequitur: « vidit gentes ingressas sanctuarium suum, de quibus praeceperas » etc.

Deplorat eam undecimo super amissione pristinae satietatis et saturitatis ab 11. versiculo: « Omnis populus quaerens panem », sequitur: « dederunt pretiosa quaeque pro cibo » etc.

Deinde sequitur

SECUNDA PARS PRINCIPALIS

istius lamentationis, in qua, postquam propheta lamentatus est civitatem destructam, introducit civitatem lamentantem seipsam, et incipit pars illa in versiculo 12. ibi: « O vos omnes, qui transitis per viam » etc. Ibi enim loquitur civitas invocans alios ad compatiendum sibi. Et dividitur pars illa usque in finem lamentationis in 4 partes principales:

1. Primo namque lamentatur super *magnitudine et immensitate suae miseriae* in quatuor primis versibus et hoc sub quatuor metaphoris 4 modorum hominum, qui consueverunt omnia spoliare.

Dicit enim in primo versiculo, Dominum se habuisse ad ipsam instar *vindemiatoris,* qui nihil relinquit in vinea. Unde dicit: « O vos omnes, qui transitis per viam » etc. Ibi enim loquitur civitas: « Vindemiavit me, ut locutus est Dominus ».

Secundo dicit, ipsum se habuisse adinstar *incendiarii* et *venatoris.* Incendiarius enim consuevit totum comburere, et venator, quidquid cadit in

rete, mactare et interficere; et ideo addit in sequenti versiculo: « De excelso misit ignem in ossibus meis, expandit rete pedibus meis ».

Tertio dicit, ipsum se habuisse adinstar *vinculatoris* ligantis captum per manum et collum, unde subdit in sequenti versiculo: « Vigilavit iugum iniquitatum mearum in manu eius » etc.

Quarto dicit, ipsum se habuisse ad eam ad modum *calcantis* in torculari et *expressoris*, qui nullum humorem relinquit in uva; unde subditur in sequenti versiculo: « Abstulit omnes magnificos meos Dominus: torcular calcavit » etc.

Et ita sub his quatuor metaphoris lamentata est et explicavit immensitatem suae miseriae et magnitudinem.

2. In secunda vero parte lamentatur super *implacabilitate divinae iracundiae*, et ponitur pars illa in illo versiculo: « Idcirco ego plorans » (16.) et in sequenti. In prima namque ostendit, quod non potest Deum placare *lacrymis* oculorum, dicens: « Ego plorans, et oculus meus deducens aquam » etc. In secunda parte vero ostendit, quod non potest eum placare *gestibus* manuum quorumcumque signorum, dicens: « Expandit manus suas Sion: non est consolator » etc. Et sic lamentatur super implacabilitate divinae iracundiae, cum tamen consuevisset alias Deum placabilem sibi invenire.

3. In tertia vero parte lamentando profitetur, istud provenire ex *severitate divinae iustitiae* et ex summa aequitate in illo versiculo: « Iustus est Dominus, quia os eius ad iracundiam provocatur ». Et durat pars illa per tres versiculos (18. 19. 20.), quia in principio confitetur, Deum non fuisse iniu-

stum in *captivitate,* quam inflixit Iudaeis exeuntibus; unde dicit: « Virgines meae et iuvenes mei abierunt in captivitatem ».

In secundo, quod nec Deus fuit iniustus in *fame,* quam inflixit remanentibus, dicens: « Vocavi amicos meos et ipsi deceperunt me: sacerdotes mei in urbe consumpti sunt ».

In tertio, quod non fuit iniustus in *morte et gladio,* quem inflixit omnibus tam istis quam illis, dicens: « Vide, Domine, quoniam tribulor », sequitur: « foris interficit gladius ».

4. In quarta vero parte et ultima lamentando praestolatur *dulcorem divinae clementiae* et *remedium consolationis futurae,* et continuatur pars illa in duobus versiculis ultimis.

In principio namque aperit inimicorum *incompassionem* respectu sui et promittit sibi divinam consolationem, et incipit ille versus: « Audierunt, quia ingemisco ego », et sequitur: « adduxisti diem consolationis, et fient similes mei ».

In secundo vero ponit futuram *punitionem* super inimicos et hoc esse sibi futuram consolationem, dicens: « Ingrediatur omne malum eorum coram te, et vindemia eos ». Et in hoc primum capitulum et lamentatio prima finitur.

Incipit

Secunda lamentatio Ieremiae.

Nunc accedit *secunda lamentatio,* quae continetur in secundo capitulo: « Quomodo obtexit caligine »! Ubi propheta lamentatur *destructionem* totius terrae Israel et totius regni. Dividitur autem in quatuor partes:

Primo namque lamentando sicut homo desolatus loquitur ad seipsum. Secundo vero lamentando sermonem suum dirigit ad terram Israel et ad ipsum regnum, ibi: « Cui comparabo te vel cui assimilabo te »? Tertio vero dat super hoc utile et salubre consilium, ibi: « Clamavit cor eius ad Dominum super muros filiae Sion ». Quarto ponit orationis textum, ibi: « Vide et considera ».

PRIMA PARS.

Prima pars, in qua lamentatur regnum Israel, loquendo in stupore et amaritudine animi ad seipsum, nec dirigendo eloquium suum ad alterum, dividitur in duodecim partes, quia *duodecim infelicitates* evenerant super regnum Israel. Lamentatur infelicitates, inquam, oppositas excellentiis, quas prius habuerat regnum illud. Excesserat namque regna alia:

1. Primo namque quantum ad *glebam pinguem* et fertile solum; unde dicebatur terra promissionis, terra inclyta, fertilis et pinguis. Super hoc ergo in primo versiculo lamentatur, dicens: « Quomodo texit caligine in furore suo Dominus filiam suam, proiecit terram inclytam Israel »!

2. Secundo vero excesserat regna alia quantum ad *nobilitatem et dignitatem principum,* quia stirps David, quae regnabat super regnum Israel, fuit sanctissima et nobilissima. Super quo versu secundo lamentatur propheta, dicens: « Praecipitavit Dominus nec pepercit », sequitur: « polluit regnum et principes eius ».

3. Tertio vero excesserat quantum ad *robur militum* et robur pugnatorum, unde fuerat regnum

fortissimum sicut cornu. Super quo lamentatur propheta in versu tertio, dicens: « Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel ».

4. Quarto vero excesserat quantum ad *venustatem arborum* et pulcritudinem terrae nascentium, unde erat terra nemorosa et ad videndum pulcherrima. Super quo lamentatur propheta in quarto versu, dicens: « Tetendit arcum suum quasi inimicus, occidit omne quod pulchrum erat visu ».

5. Quinto excesserat quantum ad *urbes muratas* et multiplex fortalitium, quod erat in toto regno Israel et in multis locis terrae promissionis, ut patet ex libris Paralipomenon et Regum. Super quo in versu quinto lamentatur: « Factus est Dominus quasi inimicus, praecipitavit Israel, praecipitavit omnia moenia eius, dissipavit munitiones ».

6. Sexto excesserat quantum ad *locum sacrum* et Dei tabernaculum, quod fuerat in illo regno, aliquando in Silo, aliquando in Maspha, et deinde in Hierusalem. Super quo lamentatur sexto versu, dicens: « Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum ».

7. Septimo excesserat quantum ad *Dei altare* et sacrificium, super quod filii Israel ex praecepto divino habebant sacrificare. Super quo lamentatur in versu septimo, dicens: « Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suae » etc.

8. Octavo excesserat quantum ad *urbem principalem,* quae erat metropolis et regni solium, quia nullum regnum habebat metropolim et in caput nobilem civitatem, sicut erat Hierusalem. Super quo lamentatur in octavo versu, dicens: « Cogitavit Dominus dissipare murum filiae Sion », sequitur:

« luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est ».

9. Nono excesserat quantum ad *coetum hominum*, sapientia divina et prophetia praeditum. Nullum enim aliud regnum receperat legem Dei aut habuerat prophetas Dei visiones videntes. Super quo lamentatur in medio noni versus, ubi ait: « Reges eius et principes eius in gentibus. Non est lex, et prophetae eius non invenerunt visionem a Domino ». Et hoc secundum principium noni versus refertur ad lamentationem octavae excellentiae seu ad destructionem portarum et vectium civitatis metropolitanae Hierusalem. Unde incipit: « Defixae sunt in terra portae eius »; vel potest dici, quod portae eius et vectes appellantur reges, prophetae ac principes, et tunc iste versus refertur ad lamentationem excellentiae nonae.

10. Decimo vero excesserat quantum ad *populum* honore ac reverentia dignum; quia in nullo regno erant tales senes et tales virgines in utroque sexu quoad sanctitatem et omnem virtutem et quoad alias conditiones reverentia dignas. Super quo lamentatur in decimo versu: « Sederunt in terra, conticuerunt senes, consperserunt cinere capita sua, virgines Iuda ».

11. Undecimo vero excesserat quantum ad *numerum parvulorum* et multitudinem infantium, quia Deus multiplicabat semen filiorum Israel plus quam aliarum nationum, sicut promiserat Abrahae[1]: « Suspice coelum et numera stellas, si potes; sic erit semen tuum ». Unde in Aegypto fuerunt satis

[1] Gen. 15, 5. 6.

in tempore brevi ultra modum multiplicati. Super hoc ergo propheta in versu undecimo lamentatur, plorans defectionem parvulorum et lactentium, dicens: « Defecerunt prae lacrymis oculi nostri », sequitur: « cum deficeret parvulus et lactens in plateis oppidi ».

12. Duodecimo vero excesserat regnum illud cetera regna in *abundantia victualium*, et hoc quantum ad victum diurnum. Unde non moriebantur homines passi in pueritia aut adolescentia, sed perveniebant ad perfectam aetatem, et est una benedictio inter filios Israel, quod videbant filios filiorum suorum. Super quo lamentatur propheta in versu duodecimo, dicens: « Matribus suis dixerunt: Ubi est triticum et vinum »? sequitur: « cum exhalarent animas suas in conspectu matrum suarum ».

Deinde sequitur

PARS SECUNDA PRINCIPALIS,

in qua propheta lamentum suum dirigit ad terram Israel et ad regnum, ad alloquendum ipsum ac ponendo prae oculis quinque. Et secundum hoc pars illa continet quinque versus.

1. Primo namque prae oculis ponit ipsi regno, ut consideret *magnitudinem* suae poenae et suae miseriae; et hoc in versu decimo tertio, dicens: « Cui comparabo te vel cui assimilabo te, filia Hierusalem? Magna est velut mare contritio tua: quis medebitur tui »?

2. Secundo ponit prae oculis eius et sibi ingerit *originem* suae culpae et suae malitiae, quae origo fuerunt prophetae, non aperientes filiis Israel

suam iniquitatem, ut eos ad poenitentiam provocarent. Et hoc facit in versu decimo quarto, dicens: « Prophetae tui viderunt tibi falsa » etc.

3. Tertio vero ponit prae oculis eius *incompassionem* totius viciniae et gentium propinquarum. Haec est enim una magna causa doloris existenti in miseria, cum non invenit aliquem, qui sibi compatiatur. Et hoc facit in versu decimo quinto, dicens: « Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam, sibilaverunt et moverunt capita sua » etc.

4. Quarto vero ponit prae oculis et sibi ingerit *exsultationem* et gaudium gentis adversariae et nationis sibi inimicae, quae est etiam magna causa doloris, dum scilicet aliquis venit in gaudium inimici. Et hoc facit in versu decimo sexto, dicens: « Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, dixerunt: Devorabimus. En ista est dies » etc.

5. Quinto ponit prae oculis et ingerit, hoc non esse factum a casu, imo *secundum praefinitionem* iustae Dei sententiae. Et hoc in versu decimo septimo, dicens: « Fecit Dominus quae cogitavit, complevit sermonem suum, quem conceperat a diebus antiquis ».

Deinde sequitur

PARS TERTIA,

in qua propheta post lamentum dat *salutare remedium et salubre consilium,* docet enim recurrere ad Deum. Unde monet ad sex:

Docet enim primo orare et clamare; secundo plorare; tertio in plorando perseverare; quarto in

nocte in oratione vigilare; quinto cor suum humiliare et sicut aquam effundere; sexto levationem manuum ad Deum et aliis gestibus ipsum placare. Et hoc facit in duobus versibus, scilicet decimo octavo et decimo nono.

Pro primo namque dicit: « Clamabit cor eorum ad Dominum ».

Pro secundo: « Deduc quasi torrentem lacrymas ».

Pro tertio: « Non des requiem ».

Pro quarto: « Consurge et lauda in nocte ».

Pro quinto: « Effunde sicut aquam cor tuum ».

Pro sexto: « Leva ad Dominum manus tuas » etc.

Deinde sequitur

PARS QUARTA,

in qua propheta ponit orationis textum et texit devotum oraculum ad Deum. Monuit enim filios Israel sic desolatos ad Deum orandum, ibi ponit orationem, quam facere debent, dicendo: « Vide, Domine, et considera ». Est autem illa oratio summe provocativa divinae misericordiae et continet tres versus, scil. 20. 21. et 22. Nititur enim provocare Dei misericordiam:

Primo allegando suam magnificentiam et vilitatem propriam, et hoc in principio versus 20, dicens: « Vide, Domine, et considera, quem vindemiaveris ita »; quasi dicat: non decet tuam excellentiam et magnificentiam persequi me sicut vilem et impotentem.

Secundo vero allegando infelicitatem multam iam perpessam. Nam dicit, quod mater comedit

filios, et quod propheta et sacerdos occisi sunt in sanctuario, et quia nulli aetati pepercit gladius. Et hoc facit ab illo loco: « Ergone comedent mulieres fructum suum » usque in finem totius versus 20. et deinceps in versu 21.

Tertio vero allegando hostium et adversariorum immanitatem et malitiam, ut magis Deus compatiatur, et hoc facit in 22. versiculo: « Vocasti quasi ad diem solemnem, qui terrerent in circuitu » etc.

Et sic finitur lamentatio secunda. Ubi considerandum, quod, licet hic fiat mentio de civitate Hierusalem, tamen omnia, quae in hoc capitulo continentur, referenda sunt ad deplorationem regni Israel in communi, ita quod quae dicuntur de Hierusalem, dicuntur in quantum erat pars et metropolis regni. Et ideo in ista lamentatione fit mentio de terra inclyta Israel, de speciosis Iacob, de filiis Israel et de civitatibus regni, quae erant filiae et Hierusalem sicut mater.

Incipit

Tertia lamentatio Ieremiae.

Nunc accedit *tertia lamentatio* in tertio capitulo: « Ego vir videns paupertatem meam ». Ubi propheta postquam ploravit destructionem Hierusalem, quae erat solium regni, in primo capitulo, et deinde destructionem totius regni Israel in secundo capitulo, nunc in tertio incipit lamentari *afflictionem populi captivati,* vel sui ipsius in carcere positi et in lacu constituti, sicut habetur Ieremiae 20. vel 34, vel potius magis ad literam deplorat *Christi passionem.*

In prima ergo expositione

ut deploret afflictionem sui vel populi captivati, induit propheta varium modum et variam personam, ut secundum hoc in 6 partes tota lamentatio dividatur.

1. In prima namque parte induit personam hominis *depingentis* et deplorantis suam miseriam, et hoc a primo versu: « Ego vir videns paupertatem meam » usque ad illum versum: « Recordate paupertatis », per 17 versus. In quibus multas suas infelicitates miseriasque depingit et deplorando describit.

2. In secunda vero parte induit personam *expetentis* et deplorantis Dei auxilium et Dei clementiam, et hoc a versu 18, qui incipit: « Recordate paupertatis », usque ad versum 23, qui incipit: « Pars mea Dominus, dixit anima mea ». Et hoc per quinque versus, in quibus Dei misericordiam multam nimis confitetur et ipsam implorat.

3. In tertia vero parte induit personam hominis *confidentis* et firmiter exspectantis Dei benevolentiam, in versu 23: « Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea exspectabo eum » usque ad versum 26, qui incipit: « Quis est iste, qui dixit », per versus 13. In quibus multipliciter ostendit, quod in Deo est sperandum et quod bonum est, in Deo sperare et propter Deum saturari opprobriis et percuti maxillis.

4. In quarta vero parte induit personam hominis *repellentis* et reprobantis falsam sententiam quorumdam putantium, quod captivitas et afflictio populi non fuisset ex vindicta et ordinatione Dei, sed fuisse a casu, non Deo iubente. Et hanc sen-

tentiam reprobat a 36. versu, qui incipit: « Quis est iste, qui dicit ut fieret, Deo non iubente », usque ad 39. versum, qui incipit: « Scrutemur vias nostras », per tres versus, in quibus reprehendit homines talia opinantes.

5. In quinta vero parte induit personam *confitentis* et poenitentis super iram, malitiam et culpam: « Scrutemur vias nostras » usque ad versum 54, qui incipit: « Invocavi nomen tuum, Domine », per 15 versiculos, in quibus sua peccata et populi confitetur et dolorem quo dolebat, et de culpa et de poena.

6. In sexta vero parte induit personam hominis *aspicientis de prope* et iam invenientis consolationem divinam, a versu 54, qui incipit: « Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo », et deinceps: « Vocem meam audisti et appropinquasti mihi, quoniam invocavi te et iudicasti causam animae meae, redemptor vitae meae » usque in finem lamentationis per 12 versiculos, et sic in 66 tota lamentatio terminatur.

Secunda expositio messianica.

Secundum expositionem vero magis literalem in hoc capitulo convertit se propheta, postquam deploravit destructionem Hierusalem, quae erat caput regni, et deinde destructionem totius regni, — nunc in isto capitulo 3. convertit se *ad deplorandum passionem Christi* in multis articulis.

Nam *in persona Christi:*

1. Primo lamentatur de sua *exspoliatione,* qua exuerunt vestimenta sua et nudaverunt omnibus

eum sicut pauperem; unde incipit: « Ego vir videns paupertatem meam ».

2. Secundo vero lamentatur de sua *captione* et *alligatione,* quae fuit facta nocte a cohorte et tribunis; unde subdit (2.): « Me minavit et adduxit in tenebris et non in lucem ».

3. Tertio vero lamentatur de sua *vexatione,* qua per totam noctem in domo Annae et Caiphae fuit a Iudaeis vexatus; unde subdit (3.): « Tantum in me vertit et convertit manum suam, vetustam fecit pellem, aedificavit in gyro, in tenebrosis collocavit me ».

4. Quarto vero lamentatur de sua *conclaratione pedum;* unde subdit (7.): « Circumaedificavit adversum me, ut non exgrediar; aggravavit compedem meum ».

5. Quinto vero lamentatur de sua *acclamatione,* qua clamavit in cruce et absque exauditione, ut videbatur, cum subdit (8.): « Sed et cum clamavero et rogavero, excludet orationem meam: conclusit vias meas lapidibus quadris » etc.

6. Sexto lamentatur de sua *illusione* et *blasphematione,* de qua scriptum est [1]: « Praetereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua ». Et hoc facit, cum subdit (10.): « Ursus insidians factus est mihi, posuit me quasi signum ad sagittam; factus sum in derisum omni populo, canticum eorum tota die ».

7. Septimo lamentatur de sua *cibatione* et *potione* ex vino myrrhato mixto cum felle. Vas enim positum erat plenum aceto [2]. Et hoc facit, cum ait (15.): « Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio. Recordate absinthii mei et fellis ».

---

[1] Marc. 15, 29. [2] Ioan. 19, 29.

8. Octavo lamentatur de sua *solitudine in cruce* et derelictione omnium, excepto latrone, de cuius agit conversione, cum ait (20.): « Memoria memor ero et tabescet in me anima mea ». Sequitur verbum Christi ad latronem (23.): « Novi in diluculo, multa est fides tua ». Et sequitur verbum latronis (24.): « Pars mea Dominus, propterea exspectabo eum ».

9. Nono lamentatur de multiplici sui *colaphizatione*, cum ait (30.): « Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis ».

10. Decimo lamentatur de *lacrymatione* et lacrymarum effusione in cruce, de qua dicit Apostolus ad Hebraeos [1], quod cum lacrymis et cum clamore valido preces obtulit Deo. Et hoc facit, cum subdit (49.): « Oculus meus afflictus est ». Sequitur (48.): « Divisiones aquarum deduxerunt oculi mei ».

11. Undecimo lamentatur de *morte* et *sepultura* et lapidis obvolutione ad ostium monumenti, cum ait (52.): « Venatione ceperunt me quasi avem, lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me ».

12. Duodecimo lamentatur de *mulierum fletu* et eiulatione; unde ait (54.): « Inundaverunt aquae super caput meum ».

13. Decimo tertio vero agit de sua *descensione* ad limbum, cum dicit (55.): « Invocavi nomen tuum de lacu novissimo, vocem meam audisti ».

14. Decimo quarto agit de sua *resurrectione*, ibi (57. 58.): « Appropinquasti in die, qua invocavi te. Iudicasti, Domine, causam animae meae ».

---

[1] Cap. 5, 7.

15. Decimo quinto agit de *Iudaeorum malitiosa machinatione,* qua post resurrectionem dederunt pecuniam militibus, ut dicerent, quod discipuli eis dormientibus fuerant corpus eius furati. Et ideo subdit (59.): « Vidisti, Domine, iniquitates eorum, labia insurgentium et meditationes eorum adversum me ».

16. Decimo sexto vero et ultimo de condigna eorum *punitione;* propter illud peccatum et eorum destructione et persecutione, quam hodie patiuntur. Unde subdit in fine lamentationis (66.): « Persequeris in furore et conteres eos sub coelo, Domine ». Et in hoc lamentatio tertia finitur.

Et est notandum, quod cum aliae lamentationes super notatione unius literae alphabeti clausulas multas contineant, nec sit nisi una series literarum in tota lamentatione: in hac tamen literae triplicantur et cuique clausulae litera praenotatur in signum amplioris doloris et maioris lamenti.

Incipit

Quarta lamentatio Ieremiae.

Nunc accedit *quarta lamentatio* in quarto capitulo: « Quomodo obscuratum est aurum »! Ubi postquam deploravit destructionem Hierusalem, quae caput erat regni et domus totius populi, nunc deplorat propheta destructionem templi et cultus divini et sanctuarii. Est tamen notandum, quod licet in qualibet lamentatione tangatur aliquid de destructione istarum quatuor, cum principaliter intendit prima lamentatio de primo, et secunda de secundo et sic de aliis.

Dividitur ergo haec lamentatio in *tres partes* principales.

Primo namque propheta deplorat templi et cultus divini desolationem. Secundo vero istius desolationis causam inquirit et investigat rationem in versu 12, qui incipit: « Non crediderunt reges terrae ». Tertio vero cum gaudio praedicit et aspicit futuram consolationem in versu 21, qui incipit: « Gaude et laetare ».

PRIMA AUTEM PARS,

in qua propheta *deplorat destructionem templi*, dividitur in quatuor secundum quatuor, quae considerandа sunt circa templum.

1. Potest enim considerari vel *apparatus*, quo vestiebatur. Nam tertio Regum [1] dicitur, quod « nihil erat in templo, quod non auro tegeretur », ubi etiam erant lapides pretiosi, saltem in rationali et vestibus sacerdotum. Hunc apparatum deplorat propheta in primo versu, dicens: « Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est » etc.

2. Secundo vero potest considerari circa templum *comitatus* et coetus, qui ingrediebatur ipsum et per quem frequentabatur. Nam et ingrediebantur ipsum et inclyti homines, quos deplorat in secundo versu propheta: « Filii Sion inclyti et amicti auro primo ». Et ingrediebantur ipsum piae ac devotae mulieres, super quibus deplorat in tertio versu propheta, quia versae sunt ad similitudinem lamiarum, quae filios lactant, et in similitu-

[1] Cap. 6, 22.

dinem crudelium struthionum; quia mulieres Hierusalem leguntur comedisse filios suos tempore obsidionis. Unde subdit: « Sed et lamiae nudaverunt mammas suas ». Ingrediebantur etiam pueri et infantes, quos deplorat in 4. versu, dicens: « Adhaesit lingua lactantis ad palatum eius in siti ». Ingrediebantur deliciosi iuvenes et adolescentes, quos deplorat in 5. dicens: « Qui vescebantur voluptuose interierunt in viis » etc. Ingrediebantur etiam diversi hominum status et conditiones, quos omnes sub una generali clausula per comparationem ad destructionem Sodomorum propheta deplorat in 6. versu: « Et maior effecta est iniquitas filiae populi mei peccato Sodomorum » etc.

3. Tertio potest considerari circa templum *Nazaraeorum ritus* et coelibatus, quo oblectabatur. Qui quidem Nazaraei distribuuntur in sua pristina dignitate in versu septimo, qui incipit: « Candidiores Nazaraei eius nive ». Et deinde deplorantur in opposita felicitate in versu octavo, qui incipit: « Denigrata est super carbones ». Deinde vero concluditur ex praedicta calamitate quaedam generalis sententia in nono versu: « Melius fuit occisis gladio quam interfectis fame ». Deinde vero illa sententia approbatur ex facti evidentia et per locum a minori in 10. versu: « Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos ». Ex quo intendit propheta probare, quod melius fuit occisis gladio quam interfectis fame.

4. Quarto vero potest considerari circa templum *tota structura* et totius fabricae status, qui in sublime erigebatur, cuius combustionem et destructionem usque ad fundamenta deplorat propheta in 11.

versu, dicens: « Complevit Dominus furorem suum, succendit ignem in Sion et devoravit fundamenta eius ». Et sic finitur prima pars principalis quartae lamentationis.

Est autem sciendum, quod licet aequaliter possit exponi, quod in ista lamentatione praedictum est de combustione templi, quae facta est per Chaldaeos et per Nabuzardan, principem militiae, Nabuchodonosor imperante: magis tamen clare et liberaliter exponi habet de destructione facta per Romanos sub Tito et Vespasiano, quia in obsidione Romanorum illa leguntur mulieres misericordes coxisse filios suos et homines extabuisse prae fame, et cetera quae hic dicuntur, quae tamen non leguntur fuisse facta in obsidione Ierusalem per Chaldaeos.

Deinde sequitur

PARS SECUNDA PRINCIPALIS,

in qua propheta *investigat et narrat desolationis templi modum* et rationem, quae incipit versu 12: « Non crediderunt reges terrae », ubi propheta ostendit, hanc desolationem, antequam fieret, fuisse universis gentibus incredibilem, et hoc versu 12; ait enim: « Non crediderunt universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis per portam Hierusalem ». Secundo vero ostendit, eandem desolationem postmodum factam fuisse visam eisdem gentibus iustam et rationabilem propter *tres causas.*

Prima quidem, *effusio sanguinis innocentis* et iusti, quia sacerdotes et Dei prophetas interfecerunt Zachariam, Isaiam et multos alios prophetas in Hierusalem. Et hanc causam Ieremias describit in

versu 13, qui incipit: « Propter peccata prophetarum et iniquitates sacerdotum »; et in versu 14, qui incipit: « Erraverunt caeci, polluti sunt sanguine ». Propter quam causam introducit clamorem omnium gentium et nationum contra habitatores Hierusalem in versu 15: « Recedite polluti, clamaverunt eis »; et versu 16: « Facies Domini divisit eos ».

Secunda vero causa, quare rationabilis fuit templi desolatio, fuit *praestolatio alterius auxilii* quam Dei. Cum enim Nabuchodonosor obsideret civitatem, Sedechias et populus debuissent ad auxilium Dei recurrisse. Sed potius recurrerunt ad auxilium Pharaonis, regis Aegypti. Propter quod dicit: « Tradidit eos in manus Nabuchodonosor, qui templum destruxit ». Et huius causa tangitur in versu 17, qui incipit: « Cum adhuc subsisteremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium vanum, cum respiceremus attenti ad gentem, quae salvare nos non poterat ». Et in versu 18. describit, qualiter, sic ipsis praestolantibus et Aegyptiis non venientibus, finis venit obsidionis eorum et capti sunt. Unde incipit versus ille: « Lubricaverunt vestigia nostra » etc.

Tertia vero causa desolationis templi fuit *mors* et interfectio *Iesu Christi*, quae tangitur versu 20, qui incipit: « Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris ». Quamvis enim aliqui Iudaeorum intelligant hunc versiculum de Iosia, qui interfectus est a Pharaone Nechao, alii de Sedechia, qui egressus est de civitate et voluit fugere in Aegyptum, quem persecutus est Chaldaeorum exercitus et comprehendit eum in deserto Hiericontino; tamen non potest intelligi ad literam hoc

de illis, cum quilibet istorum captus fuerit in peccatis suis: Iosias quidem, quia non obedivit verbo prophetae ex ore Domini; Sedechias autem, quia non obedivit Ieremiae verbis, nec servavit iuramentum, quo se obstrinxerat contra regem Chaldaeorum. Et ideirco literaliter non potest intelligi istud nisi de Domino Iesu Christo. Unde quae dicuntur a 21. versu et deinceps habentur referri ad mortem eius, in quem conspiraverunt sacerdotes et prophetae, hoc est legis doctores et scribae. Unde et de Iudaeis verificatur post mortem Christi praefatus versus (16.), qui dicit: « Facies Domini divisit eos, non addet, ut respiciat eos ». Post captivitatem enim Chaldaeorum Deus respexit eos et ad terram suam reduxit; sed post mortem Christi despexit eos, sicut est hodie.

Deinde sequitur

TERTIA PARS ET ULTIMA

istius lamentationis, in qua propheta *aspicit et praedicit futuram consolationem* de conversione Iudaeorum, postquam introivit gentium plenitudo, vel de reditu eorum de captivitate Babylonica. Et primo ironice loquitur contra nationes vicinas et Idumaeos v. 21: « Gaude et laetare, filia Edom », quod intelligitur per antiphrasim et quandam ironiam. Secundo vero consolatur veridice Iudaeos de regressione a captivitate Babylonis; vel potius literalius de conversione Iudaeorum ad fidem Iesu Christi, quae erit in fine saeculi, et hoc in versu 22. et ultimo: « Completa est iniquitas tua, filia Sion, non addet ultra, ut transmigret te ».

Constat enim, quod ad literam hoc intelligi non potest, postquam de captivitate Babyloniae Iudaei sunt reversi; nam ex tunc captivati sunt per Romanos et transmigrati et dispersi; et propter hoc referenda sunt haec ad finem saeculi, sicut dictum est. Et in hoc lamentatio quarta finitur.

Incipit

Oratio Ieremiae prophetae.

Oratio Ieremiae prophetae pro populo transmigrato. Et dividitur in *octo partes* principales.

1. In prima namque ad modum bene orantis et devote provocantis se excitat divinam pietatem et miserationem, dicens (v. 1.): « Recordare, Domine, quid acciderit nobis ».

2. Secundo vero narrat et reserat suam vilitatem et afflictionem et quantum ad amissionem possessionum, dicens (v. 2.): « Hereditas nostra versa est ad alienos ». Et quoad amissionem amicorum, subdens (v. 3.): « Pupilli facti sumus absque patre ». Et quoad amissionem cibariorum, addens (v. 4.): « Aquam nostram pecunia bibimus ». Et quoad amissionem libertatis, subdens (v. 5.): « Cervicibus nostris minabamur ». Et quantum ad amissionem sanctitatis quoad patres, subdens (v. 7.): « Patres nostri peccaverunt et non sunt ». Et quoad amissionem potestatis et auctoritatis, subdens (v. 8.): « Servi dominati sunt nostri ». Et quoad amissionem pulchritudinis et sanitatis, concludens (v. 10.): « Pellis nostra quasi clibanus exusta est ».

3. Tertio vero recitat adversariorum multiplicem iniquitatem et abusionem, qua abusi sunt ca-

ptivatis, ut ex hoc Deus ad misericordiam magis provocetur. Et hoc facit ibi (v. 11.): « Mulieres in Sion humiliaverunt », ubi recitat adversariorum immunditiam et lubricitatem, dicens: « Mulieres in Sion humiliaverunt et virgines in civitatibus Iuda »; deinde vero malitiam et crudelitatem, subdens (v. 12.): « Principes manu suspensi sunt, facies senum non erubuerunt »; deinde vero ipsorum nequitiam et innaturalem foeditatem, subdens (v. 13.): « Adolescentibus impudice abusi sunt ».

4. Quarto vero propheta deplorat pristinam dignitatem et pristinam consolationem; quia etiam defecit sapientia et laetitia et excellentia, quae consueverat esse in Hierusalem: quantum ad sapientiam, dicens (v. 14.): « Senes defecerunt de portis »; quantum ad laetitiam subdit: « Iuvenes de choro psallentium »; quantum ad excellentiam concludit (v. 16.): « Cecidit corona capitis mei ».

5. Quinto vero propheta explicat suam iniquitatem et confitetur iustam punitionem, ibi (v. 16. 17.): « Vae nobis, quia peccavimus, propterea moestum factum est cor meum ».

6. Sexto vero laudat et praedicat divinam maiestatem et suam durationem, ibi (v. 19.): « Tu autem, Domine, in aeternum permanebis ».

7. Septimo vero implorat Dei benignitatem et petit sui reditus et suae conversionis accelerationem; reditus quidem vel de Babylonica captivitate in Hierusalem, vel potius et melius de incredulitate ad Iesu Christi fidem. Et hoc facit ibi (v. 20.): « Quare in perpetuum oblivisceris mei »? sequitur (v. 21.): « Converte nos, Domine, ad te, et convertemur ».

8. Octavo et ultimo intuetur et cernit divinam severitatem et per consequens aliqualem dilationem exauditionis, ut hoc, quod petit, ita celeriter impleatur, concludens (v. 22.): « Sed proiiciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer ». Et in hoc Threnus Ieremiae finitur.

Ad partem ergo istam scripturae sacrae, quae est poëtria et decantativa, ascendamus ad eam. Namque ascenditur ascensu purpureo, sicut scribitur Canticorum tertio capitulo (v. 10.): « Ascensum purpureum media caritate constravit propter filias Hierusalem ».

IV. PARS DISPUTATIVA.

Hic ponitur divisio quartae partis, quae est disputativa et quasi dialectica.

LIBRI: Iob et Ecclesiastes.

Incipit quarta pars scripturae divinae.

Quarta vero pars scripturae divinae, quae est dialectica vel disputativa, sub librorum binario continetur. Omnis namque disputatio vel est inter opponentem et respondentem, quam consuevimus vocare *dialogum;* vel est eiusdem ad se ipsum gerentis personam duorum, quod consuevit dici *soliloquium;* quemadmodum innuit Augustinus in libro Soliloquiorum (I. Retract. c. 4. n. 1.), introducens seipsum ut interrogantem et respondentem. Et secundum hoc scriptura sacra in parte disputativa dividitur in duos libros, scil. in librum *Iob,* in quo disputatur per modum dialogi, et in *Ecclesiasten,* ubi disputatur per modum soliloquii.

I. Liber Iob.

Incipit ergo liber *Iob* partem disputativam et primo introducit partes disputantes, scil. Iob in mi-

seria et paupertate consistentem et tres amicos eius, qui venerunt ad consolandum eum, et hoc in duobus primis capitulis. Secundo vero introducit et ponit disputationem; et quia quatuor sunt genera disputationum: prima quidem dialectica ex probabilibus, secunda vero sophistica et garrula ex apparentibus, tertia quoque tentativa ex communibus, quarta vero definitiva et demonstrativa ex necessariis et immobilibus;

Idcirco introducitur prima disputatio *dialectica* inter Iob et tres amicos eius, unum post aliud, et continet novem replicationes. Novies enim locutus est Iob, et octo vicibus amici sui replicaverunt contra eum et tacuerunt in nono. Et durat haec disputatio a capitulo tertio usque ad 31.

Secundo vero ponitur secunda disputatio vana et *sophistica* et garrula Helin, filii Barachiel Busites, cum ipso Iob, cui tamen Iob non respondit. Et hoc a cap. 32. usque ad 37.

Tertia vero disputatio *tentativa* introducitur inter Dominum, quod de multis quaestionibus tentavit et interrogavit Iob, ut declararet ei, quia modica aut nulla erat sapientia eius comparata ad Deum. Et hoc a 38. capitulo usque ad 42.

Quarta et ultima disputatio *definitiva*, in qua pro ipso Iob contra amicos eius quaestionem Dominus definivit, et ponitur in fine libri 42. capitulo sub his verbis: « Postquam autem Dominus locutus est verba haec ad Iob, dixit ad Heliphat Themaniten: Iratus est furor meus in te et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Iob ».

II. Liber Ecclesiastes.

Nunc accedit *Ecclesiastes* et introducit *soliloquium Salomonis,* nunc loquentis in persona sapientis, nunc in persona stulti. In persona sapientis, cum ait (2, 3.): « Cogitavi a vino abstrahere animam meam, ut transferam animum meum ad sapientiam »; et sic in pluribus aliis locis. In persona vero insipientis (2, 1.): « Vadam et affluam deliciis et fruar bonis ».

Disputat autem in toto libro unam conclusionem, scilicet quod omnia despicienda sunt citra Deum, quia subiecta sunt vanitati. Et demonstrat, *decem* esse *vana,* quae maxime consueverunt appeti in hoc mundo.

1. Primo enim ostendit, vanum esse appetitum *scientiarum,* et hoc in primo cap., ubi concludens ait: « Qui addit scientiam, addit et laborem ».

2. Secundo, vanum appetitum *deliciarum,* in cap. 2. dicens: « Locutus sum in corde meo: Vadam et affluam deliciis et fruar bonis »; subdit: « et cognovi, quod hoc quoque esset vanitas ».

3. Tertio, vanum esse appetitum *longaevitatis,* diuturnitatis vitae, in cap. 3. dicens: « Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub coelo: tempus nascendi, et tempus moriendi » etc.

4. Quarto, vanum esse appetitum *auctoritatis,* praelationis et dominationis, cap. 4. et 5, ubi loquitur: « Verti me ad alia et vidi calumnias, quae sub sole erant ». Et sequitur (v. 13. 14.): « Melior est puer pauper et sapiens rege stulto et sene, qui nescit praevidere in posterum; quia et de carcere

catenisque interdum quis egrediatur ad regnum, et alius natus in regno inopia consumatur ».

5. Quinto, esse vanum appetitum *divitiarum*, in medio capituli 5. et 6. per totum, ubi sic incipit (v. 12.): « Et alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: divitiae congregatae in malum domini sui ». Et subdit (v. 15.): « Quid ergo prodest ei, quod laboravit in ventum cunctis diebus vitae suae »?

6. Sexto, esse vanum appetitum *coniecturarum* et praescientiae futurorum, quam multi valde appetunt, et hoc in cap. 7, quod sic incipit: « Quid necesse est homini, maiora se quaerere, cum ignoret, quid contingat sibi in vita sua »?

7. Septimo, vanum esse appetitum *praeconii* et laudis et famae, quae a multis desiderantur, et hoc cap. 8, dicens: « Sapientia hominis lucet in vultu eius ». Sequitur (v. 10.): « Vidi impios sepultos, et laudabantur in civitate quasi iustorum operum »; et statim subditur: « sed et hoc vanitas est ». Et ideo omnis laus est contemnenda.

8. Octavo, vanum esse appetitum *fortunii* et esse bene fortunatum, quod multi appetunt, et hoc in medio 8. cap. et in nono, ubi dicit (8, 14.): « Sunt iusti, quibus mala perveniunt, et sunt impii, qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant, sed et hoc vanissimum iudico ».

9. Nono, vanum esse appetitum *corporeae virtutis* in medio 9. cap. et 10. per totum, ubi ait 9, 16.): « Dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine ». Sequitur (9, 3.): « Hoc pessimum inter omnia, quae sub sole erant.

10. Decimo et ultimo, vanum esse appetitum *floridae iuventutis*, et hoc 11. cap., ubi ait (v. 9.):

« Laetare iuvenis in adolescentia tua, et in bonis sit cor tuum »; « et scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium ». Et ultimo capitulo concludit: « Memento creatoris tui in die virtutis tuae, antequam veniant dies de quibus dices: Non mihi placent ». Et sic finitur pars scripturae disputativa.

Ad istam igitur ascendamus per ascensum equorum variorum, de quibus scriptum est Zachariae primo (v. 8.): « Ecce vir ascendens super equum rufum », et post eum equi varii; ut per equum intelligatur stabilis unitas, quae semper sententialiter in libris his promulgatur; per equos vero varios rationum diversitas, quibus disputatur.

V. PARS ETHICA.

Hic ponitur divisio quintae partis scripturae, quae est quasi ethica et monastica.

LIBRI: Proverbiorum, Sapientiae et Ecclesiastici.

EXORDIUM.

Incipit quinta pars divinae scripturae.

Quinta pars divinae scripturae, quae est monastica et ethica et consultativa, in librorum ternario continetur, scil. Proverbiorum, Sapientiae et Ecclesiastici.

Est enim considerandum, quod mores monastice instruuntur aliquando modo filiali, quo pater instruit filium; aliquando modo imperiali, quomodo princeps instruit baiulum aut iudicem delegatum; aliquando modo magistrali, quo doctor in scholis docet discipulum: et secundum istos tres modos pars ethica et moralis divinae scientiae dividitur in *tres libros.*

1. Nam in libro *Proverbiorum* traditur ethica modo *paternali,* et introducitur pater ut docens filium. Unde Salomon in libro primo ubique dicit: « Fili mi »! ac si pater loquatur filio. Unde et Ari-

stoteles suum librum Ethicorum appellat « Nicomachia », quia Nicomacho filio suo scripsit.

In principio autem Parabolarum dicitur: « Ut detur parvulis astutia, adolescenti scientia et intellectus ».

2. In libro vero *Sapientiae* traditur ethica modo *imperiali,* et introducitur Salomon tamquam princeps instruens suum baiulum et iudicem sibi subditum, quem mittens ad iudicandum populum suum ait: « Diligite iustitiam, qui iudicatis terram; servite Domino in bonitate ».

3. In libro quoque *Ecclesiastici* traditur ethica modo *magistrati,* et introducitur Iesus, filius Sirach, in principio quasi doctor primitians et instruens discipulum ac dicens: « Omnis sapientia a Domino Deo est... sapientiam Dei quis investigavit?... radix sapientiae cui revelata est »? Et in fine concludit, se composuisse moralem librum sicut doctor composuit (50, 29.): « Doctrinam sapientiae et disciplinae scripsit in codice isto Iesus, filius Sirach, Ierosolymita, qui renovavit sapientiam de corde suo ».

Incipit

I. Liber Proverbiorum Salomonis.

Incipit ergo *Proverbiorum* liber, quinta pars monastica et consultativa, et dividitur in *quatuor partes.*

1. Nam primo instruit filium modo *imaginativo et conformativo* (c. 1-9.). Est enim sciendum, quod conformatio est color rhetoricus, qui tunc fit, cum res inanimata vel muta introducitur quasi loquens ut animata. Sic autem facit Salomon: quia

sapientiam introducit ut dominam parvulos alloquentem (1, 22.): « Usquequo, parvuli, diligitis infantiam, et stulti ea, quae sibi sunt noxia, cupient » ? Deinde sapientiam (introducit) allicientem ad amorem sui et ab amore mulieris extraneae avertentem (c. 2.): « Fili mi, si susceperis sermones meos » etc. Deinde introducit sapientiam promittentem multa bona (c. 3-7.): « Fili mi, ne obliviscaris legis meae ». Deinde introducit sapientiam gloriantem et suas excellentias praedicantem (c. 8.): « Nunquid non sapientia clamitat, et prudentia dat vocem suam » ? Deinde sapientiam invitantem ad convivium, quod paravit (c. 9.): « Sapientia aedificavit sibi domum ».

2. Secundo vero instruit filium modo *ordinario et disciplinativo* (c. 10-24.) et ponit diversas doctrinas, quarum quaedam nunc pertinent ad unam virtutem, quaedam vero ad aliam; quaedam quoque ad unum unicum, quaedam ad aliud commixtim, quaedam non curando de ordine.

Et ideo volentes dividere, (dicendum) quod nunc agit de haereticis, nunc de praelatis, et nunc de regibus, sicut est a pluribus consuetum. Non dividunt ad literam nec ad mentem sapientis, quia de talibus non intendit, sed dat potius documenta pertinentia ad vitia et virtutes commixtim. Nec multum obest doctrinae morali, si talis ordo exquisitus non observetur, dum tamen quaelibet doctrina bene distinguatur et accipiatur per se, sicut videmus fieri in legibus aut capitulis Decretalium. Non enim oportet, quod quaelibet lex ad legem praecedentem vel subsequentem continuare scientifice possit, sed accipitur sensus cuiuslibet per se. Et consimilis mo-

dus debet observari a legente librum Proverbiorum, ut accipiat quamlibet doctrinam per se et illam exponat pro tanto.

Et tamen a 9. capitulo usque ad 24. procedit modo ordinario et disciplinativo, quia doctrinas ibi contentas fecit redigi ipsemet Salomon in scriptis.

3. Tertio vero modo a cap. 25-29. procedit *extraordinarie et recollective*. Illae namque doctrinae parabolicae fuerunt ex ore Salomonis reportatae, nec ab ipso in libro conscriptae. Sed post longum tempus in diebus regis Ezechiae sapientes eiusdem regis de mandato ipsius doctrinas illas in membranis et cedulis parvis dispersas transtulerunt et recollegerunt in unum ac praecedentibus proverbiis addiderunt.

4. Quarto vero in cap. 30. procedit modo *amatorio et allectivo:* « Verba congregantis filii vomentis et verba Samuelis regis »: « Visio, qua erudivit eum mater sua: Quid, dilecte mi? quid, dilecte uteri mei? quid, dilecte votorum meorum »? Et in ultimo capitulo: « Noli regibus, o Samuel, dare vinum »! Et finit librum in cantico de muliere forti.

Incipit

II. Liber Sapientiae.

Nunc accedit liber *Sapientiae*, qui tradit ethicam modo *imperiali*, eo modo, quo princeps erudit baiulum, quem mittit ad iudicandum et erudiendum populum. Et ideirco tractat de tota sapientia et de omnibus virtutibus sub nomine iustitiae universalis et legalis, quae praecipit actus omnium virtutum, ut patet in quinto Ethicorum (Aristotelis). Propter

quod in principio dicit: « Diligite iustitiam »; et post hoc subdit (c. 1, 15.): « Iustitia perpetua est et immortalis ». Et (c. 3, 1.): « Iustorum animae in manu Dei sunt ». Et (c. 5, 1.): « Tunc stabunt iusti in magna constantia ». Sapientiam pro iustitia et iustitiam pro tota sapientia indifferenter ponit.

Intendit ergo liber ille tres principales conclusiones, et secundum hoc dividitur in *tres partes*.

PARS PRIMA.

Respectu iustitiae ponit exhortationem et zelum assumendum (cap. 1-6.).

I. Capitulum est *inductivum* ad sapientiam, dicens: « Diligite iustitiam », « sentite de Domino in bonitate », et multa similia.

II. Capitulum est *repulsivum* a sapientia, quia incipit: « Dixerunt impii ». Ibi enim ostenditur, quod peccatores et impii prosperantur in mundo, fruuntur bonis et coronantur rosis. Et quomodo homines sapientes et iusti non videntur prosperari, sed potius ab impiis persecutionem pati et morte turpissima condemnari; et ex his videtur, quod homo debeat a sapientia et iustitia acquirenda repelli.

III. Capitulum vero est *responsivum* pro sapientia, quod incipit: « Iustorum autem animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiae ». Ubi ostenditur, quod homines iusti, etsi videantur in hoc mundo ab impiis pati, totum est tempus ad probationem eorum, quia « tamquam aurum in fornace probavit illos ». In fine autem

totum est ad coronationem eorum, quia « fulgebunt iusti et tamquam scintillae in arundineto discurrent ». Et multa alia ibi dicuntur, ex quibus pro sapientia respondetur ad ea, quae contra ipsam adducta fuerant in capitulo praecedenti.

IV. Capitulum vero est *allectivum* et gloriativum de sapientia, quod incipit: « O quam pulcra est casta generatio cum claritate », et sequitur, quod immortalis est memoria sapientiae, quae « et apud Deum nota est et apud homines ».

V. Capitulum est *compulsivum* pro sapientia, incipiens: « Tunc stabunt iusti in magna constantia » Ibi enim ostenditur, qualiter qui non habuerunt sapientiam affligentur et punientur, sapientibus praemiatis stantibus ex adverso.

VI. Capitulum est *conclusivum* pro sapientia et in acquisitione ipsius, unde incipit concludens: « Audite ergo, reges, et intelligite, discite iudices finium terrae ». Et sequitur (v. 22.): « Si ergo delectamini in sedibus et sceptris, o reges populi, diligite iustitiam, ut in perpetuum regnetis ».

PARS SECUNDA.

Secundo vero Sapiens ponit.

Respectu sapientiae ponit generationem et ortum attendendum (cap. VI, 24-c. IX.).

Finis capituli sexti prologum habet, qui aperit intentionem: « Quid est autem sapientia, et quemadmodum facta sit, referam ».

VII. Capitulum ostendit, quid generatio et ortus sapientiae in nobis exigat, nempe ut ipsa im-

pretiabiliter existimetur. Qui enim non praeponit eam regnis et sedibus, auro et lapidibus pretiosis, non potest eam acquirere. Et ibidem describitur pretiositas sapientiae, cui non valet aliquid comparari.

VIII. Capitulum vero ostendit, quomodo debeat in nobis sapientia generari. Oportet enim, ut inextinguibiliter et delectabiliter adametur. Unde ait (v. 2.): « Hanc amavi et exquisivi a iuventute mea et quaesivi sponsam mihi eam assumere et amator factus formae illius ». Et sequitur (v. 16.): « Intrans in domum meam conquiescam cum illa... delectatio bona ».

IX. Capitulum ostendit, quod sapientiae acquisitio requirit, ut a Deo suppliciter et efficaciter postuletur. Unde ait (c. 8, 21): « Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det... adii Dominum, et deprecatus sum illum et dixi ex totis praecordiis meis ». Et statim in nono capitulo ponitur ipsa oratio: « Deus patrum meorum et Domine misericordiae ».

Ex quibus patet, quod tria sunt per quae nobis sapientia oritur et generatur, quae sunt impretiabilis aestimatio et inextinguibilis adamatio et indefectibilis ac supplex exoratio; et sic finitur pars secunda, quae de sapientia orta est.

PARS TERTIA.

Respectu iustitiae et sapientiae ponit operationem et fructum obtinendum (c. 10-19.).

I. Primo ponit Sapiens effectum et fructum sapientiae in sacro septenario quorumdam *perso-*

narum. Unde in 10. capitulo ostenditur, quem fructum habuerit sapientia

In *Adam*, cum dicit (v. 1.): « Haec illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solum esset creatus, custodivit ».

In *Noë*, cum subditur (v. 4.): « Cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia, per contemptibilem lignum iustum gubernans ».

In *Abraham*, cum sequitur (v. 5.): « Haec et in consensu superbiae cum se nationes contulissent, scivit iustum et conservavit sine quaerela Deo et in filiis fortem misericordiam custodivit ».

In *Loth* vero, cum additur (v. 6.): « Haec iustum a pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim ».

In *Iacob* autem, cum sequitur (v. 10.): « Haec profugum irae fratris deduxit iustum per vias rectas et ostendit illi regnum Dei ».

In *Ioseph*, cum sequitur (v. 13.): « Haec venditum iustum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum, descenditque cum illo in foveam ».

In *Moyse* quoque, cum concluditur (v. 16.): « Intravit in animam servi Dei et stetit contra reges horrendos in portentis et signis ».

In istis septem sanctis personis apparet mirabilis effectus iustitiae et sanctae sapientiae, igitur est multum virtuosa.

II. Secundo vero ostendit effectum sapientiae respectu *totius populi* Israelitici (c. 11-19.). Et quia contraria iuxta se posita magis elucescunt, idcirco simul ostenditur, qualem effectum habuerit sapientia et iustitia respectu sanctorum, videlicet respectu filiorum Israel, et quem effectum respectu impiorum, Aegyptiorum scil. et Chananaeorum.

Reducit autem ad memoriam beneficia impensa populo ratione sapientiae et iustitiae, quam tenebant; beneficia inquam, quae ei impensa sunt in deserto.

1. Primo quidem *beneficium aquae et fontis* (c. 11-15).

In 11. capitulo ostenditur impensum filiis Israel beneficium *potus* et *fontis* ratione iustitiae, quam tenebant. Et econtra Aegyptiis ostendit fuisse datam plagam humani sanguinis, quem biberunt pro fonte sempiterni fluminis ratione iniustitiae, quae erat in eis.

In 12. capitulo ostenditur plaga immissa Chananaeis et habitatoribus terrae sanctae propter *iniustitias,* quas exercebant unus in alterum et quas exercuerunt in Deum, scilicet *idololatriam.*

In 13. et 14. capitulo, occasione inde accepta, tractatur de idololatria et nefandorum idolorum cultura et qua ratione seu potius abusione fuerit introducta.

In 15. capitulo reprobavit ipsa nefanda *idola,* et recognoscitur a populo Israel verus Deus.

2. Secundo vero reducit in memoriam Sapiens *beneficium cibi et panis* (c. 16.).

Agitur de coturnicibus miraculose inductis; ubi dicitur (v. 2.): « Pro quibus tormentis bene disposuisti populum tuum, quibus dedisti concupiscentiam delectamenti sui, novum saporem, escam parans eis ortygometram ».

Et agitur de *manna,* cum subditur (v. 20.): « Angelorum esca nutrivisti populum tuum et praeparatum panem de coelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem ».

3. Tertio vero reducit ad memoriam *beneficium diei et lucis* (c. 17.).

Ostendit, quoniam Aegyptii dereliquerunt iustitiam et sapientiam, fuerunt in densissimis tenebris, ubi dicit (v. 12.): « Indisciplinatae animae erraverunt... vinculis tenebrarum et longae noctis compediti sunt ». (v. 5.) « Nec siderum limpidae flammae illuminare poterant illam noctem horrendam ».

In 18. capite ostenditur, quomodo filii Israel econtra tenentes sapientiam et iustitiam tunc temporis adepti sunt beneficium lucis (v. 1.): « Sanctis autem tuis maxima erat lux ».

4. Quarto quoque reducit Sapiens ad memoriam *beneficium columnae et nubis* (c. 19.).

Creaturae inserviebant Dei praeceptis ad aliorum salutem aliorumque perniciem, ubi dicitur (v. 7.), quod « nubes castra eorum obumbrabat, et ex aqua, quae ante erat, terra arida apparuit, et in mari rubro via sine impedimento ». Et in hoc secundus liber partis ethicae, qui est liber Sapientiae, terminatur.

Incipit

III. Liber Ecclesiasticus.

Nunc accedit liber *Ecclesiasticus* et tractat viam ethicam modo *magistrali,* sicut doctor docet discipulum. Docet autem sapientiam tripliciter:

a) quia *exhortative* et per propositiones, quae appellantur prudentium sententiae;

b) *collective* et per commendationes ipsius sapientiae;

c) *exemplative* et per narrationes hominum vitae sanctae, qui ante nos exstiterunt in veteri testamento.

Isti enim sunt tres modi inducendi ad sapientiam, ut potest colligi ex dictis philosophi (Aristotelis) in secundo Rhetorices. Quia et propositiones prudentum et narrationes iustorum, qui praecesserunt, et commendationes sapientiae inducunt hominem ad acquisitionem ipsius.

Pars ergo tertia, in qua procedit Sapiens exemplative et per narrationes, ponitur a 44. cap. inclusive usque in finem libri per octo capitula, et ponitur seorsum et ad partem, unde incipit (c. 44.): « Laudemus viros gloriosos ».

Pars vero prima, in qua procedit per propositiones, et secunda in qua procedit per commendationes, positae sunt permixtim.

I. Commendationes sapientiae.

Sunt autem in universo *novem* particulae commendativae sapientiae:

1. « Omnis sapientia a Domino Deo est... Timor Domini gloria » etc., c. 1, 1-10.

2. « Sapientia filiis suis vitam inspiravit... Fili, conserva tempus », c. 4, 12-22.

3. « Fili, a iuventute tua excipe doctrinam », c. 6, 18-37. usque in finem.

4. « Beatus vir, qui in sapientia morabitur », c. 14, 22-27. usque ad 16. cap.

5. « Sapientia laudabit animam suam », c. 24, 1-47. usque in finem.

6. « Qui timet Deum excipiet doctrinam eius »... « Audite me magnates et omnes populi », c. 32, 18-33, 18.

7. Orativa simul et commendativa: « Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos... Omnem escam manducabit venter », c. 36, 1-20.

8. « Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens », c. 39.

9. « Memor ero ego igitur operum Domini », c. 42, 15-43. usque in finem. Ibi commendat sapientiam divinam in generali et (c. 43.) in speciali quantum ad specialia opera Dei, in quibus relucet sua sapientia, ut in toto coelo, sole, luna, stellis ac iride, nive, nube, tonitru, corruscatione, gelu, ventis et maris elevatione.

Pars autem, quae procedit per propositiones, in universo continet *52 doctrinas* et propositiones.

II. Propositiones.

Propositiones primae doctrinae monent eos

1. Ad *timorem* Dei: « Timor Domini gloria et gloriatio », c. 1, 11-20.

2. Ad sapientem *patientiam* et sufferentiam respectu omnium quae immittuntur a Deo: « Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia et timore et praepara animam tuam ad tentationem », c. 2.

3. Ad *pietatem* exhibendam parentibus et observantiam patri et matri debitam: « Filii sapientiae ecclesia iustorum, et natio illorum obedientia et dilectio. Iudicium patris audite... Fili, in mansuetudine perfice », c. 3, 1-19.

4. Ad omnem *humilitatem* et subiacentiam: « Fili, in mansuetudine opera tua perfice », c. 3, 19-32.

5. Ad *eleemosynam* pauperibus impendendam et ad misericordiam: « Ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis », c. 3, 33-4, 11.

6. Ad *veritatem* et iustitiam: « Fili, conserva tempus et devita a malo. Pro anima tua ne confundaris dicere verum », c. 4, 23-36.

7. Ad derelinquendum peccata et ad faciendum *poenitentiam:* « Noli attendere ad possessiones iniquas. Ne dixeris: Peccavi, et quid mihi accidit triste » ? c. 5, 1-12.

8. Ad *taciturnitatem* et ad linguae custodiam: « Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas; et cum sapientia proferas responsum verum. Si est tibi intellectus, responde proximo; sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato et confundaris », c. 5, 13-18.

9. Ad virtuosam et veram *amicitiam:* « Noli fieri pro amico inimicus proximo », c. 6, 1-17.

10. Ad *prudentiam* oeconomicam et domus dispensativam; prohibent quidem, ne homo velit fieri iudex aut civitatum rector, sed quod intendat domui suae. Et instruit, quomodo debeat se homo habere ad Deum, ad fratrem suum infra hospitium, ad opus laboriosum, ad coniugem, ad servum, ad pecora, ad filiam, ad filium, ad sacerdotem proprium, ad pauperem, ad parentem et mortuum, c. 7.

11. Ad *tranquillitatem* et pacem et concordiam: « Non litiges cum homine potente, non contendas cum homine locuplete, cum iracundo non facies rixam », c. 8.

12. Ad *castitatem* et pudicitiam: « Non zeles mulierem sinus tui, non des mulieri potestatem animae tuae, ne respicias mulierem multivolam, cum saltatrice ne assiduus sis, virginem ne conspicias », et similia multa, c. 9, 1-13.

13. Ad *stabilitatem* et ad constantiam, maxime circa amicitiam: « Ne derelinquas amicum antiquum, novus enim non erit similis illi », c. 9, 14-23. Et quia divitiae provocant ad amicitiam, similiter et potentiae et gloriae aliquorum, et per ista dimittitur aliorum antiqua amicitia; idcirco horum omnium zelus ibi prohibetur.

14. Ad regnativam *prudentiam:* « In manu artificum opera laudabuntur, et princeps populi in sapientia sermonis sui », c. 9, 24. Et quia avaritiam et superbiam sequuntur principes, idcirco doctrina illa invehitur circa avaritiam, superbiam, malitiam praesidentium; et ostendit, quod nullus debet superbire, c. 10-11.

15. Ad *beneficentiam:* « Si benefeceris, scito, cui feceris », c. 12, 1. Et quia ex benefacto recipiens beneficium efficitur amicus et gratus, aliquando vero contingit, quod est ingratus nec est amicus, nisi quamdiu durat beneficium; idcirco doctrina illa cavere docet a talibus amicis dolosis et fictis.

16. Ad *affabilitatem* et societatem bonam et virtuosam, prohibendo contrariam: « Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea », c. 13.

17. Ad *liberalitatem,* congruam effusionem et prudentem expensam: « Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, viro cupido et tenaci sine ratione est substantia, et homini livido ad quid aurum? Insatiabilis oculus cupidi », c. 14, 1-21.

18. Ad habendam *fiduciam* in Deo et non in multitudine filiorum, si peccatores sint. Et tractat doctrina illa de peccatoribus gigantibus, qui dimiserunt Deum, et de beneficiis, quae Deus impendit sperantibus in se; et qualiter Deus creavit hominem, et multa alia ad hanc materiam pertinentia: « Ne iucunderis in filiis impiis, si multiplicentur », c. 16-18, 14.

19. Ad *suave eloquium* et curialem linguam cum omni homine: « Fili, in bonis non des querelam, et in omni dato non des tristitiam verbi mali; stultus acriter improperabit », c. 18, 15-33.

20. Ad *fugiendum* non solum graves culpas et gravia facinora, imo et ad fugiendum *culpam modicam:* « Operarius ebriosus non locupletabitur, et qui spernit modica paulatim decidet; ne iteres verbum nequam et durum », c. 19, 1-18. Unde prohibet labilitatem linguae, quamvis appareat culpa modica.

21. Propositiones vero vigesimae primae doctrinae distinguunt inter veram et falsam prudentiam, qualis est prudentia peccatoris; et occasione huius distinguitur inter alia multa, utpote inter solertiam bonam et iniquam, humilitatem bonam et nequam, et inter correctionem veram et iracundam, inter taciturnitatem prudentem et fatuam, quae non habet sensum loquelae; et inter promissum, quod fit verecundia et quod fit prudenter; et inter plura alia doctrina illa distinguit, c. 19, 19-28; c. 20, 1-33.

22. Ad *cautelam* omnimodam respectu peccatorum, ut homo videlicet observet se ab eis: « Fili, peccasti, non adiicias iterum... quasi a facie colubri fuge peccata », c. 21, 1-13.

23. Ad *servandum* in gestibus et verbis maturitatem et *modestiam*: « Non erudietur... cor fatui quasi vas confractum... narratio fatui quasi sarcina in via... fatuus in risu exaltat vocem suam... pes fatui facilis in domum proximi », c. 21, 14-31.

24. Ad *strenuitatem*, et prohibet pigritiam: « In lapide luteo lapidatus est piger », c. 22, 1-2.

25. Ad *filiorum disciplinam*, et detestantur (doctrinae) personam fatuam, quae non excipit nec intelligit eam: « Confusio patris est de filio indisciplinato... super plumbum quid gravabitur? et quod illi aliud nomen quam fatuus »? c. 22, 3-23.

26. Prohibent *verborum contumelias* in ordine ad amicum: « Pungens oculum deducit lacrimas, et qui pungit cor profert sensum », c. 22, 24. Et in Deum, utputa iuramentum: « Iurationi non assuescat os tuum », c. 23, 9. Et in quemlibet proximum: « Est et alia loquela contraria morti », c. 23, 15-23.

27. Loquuntur de *fornicario* et fornicaria: « Homini fornicario omnis panis dulcis », c. 23, 24-38.

28. Agunt de *bona et mala muliere*, praemittendo ternarium placibilium et ternarium odibilium et denarium magistrabilium. Inter quae istud est unum, videlicet: « Vir habitans cum muliere sensata », c. 25-26.

29. Tractant de iusta divitiarum *acquisitione*, ostendendo, quod divitiae vix congregantur absque iniquitate: « Propter inopiam multi deliquerunt », c. 27, 1-16.

30. De *proximorum amore* et amicorum fide: « Qui denudat arcana amici fidem perdit », c. 27, 17-33.

31. Prohibent *rixam* et appetitum vindictae; et quia rixa oritur ex vitio linguae, idcirco ibi tractatur de lingua *tertia* et lingua *nequam:* « Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam », c. 28, 1.

32. Tractant de *gratia* et gratitudine et opposito vitio, quod est ingratitudo. Unde in illa agitur de illis, qui gratuito mutuantur, quibus tamen qui gratiam recipiunt frequenter adversantur: « Qui facit misericordiam foeneratur proximo suo », c. 29, 1.

33. Monent *parentes* ad filiorum eruditionem et correctionem: « Qui diligit filium suum assiduat illi flagella », c. 30, 1-13.

34. Prohibent *avaritiam* et lucrandi cupiditatem, commendando pauperis sanitatem: « Melior est pauper sanus et fortis viribus, quam dives imbecillis et flagellatus malitia », c. 30, 14-31, 11.

35. Ad *temperantiam* in cibo et potu et ad sobrietatem: « Supra mensam magnam sedisti? non aperias super illam faucem tuam prior », c. 31, 12-42.

36. Erudiunt *senem* et *iuvenem, praesidentem* et *adolescentem:* « Rectorem te posuerunt? noli extolli; esto in illis quasi unus ex ipsis », c. 32, 1-17.

37. Erudiunt *patremfamilias* in ordine ad filios, fratres, amicos, uxorem: « Audite me, magnates et omnes populi », c. 33, 19-33.

38. Prohibent somnia et omnem *inquisitionem vanam* respectu futurorum et remittit hominem ad experientiam et providentiam, ut per illam regat se homo respectu illorum: « Vana spes et mendacium viro insensato, et somnia extollunt imprudentes », c. 34, 1-13.

39. Docent hominem potius quam in somniis vel in sua prudentia *in Domino spem* suam ponere, ipsumque colere per veram latriam et religionem: « Spiritus timentium Deum quaeritur », c. 34, 14-35.

40. Extollunt *viri et uxoris* bene gratam *societatem:* « Omnem escam manducabit venter », c. 36, 20-28.

41. Docent hominem ad inquirendum idoneum *tutorem* et utilem consiliatorem: « Omnis amicus dicet », c. 37, 1-29.

42. Monent hominem ad custodiendam corporalem *sanitatem* per abstinentiam a superfluitate epularum et per munditiam et honorem: « Fili, in vita tua tenta animam tuam », c. 37, 30-38, 15.

43. Instruunt hominem, qualiter se habeat ad *morientem:* « Fili, in mortuum produc lacrymas », c. 38, 16-24.

44. Ostendunt diversorum *artificium,* utpote agricolae, fabri et figuli multiplicem utilitatem, ne contemnatur a sapientibus: « Sapientia scribae in tempore vacuitatis », c. 38, 25-39.

45. Aperiunt humanae *vitae miseriam* et multam occupationem: « Occupatio magna creata est omnibus hominibus », c. 40, 1-11.

46. Instruunt hominem *contra miseriam* praedictam ad obtinendum illa, quae faciunt in vita consolationem, quae sunt servare fidem, misericordiam et gratiam et sapientiae delectationem et divinum timorem et multa alia, quae ibi ponuntur: « Omne munus et iniquitas delebitur », c. 40, 12-32.

47. Aperiunt *mortis amaritudinem;* in ordine vero ad amicos alios mortis dulcedinem et conso-

lationem: « O mors, quam amara est memoria tua »! c. 41, 1-4.

48. Aperiunt considerationem eorum, quae rationabiliter debent *excludere* mortis *timorem:* « Noli metuere iudicium mortis », c. 41, 5-14.

49. Monent ad acquisitionem *boni nominis* et bonae famae: « Curam habe de bono nomine », c. 41, 15-18.

50. Occasione praecedentis doctrinae, ubi actum est de bono nomine et de vitanda verecundiae confusione, tractat de his, quae spectant ad *verecundiam* veram et ad confusionem, quia non est verecundandum de multis, de quibus aliquibus videretur. Exprimunt ergo istae propositiones, de quibus est vere erubescendum, quia de fornicatione, de mendacio, de delicto, de aversione vultus a suo cognato et sic de multis aliis, quae ibi ponuntur: « Verumtamen reveremini in his, quae procedunt de ore meo », c. 41, 19-c. 42, 1.

51. Ostendunt per oppositum, de quibus secundum veritatem *non* est *erubescendum,* quia non de observatione legis Altissimi, nec de iudicio hominis impii et sic de multis aliis: « Ne pro his omnibus confundaris », c. 42, 1-8.

52. Propositiones vero doctrinae ultimae inter omnia, de quibus verecundandum est, aperiunt unum *principium,* quod magis est timendum, videlicet fornicatio filiae in domo patris, dum reputatur virgo: « Filia patris abscondita est vigilia », c. 42, 9-14.

Rationabiliter autem sapiens interseruit illis 52 doctrinis 9 partes commendatitias hinc et inde ad fastidium legentium removendum et ad magis animum delectandum, quia partes commendativae sunt

multum placibiles et extollentes sapientiam, propter quod doctrinae disciplinam amaram continentes placabiliores et delectabiliores redduntur.

III. Exempla.

Tunc sequitur pars tertia libri Ecclesiastici, ubi proceditur per exempla et narrationes ac laudes sanctorum patrum, ut per hoc ad vitam sanctam et sapientiam provocemur. Et dividitur in *sex particulas.* Nam

1. primo posito prologo, introducit Sanctos, qui fuerunt *ante legem,* ut Enoch, Noe, Abraham, Isaac et Iacob et duodecim patriarchas: « Laudemus viros gloriosos », c. 44, 1.

2. Introducit Sanctos, qui fuerunt *sub lege* et legis datione, ut Moysen, Aaron, Phinees: « Dilectus Deo et hominibus Moyses », c. 45.

3. Sanctos, qui fuerunt *post legem*, tempore *Iudicum*, ut Iosue, Caleb, Samuel et ceteri iudices: « Fortis in bello Iesus Nave », c. 46.

4. Sanctos, qui fuerunt tempore *Regum,* ut Nathan, David et Salomon, qui fuit sanctus pro tempore: « Post haec surrexit Nathan », c. 47. Et ibi additur de Roboam et Ieroboam, qui dimiserunt legem. Eliam vero et Ezechiam et Isaiam introducit Sapiens, c. 48. Iosiam vero et Ezechielem et duodecim prophetas, c. 49.

5. Sapiens introducit Sanctos, qui fuerunt *post tempora Regum,* ut Zorobabel et Iesum sacerdotem magnum et Nehemiam et Simeonem filium Oniae, c. 49, 13-50, 28.

6. Ultimo introducit *se ipsum* et *scribentem* in fine: « Doctrinam sapientiae », c. 50, 29-31; et *orantem*: « Oratio Iesu filii Sirach », c. 51; et *laborantem* in acquisitione sapientiae: « Cum adhuc iunior essem », c. 51, 18; et nos *invitantem:* « Appropriate ad me indocti », c. 51, 31.

Hunc autem librum sic oportuit dividi in partes multas et doctrinas propter inconnexionem, quam videntur habere.

Et sic terminatur pars quinta Scripturae divinae, quae est monastica et eruditiva.

Ad hanc autem partem ascendamus per ascensum aurorae et quasi matutinum, de quo scriptum est in Genesi (c. 32, 26.), dicente angelo: « Dimitte me, iam enim ascendit aurora ». Sicut enim aurora nunc lacteo, nunc rubeo, nunc aureo et rutilo perfunditur colore: sic librorum sapientialium ternarius ad partem monasticam scripturae sacrae pertinens varietate virtutum decentissime venustatur.

VI. PARS PROPHETICA.

Hic ponitur divisio sextae partis, quae est prophetica.

Prologus in prophetas.

Sexta vero pars scripturae divinae, quae est prophetica et exclamativa, in librorum *senario* continetur: quatuor quidem prophetarum maiorum et uno duodecim minorum et altero Baruch, ministri et scriptoris Ieremiae.

Est autem attendendum, quod universa prophetia respicit duo tempora: tempus scilicet *captivitatis,* quod tunc instabat, dum Dominus destinavit prophetas ad populum reducendum; et tempus *gratiae et veritatis,* quod futurum erat in adventu Messiae et Salvatoris Domini nostri Iesu Christi. Et hinc est, quod prophetae scribere et praedicare coeperunt circa tempora Achaz et Ezechiae; tum quia tempore illo iam decreverat Dei iustitia populum eiicere de terra promissionis propter peccata sua; tum quia iam illo tempore condita est a Remo et Romulo Roma, et ita parabatur regnum, quod debebat suscipere Christum, scilicet regnum Romanorum. Quare etiam rationabile fuit, ut tunc prae-

paretur scripturae testimonium, quod introducebat Christum.

Secundum hoc ergo in quolibet propheta est duplex sensus literalis quantum ad diversas partes commixtim et intercalariter positas. Nunc enim prophetae in aliquibus locis directe loquuntur ad populum *praesentem* revocando eos a peccatis et comminando captivitatem, nisi resipiscant; promittendo vero consolationem et liberationem, si redeant ad Deum. Nunc vero loquuntur *in futurum*, convertentes se ad Christum. Et est iunctura difficilis ad intelligendum inter istas partes, quia statim occasione nacta ex prima materia prophetae vertunt se ad secundam et e converso. Sicut Isaias, cum promisisset liberationem Hierusalem ab obsidione Sennacherib per combustionem bellatorum sui exercitus, manentibus vestimentis intactis, dicit (c. 9, 5.): « Quod omnis violenta praedatio cum tumultu et vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem et cibus ignis »; statim ad Christum vertit se, assignans causam istius liberationis fore, ut Christus de populo illo liberato nascatur, et ideo quasi reddendo causam subdit (v. 6.): « Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis » etc.

Hoc ergo pro regula in lectione prophetarum diligenter tenendum, quando et quomodo et quo motivo propheta se transferat de prima materia in secundam et e converso.

Ulterius attendendum, quod quatuor prophetas aliqui dividentes contra minores alios, dixerunt, quod in quatuor maioribus tractatur de corpore Christi vero: in Isaia de incarnatione, in Ieremia de praedicatione et passione, in Ezechiele autem de

gloria et resurrectione, in Daniele quoque de regno et ad caelum ascensione et de dominatione, quam obtinuit super universum mundum sub metaphora lapidis, qui percusserat statuam et factus mons magnus repleverat omnem terram. Sed in libro duodecim prophetarum tractatur de corpore Christi mystico, scilicet de Ecclesia, et parum de corpore Christi vero. Et secundum hoc dividuntur penes materiam secundam.

Sed idem modus dividendi non videtur sufficiens: tum quia in Isaia plus tractatur de gentium vocatione et de Ecclesia, quam in quocumque minori propheta; ut in secundo capitulo statim dicit, quod fluent ad eum omnes gentes et ibunt populi multi, et c. 35: « Laetabitur deserta et invia », et quasi per totum librum; tum quia in prophetis minoribus etiam multum tractatur de Christo, ut ex. gr. Osee (c. 11, 1.): « Quia puer Israel, et dilexi eum; et ex Aegypto vocavi filium meum ». Et in Ioele (c. 3, 18.): « Et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lacte ». Et in Amos (c. 9, 6.): « Qui aedificat in caelo ascensionem suam et fasciculum suum super terram fundavit ». Loquitur de ascensu Christi et sequitur ibi (v. 11.): « In die illa suscitabo tabernaculum David, quod ceciderat ». Et in Abdia (c. 1, 1.): « Auditum audivimus a Domino, et legatum ad gentes misit ». Et sic de aliis prophetis minoribus patet.

Alii vero diviserunt iuxta primam materiam, quod quatuor maiores prophetae loquuntur de regno duarum tribuum, quod appellatur Iuda, propter quod in principio Isaiae et Ieremiae non fit mentio nisi de regibus Iuda; duodecim vero minores

loquuntur de regno decem tribuum, quod dicebatur Israel, principaliter, quamvis aliquando et minus principaliter loquuntur de regno Iuda. Et ideo in principio Osee, qui primus est inter prophetas minores, ponitur Ieroboam, filius Ioas, rex Israel.

Sed nec ista divisio conveniens est, quia inter minores aliqui sunt, qui directe loquuntur de regno duarum tribuum, ut patet de Zacharia, Aggeo et Sophonia. Maiores etiam multum loquuntur contra Samariam et regnum Israel.

Non videtur ergo, quod possit fieri distinctio inter materias, sed tantum penes modum tractandi de eadem materia. Sicut enim videmus, quod inter doctores quidam sunt principales et quidam minus principales, quamvis tractent de eadem materia, ex hoc quod unus perfectius ac diffusius ac clarius tractat altero. Sic fuit inter prophetas, qui fuerunt praedicatores et doctores ad populum. Differunt namque, quod Spiritus sanctus quosdam elegit ut principales, quibus affuit in magna latitudine et plenitudine sententiarum, et isti sunt maiores quatuor, quibus annexabatur Baruch, scriptor Ieremiae, pro eo quod omnia, quae dixit, quasi scripsit ex ore eius. Quosdam vero elegit minus principales, quibus non affuit in tanta plenitudine sententiarum, et isti sunt minores.

Quatuor autem maiores cum Baruch addito distinguuntur secundum captivitatis tempora et exilii, pro qua denuntianda prophetae sunt missi.

Distinguitur enim illud tempus in quinque partes:

a) Quia fuit accipere tempus primo *divinae taediationis,* quo scilicet Deus coepit super Israel

et incorrigibilitate eorum taediari, sicut scriptum est (IV. Reg. 10, 32.), quod « in diebus illis coepit Deus taedere super filios Israel ». Fuit ergo istud tempus iustae definitionis, qua Deus de Israel quasi taediatus definivit eos eiiciendos de terra promissionis. Hoc autem tempus fuit maxime in diebus Oziae, Achaz et Ezechiae regum Iuda. Et isto tempore missus est *Isaias.*

b) Secundum tempus fuit *diraе exsecutionis,* quia post praedicationem Isaiae et conscriptionem libri sui poenitere noluerunt, propter quod incepit Deus exsequi suam sententiam in diebus Iosiae et Ioachim et Sedeciae regum Iuda. In quibus magna Dei clementia adhuc parcere volens populo, misit *Ieremiam,* qui secundum librum inter maiores prophetas conscripsit.

c) Tertium vero fuit tempus *transmigrationis* in diebus fratris Ioachim regis Iuda, qui cum nobilibus captus, ductus est cum aliis in Babylonem, quo tempore *Ezechiel* in Chaldaea praedicavit ad consolandum captivos et tertium librum conscripsit.

d) Quartum fuit tempus *plenae desolationis* sub temporibus Sedeciae, in quo tempore, combustione civitate destructa, omnes, qui remanserant, rursum in Babylonem sunt ducti; et tunc missus est *Baruch* a Ieremia, qui librum quartum conscripsit.

e) Quintum tempus fuit *piae revocationis,* quo Deo placuit reducere populum in terram promissionis, quod fuit in diebus Cyri, regis Persarum; et propter hoc missus est *Daniel,* qui denuntiat destructionem Chaldaeorum et introductionem regni Medorum et deinde regni Graecorum. Et sic usque in finem.

Incipit Isaias propheta.

Incipit ergo Isaias, scilicet pars prophetica, et dividitur in *duos principales tractatus*, scilicet in *Tragoediam*, quae est oratio exprobrativa ac comminativa; et in *Comoediam*, quae est oratio exhortativa et consolatoria; sicut scilicet negotium persuasivum distinguitur ab Aristotele in primo Poëticae.

Texit ergo Isaias propheta primo oraculum comminatorium per 39 capitula inclusive; secundo vero oraculum consolatorium per 27 capitula successive usque in finem libri. Et incipit secundus tractatus in 40. capite: « Consolamini, consolamini, populo meus ».

TRACTATUS I. TRAGOEDIA.

« *Audite caeli, et auribus percipe terra* »!
(c. 1, 2.).

Primus autem tractatus continet in se *quinque partes*.

PARS PRIMA.

1. In prima namque propheta loquitur de gente Iudaica, *de regno scilicet duarum tribuum separatim* (cap. 1-12.).

In primo namque et secundo capitulo continetur exprobratio multiplicis flagitii Iudaeorum, propter quod reprobatur antiqua lex et evacuatur in capite primo, ubi dicitur (v. 13.): « Ne offeratis ultra sa-

crificium frustra; incensum abominatio est mihi ». Et introducitur novae gentis ac novae legis electio (c. 2, 2.): « Et erit in novissimis diebus praeparatus mons Domini ».

In tertio vero, quarto et quinto capitulo continetur comminatio multiplicis supplicii propter flagitia ipsorum, praecipue propter interfectionem Christi. Ita quod in tertio poena illa praedicitur et comminatur, quod incipit: « Ecce enim Dominator Dominus exercituum auferet a Ierusalem ».

In quarto autem novellus grex fidelium ab ista poena excipitur et praeservatur, quod incipit: « Et apprehendent septem mulieres », et subditur: « In die illa erit germen Domini in magnificentia et gloria ».

In quinto vero praedicta poena iusta ostenditur et sub quodam cantico ac metaphora vineae deploratur, et incipit capitulum: « Cantabo dilecto meo » etc.

In sexto vero capitulo ponitur particula tertia primae partis principalis, nam ibi continetur respectu Isaiae impositio officii prophetici et purgatio labiorum eius per calculum, quem Seraphim forcipe tulerat de altari. Et secundum Hebraeum est visio prima Isaiae, et incipit capitulum: « In anno, quo mortuus est Ozias, vidi Dominum sedentem ».

In septimo vero et octavo et nono, ubi est particula quarta, continetur liberatio multiplicis beneficii impensa populo Iudaeorum tempore Isaiae; ita quod in septimo et octavo agitur de liberatione Achaz de manibus duorum regum, Rasim regis Syriae et filii Romeliae regis Israel. In nono autem et decimo ponitur liberatio Ezechiae de manu

Sennacherib, regis Assyriorum, et interfectio praedicti regis per manus duorum filiorum suorum.

In undecimo vero et duodecimo continetur gratiarum actio et decantatio laudis et cantici. Et haec est quarta particula primae partis.

2. Est autem sciendum, quod in hac prima parte non solum tractatur de Iudaico populo, quae est una ex materiis, quas intendunt prophetae, imo et occasione varia ubique inseritur *de Christo*, quae est materia secunda.

Unde 1. capitulo propheta praedicat legalium evacuationem futuram, sicut patet per totum.

In 2. vero, Evangelii substitutionem et gentilium conversionem ad Dominum et Iudaeorum resistentiam et contradictionem, sicut patet per totum.

In 3. vero, destructionem corporalem Iudaeorum, Ierusalem et synagogae.

In 4. vero, aedificationem novae Ecclesiae.

In 5. compositionem cuiusdam cantilenae de synagoga repudiata, sicut decantatur de vetula; unde ibi dicitur (v. 1.): « Vinea facta est dilecto meo » etc.

In 6. autem capitulo propheta introducit personae Filii destinationem, ubi dicitur (v. 9.): « Vade et dices populo huic: Audite audientes et nolite intelligere »; et omnia, quae in illo capitulo continentur, pertinent ad istam materiam.

In 7. vero, eiusdem Filii *incarnationem, conceptionem et nativitatem ex virgine* (v. 14.): « Ecce virgo concipiet et pariet filium ».

In 8. discipulorum et credentium ac adhaerentium sibi recollectionem et aliorum scandalum, ubi dicitur (v. 14.): « In lapidem autem offensionis et

in petram scandali », et reliqua, quae sequuntur, in eodem capitulo usque in finem.

In 9. autem post ortum Christi introducit ipsius *passionem* et regni inchoationem (v. 6.): « Parvulus enim natus est nobis et filius datus est nobis, et factus est principatus », i. e. crux, « super humerum eius... Super solium David et super regnum eiuś sedebit ».

In 10. vero introducit filiorum Israel finalem conversionem ad Christum (v. 22.): « Si fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiae convertentur ex eo ».

In 11. vero introducit Christi gloriosam resurrectionem et diversorum populorum conversionem, cohabitationem sub uno pastore Christo, pleno septenario donorum Spiritus sancti; quod refertur ad statum universae Ecclesiae; unde incipit illud capitulum: « Et egredietur virga de radice Iesse... habitabit lupus cum agno... radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum deprecabuntur gentes, et erit sepulcrum eius gloriosum ».

In 12. vero introducit sacramentorum efficaciam et operationem et gratiarum effusionem, quae dividuntur in sacramentis super totam Ecclesiam. Et ideo illud capitulum per modum cantici continet gratiarum actionem et incipit: « Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi... Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris ».

Et in hoc finitur prima pars primi tractatus Isaiae.

PARS SECUNDA,

in qua tractat propheta *de gente (finitima) congregatim.* Comminatur enim omnibus vicinis nationibus diversas poenas et adversitates. Et durat illa pars per undecim capitula, quae continent *onera decem.*

In 1. namque onere comminatur *Babyloniis,* quorum destructio facta est per Cyrum et Darium (c. 13.): « Onus Babylonis ». Et statim capitulo 14. redit propheta ad Christum: « Prope est, ut veniat tempus eius ». Et iterum revertitur ad Babyloniorum destructionem, dicens (v. 3.): « Et erit in die illa, cum requiem dederit tibi Deus a labore tuo... Quomodo cessavit exactor, quievit tributum »? Et deinceps per totum invehitur contra Nabuchodonosor, regem Babylonis.

In 2. vero onere comminatur *Philisthaeis* (c. 14, 28.): « In anno, quo mortuus est rex Achaz, factum est onus istud. Ne laeteris, Philisthaea omnis tu »!

In 3. vero onere comminatur *Moabitis* (c. 15.): « Onus Moab ». Et quia Christus secundum carnem descendere debebat ex Ruth, quae fuit de Moab, ideo statim ex hac occasione propheta vertit stilum ad Christum (c. 16.): « Emitte agnum, Domine, dominatorem terrae ». Deinde revertitur ad comminandum Moabitis ut prius.

In 4. vero onere comminatur *Damasco* et *Syris* (c. 17.): « Onus Damasci ».

In 5. vero onere comminatur *Aethiopibus* et *Aegyptiis* (c. 18-20.), ubi multa inserit propheta de Christo, pro eo quod in Aegypto multum viguit

christiana religio ante tempora Mahometi; propter quod aspiciens ad illud tempus propheta ait (c. 19, 18.), quod « in die illa erunt quinque civitates in terra Aegypti... iurantes per Dominum exercituum, et cognoscetur Dominus ab Aegypto... et colent eum in muneribus et hostiis ».

In 6. vero onere comminatur *Assyriis* sive rursum Babyloniis (c. 21.): « Onus deserti maris ».

In 7. vero onere comminatur *Idumaeis* (c. 21, 11.). « Onus Idumaeae ».

In 8. vero comminatur *Arabibus* (c. 21, 13.): « Onus in Arabia... in saltu ad vesperam dormietis ».

In 9. vero comminatur *Hierosolymitis,* maxime principibus et praepositis templi (c. 22.): « Onus vallis Visionis ».

In 10. vero comminatur *Tyriis* (c. 23.): « Onus Tyri ».

Sufficientia istorum (onerum), etsi moraliter possit haberi penes decem peccata mortalia, in quibus isti populi peccaverunt, tamen literaliter sufficientia colligitur ex hoc, quod omnes isti populi in filios Israel peccaverunt, eos impugnando, quia confines terrae ipsorum erant.

Et in hoc finitur secunda pars primi tractatus.

PARS TERTIA,

in qua propheta tractat de *universi mundi machina simul et summatim,* quia post onera singularum regionum introducit onus, quod erit in fine mundi in tota terra generaliter; transfert enim se ad finale iudicium, ante quod dissipabitur tota terra (c. 24, 1-27.): « Ecce Dominus iudicabit terram ».

In 24. capitulo propheta denuntiat futuram dissipationem totius terrae, quae fiet ante iudicium. Et describit sententiam, quae profertur contra angelos malos (v. 21.): « Et erit, in die illa visitabit Dominus super militiam caeli »; et etiam super homines malos, cum subdit: « et super reges terrae, qui sunt super terram ». Et sic denuntiat propheta totius terrae dissipationem et iudicii promulgationem.

In 25. extollit divinam iustitiam ostensam in iudicio et assurgit in gratiarum actionem: « Domine, Deus meus es tu; exaltabo te et confitebor nomini tuo ».

In capitulo autem 26. describit post iudicium aeternum praemium bonorum: « In die illa cantabitur canticum istud in terra Iuda: Urbs fortitudinis nostrae Sion... aperite portas, et ingrediatur gens iusta ».

In 27. vero ostendit etiam post iudicium aeternum supplicium damnatorum Luciferi, quem vocat Leviathan, serpentem veterem, et angelorum suorum et hominum malorum: « In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro super Leviathan ».

Et sic finitur tertia pars primi tractatus. Sequitur

PARS QUARTA,

in qua tractat propheta de gente Iudaica et gente Israelitica, scilicet *decem tribubus combinatim*; et continet *quatuor* « Vae » (c. 28-31.).

In 1. quidem « Vae », quod incipit (c. 28, 1.): « Vae coronae superbiae »! comminatur genti Israe-

litae. Et in eodem vertit se ad Christum (v. 16.): « Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem angularem ».

In 2. vero « Vae », quod incipit: « Vae Ariel »! comminatur genti Iudaicae. Nam Ariel sive leo dicitur civitas David, mons Sion propter altare holocaustorum, quod dicebatur Ariel propter devorationem bestiarum et animalium, quae ibi consumebantur. Et ibi vertit se ad Christum, cum ait Iudaeis: « Miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, prophetas et principes vestros... et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati ».

In 3. vero « Vae », quod incipit (c. 30.): « Vae filii desertores »! comminatur reliquiis, quas commisit Nabuzardam sub manu Godoliae, quia post mortem Godoliae, prohibente Ieremia, voluerunt descendere in Aegyptum contra consilium Domini (c. 30, 7.): « Aegyptus enim frustra et vane auxiliabitur. Ideo clamavi super hoc: Superbia tantum est, quiesce ».

4. Et continuatur eadem materia in quarto « Vae » (c. 31.): « Vae qui descendunt in Aegyptum »! Et ibi vertit se propheta ad Christum in pluribus locis (c. 30, 18.): « Propterea exspectat Dominus, ut misereatur vestri, et ideo exaltabitur parcens vobis... beati omnes, qui exspectant eum »; (c. 30, 27.): « Ecce nomen Domini venit de longinquo ».

Et multa similia, in quibus finitur pars quarta primi tractatus. Sequitur

PARS QUINTA,

in qua rursum regreditur *ad gentem Iudaicam separatim et segregatim,* quae incipit (c. 32.): « Ecce in iustitia regnabit rex », ubi propheta procedit obscure et prophetice (c. 32-35.), deinde vero clare et quasi historice (c. 36-39.).

Primo namque in capitulo 32. agit de *Ezechia* et ipsius perfectione et sub metaphora eius agit de Christo, unde incipit: « Ecce in iustitia regnabit rex ».

In cap. autem 33. agit de *Sennacherib* et de eius destructione: « Vae, qui praedaris! nonne et ipse praedaberis »? Et statim exsultat pro gratiarum actione, dicens (c. 33, 2.): « Domine, miserere nostri, te enim exspectavimus ».

In cap. 34. agit de *Romanis* et de devastatione, quam fecerunt de Iudaeis sub Tito et Vespasiano, et hoc sub metaphora Idumeae et ironice (ut dicunt magistri Iudaeorum).

In cap. 35. vero vastata Iudaea et synagoga agit de Ecclesiae floritione et dilatatione, quae tunc temporis inchoata est; unde incipit: « Laetabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo ». Deinde quasi historice prosequitur quae dixit obscure.

Nam capitulo 36. introducit *Sennacherib* superbientem.

In 37. vero, *Ezechiam* ad Dominum clamantem et Dominum eripientem.

Sed in 38, *Ezechiam* infirmum, virtute Dei convalescentem.

Et 39, *Ezechiam* vane gloriantem, ostendendo Babyloniis divitias suas, propter quod Isaias con-

cludit captivitatem futuram et omnia deportanda in Babylonem.

Et sic finitur quinta pars et totus primus tractatus, in quo continetur oraculum comminatorium et flebile.

Incipit

TRACTATUS II. COMOEDIA.

« Consolamini, consolamini, popule meus »!

Quia enim in fine praecedentis capituli post comminationem multorum malorum dixerat Ezechias, quasi parum curans de aliis (c. 39, 8.): « Fiat pax tantum et veritas in diebus meis »; idcirco introducit propheta Dominum quasi pastorem verum curantem gregem et dicentem (c. 40.): « Consolamini, consolamini, popule meus »; ac si aperte dicat: Ex quo reges vestri non curant de vobis, ego vos consolabor.

In isto ergo tractatu consolatorio agit propheta de duplici materia et causa consolationis: prima quidem spirituali, et haec est liberatio, quae facta est per Christum a peccato; secunda vero corporali, quae facta per Cyrum a captivitate et ab exilio. Et secundum hoc dividitur iste tractatus in *tres partes:*

1. Nam primo agit de liberatione facta per *Christum* a peccato.

2. Secundo vero de liberatione facta per *Cyrum* ab exilio.

3. Tertio iterum redit ad liberationem factam per Christum a peccato, quia ipsam intendit

principaliter tamquam materiam maioris consolationis.

PARS PRIMA.

De liberatione facta per Christum a peccato. (c. 40-44.).

In cap. 40. agit propheta de praecursore *Ioanne Baptista* et eius praedicatione, unde ibi dicitur (c. 40, 3.): « Vox clamantis in deserto » etc., quae spectant ad Ioannem.

In cap. 41. agit propheta de *naturarum unione* et hominis assumptione *ex semine Abrahae,* et incipit (v. 8.): « Taceant ad me insulae... Et tu, Israel, serve meus, Iacob, quem elegi semen Abrahae amici mei, in quo apprehendi te ». Cui alludit Apostolus (Hebr. 2, 16.): « Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit ».

In cap. 42. agit de *Verbi incarnati conversatione,* et incipit: « Ecce servus meus, suscipiam eum, complacuit sibi in illo anima mea... non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris... non erit tristis neque turbulentus ».

In cap. 43. agit de *testium vocatione,* scilicet de vocatione *Apostolorum,* et incipit: « Et nunc haec dicit Dominus: Noli timere... » (v. 8. seq.): « Educ foras populum caecum... dent testes eorum... vere vos testes mei, dicit Dominus ».

Et in cap. 44. agitur de *testium inspiratione,* qui repleti sunt Spiritu sancto in die pentecostes (v. 1.): « Et nunc audi Iacob... effundam spiritum meum super semen tuum ».

In omnibus autem istis quinque capitulis invehitur propheta contra idololatriam, ne quis reputet ad orationem istius hominis, de quo loquitur et quem praedicat esse Deum, idololatriam fore, sicut hodie putant errantes Iudaei. Et sic finitur etc.

PARS SECUNDA.

De liberatione facta per Cyrum (c. 45-48.).

1. In cap. 45. introducit propheta divinae *liberationis instrumentum* et organum, scilicet regem Cyrum, et occasione eius vertit se ad Christum, cum ait (v. 8-14.): « Rorate caeli desuper... Tantum in te est Deus et non est praeter te Deus ». Quod non potest intelligi de Cyro, sed solum de Christo.

2. In cap. 46. introducit propheta *liberatorem praecipuum,* scilicet Deum; quia, etsi Cyrus fuit instrumentum, Deus tamen fuit actor praecipuus destructionis Balthasari, Babylonis et Chaldaeorum ac liberationis Iudaeorum (v. 3-4.): « Audite me domus Iacob et omne residuum domus Israel:... ego feci et ego feram »; (v. 13.): « Dabo in Sion salutem et in Israel gloriam meam ».

3. In cap. 47. introducit propheta *liberationis modum,* qui consistit in destructione Babylonis et regni eius (v. 1.): « Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylon ».

4. In cap. 48. propheta introducit *praedicationis motivum;* unde ostendit, quod Deus longe ista praedixit, ut liberationem suam Iudaei non imputarent idolis, sed sibi soli (v. 1.): « Audite haec,

domus Iacob... Praedixi tibi ex tunc; antequam venirent indicavi tibi, ne forte diceres: Idola mea fecerunt hoc ». Et convertit se ad Christum (v. 16.): « Ex tempore, antequam fieret, ibi eram; et nunc Dominus Deus misit me et spiritus eius ».

Et in hoc finitur etc. Sequitur

PARS TERTIA.

De liberatione facta per Christum (c. 49-66.).

« Audite insulae » (c. 49.). Ab illo loco et deinceps quasi evangelica et apostolica praedicat omnia mysteria fidei nostrae, quae pertinent ad Christum. Unde deducit *de Christo duodecim conclusiones:*

1. Exsequitur, quae pertinent ad Salvatoris *infantiam* et absconsionem. Nam per triginta annos usque ad annum praedicationis conversatus est in mundo quasi ignotus, sicut unus alius purus homo (c. 49, 2. 3.): « In pharetra sua abscondit me et dixit mihi: Servus meus es tu ». Et describitur in toto capitulo excellentia huius hominis sic latentis et absconsi.

2. Exsequitur ea, quae pertinent ad multiplicem *iniuriam*, quam passus est et persecutionem (c. 50, 1. 5. 6.): « Haec dicit Dominus: Quis est hic liber?... Dominus Deus aperuit mihi aurem... corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus ».

3. Exsequitur ea, quae pertinent ad *sapientiam* Christi et *praedicationem* (c. 51.): « Audite me, qui sequimini quod iustum est, et quaeritis Dominum »; (v. 4.): « Audite, quia lex a me exiet et iudicium meum in lucem populorum requiescet »; (c. 52,

6.): « Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse sum, qui loquebar, ecce adsum ».

4. Exsequitur ea, quae spectant ad Christi *tolerantiam*, patientiam, passionem et mortis perpessionem (c. 52, 13. 14.): « Ecce intelliget servus meus... sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus eius »; (c. 53, 2.): « Non est speciès ei neque decor ».

5. Exsequitur ea, quae pertinent ad *Ecclesiam* et ipsius formationem, et hoc ordine congruo, quia formata est de latere Christi dormientis in cruce (c. 54, 1.): « Lauda, sterilis, quae non paris ». Et sequitur, quod alibi non est salus nec inventio gratiae nisi intra Ecclesiam (c. 55, 1.): « Omnes sitientes venite ad aquas ».

Post hoc a cap. 56. ostendit, quod Ecclesia non arctatur ad unum populum; unde dicit (c. 56, 2. 3.): « Beatus vir, qui facit hoc, et filius hominis, qui apprehendet istud... et non dicat filius advenae, qui adhaeret Domino dicens: Separatione dividat me Dominus a populo suo ». Deinde vero c. 57. et 58. ponit informationem moralem, et omnia ista pertinent ad Ecclesiam.

6. Exsequitur ea, quae spectant ad Christi *gloriam et resurrectionem* (c. 59, 1.). « Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat »; (v. 15. 17.): « Salvavit sibi brachium suum, indutus est lorica, et galea salutis in capite eius ». Et continuando (c. 60, 1-22.): « Surge, illuminare, Ierusalem, quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est »; quae pertinent ad Christi gloriam et resurrectionem.

7. Exsequitur ea, quae pertinent ad Christi *famam*, per orbem diffusam, atque opinionem et discipulorum disseminationem per orbem (c. 61.): « Spiritus Domini super me ». Ubi agitur de discipulis disseminatis per orbem ad portandum famam Christi (c. 61, 9.): « Omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus ».

8. Exsequitur, ea, quae spectant ad *denominationem novam* et ad intitulationem nominis christiani, quia hoc nomen novum et gloriosum impositum est credentibus (c. 62, 1-4.): « Propter Sion non tacebo... vocabitur tibi nomen novum, quos os Domini nominabit. Et eris corona gloriae in manu Domini et diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra derelicta ».

9. Exsequitur ea, quae spectant ad *regressum in caelum* et gloriosam ascensionem (c. 63.): « Quis est iste, qui venit de Edom »?

10. Exsequitur ea, quae spectant ad *Iudaeorum nequitiam* et excaecationem a Christo ascendente in caelum (c. 63, 7.): « Miserationum Domini recordabor », ubi reducit ad memoriam beneficia omnia, quae Deus contulit Iudaeis, praecipue beneficium eductionis de Aegypto et adventus Christi (c. 64, 1.): « Utinam disrumperes caelos et venires ». Et tamen non obstantibus his excaecati sunt, et deplorat eorum excaecationem (c. 63, 15. 17.): « Attende de caelo et vide de habitaculo sancto tuo... quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis; indurasti cor nostrum, ne timeremus te »?

11. Exsequitur ea, quae spectant ad *finalem misericordiam* et ad reversionem Iudaeorum ad

Christum (c. 65, 1. seq.): « Dixi: Ecce ego ad gentem, quae non invocabat nomen meum. Expandi manus meas tota die ad populum incredulum»; (v. 8. 9.): « Sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum. Et educam de Iacob semen et de Iuda possidentem montes meos ».

12. Ultimo exsequitur ea, quae spectant ad *finale iudicium* et praemium bonorum ac malorum punitionem (c. 66.): « Caelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum ». Sequitur de gloria beatorum (v. 10.): « Laetamini cum Ierusalem et exsultate in ea, et impleamini ab ubere consolationis eius ». Et de poena damnatorum (v. 24.): « Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur ».

Et sic finitur secundus tractatus et totus liber.

Notandum tamen, quod ista *duplex liberatio*, una facta per Cyrum et alia per Christum facta, sic miscetur in secundo tractatu, ut vix sit capitulum, in quo non interseratur aliquid de utraque; in tantum quod Iudaei totum exponunt de illa, quae facta est per Cyrum, quamvis impossibile sit sic exponi quantum ad plurima, quae dicuntur in hoc tractatu. Et ideo melius est et literalius, dividere eo modo, quo dictum est.

Incipit Ieremias propheta.

Nunc accedit Ieremias, cuius liber dividitur in *16 partes principales.*

In prima namque parte ipsi prophetae *legatio imponitur,* ubi ostenditur propheta sanctificatus, cum dicitur (c. 1, 5.): « Priusquam te formarem in

utero, novi te, et antequam exires de vulva, sanctificavi te ». Et deinde causa legationis describitur sub metaphora ollae succensae et vigilantis virgae, et demum legatio iniungitur (v. 17.): « Tu ergo, accinge lumbos tuos, et surge et loquere ad eos omnia, quae ego praecipio tibi ».

In secunda vero parte *legatio discutitur*, utrum sit iusta vel iniusta, ne videatur Deus crudeliter procedere in destinando prophetam ad praedicandam captivitatem (c. 2-11.). Ut autem appareat *legatio iusta*, in cap. 2. incipit propheta describere Iudaeorum ingratitudinem et culpam gravissimam contra Deum.

In c. 3. vero describit ex parte Dei summam clementiam sub metaphora sponsi contempti, volentis uxorem accipere etiam post contemptum; quod non est consuetum: « Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eam ultra »?

In c. 4. vero officio ex parte Dei facilem veniam ostendens, quod non exigat Deus ab eis satisfactionem nimis duram: « Si reverteris, Israel, ad me convertere ».

In c. 5. vero aufert a Iudaeis excusationem veram, quam possunt habere ex immixtione aliquorum cum eis, si forte inter eos invenirentur: « Circuite vias Ierusalem et aspicite et considerate, et quaerite in plateis eius, an inveniatis virum facientem iudicium et quaerentem fidem: et propitius ero ei ».

In c. 6. vero aufert ab eis confidentiam, quam deberent habere de sanctitate sacerdotum, prophetarum et religiosorum suorum: « Confortamini, filii Beniamin, in medio Ierusalem »; (v. 13.): « A minore

quippe usque ad maiorem omnes avaritiae student; et a propheta usque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum ».

In c. 7. aufert ab eis fiduciam, quam possent habere de sanctitate templi et sacrificiorum (v. 4.): « Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est ».

In c. 8. aufert ab eis fiduciam, quam possent habere in sapientia scribarum et hominum doctorum (v. 8. 9.): « Vere mendacium operatus est stylus mendax scribarum... verbum enim Domini proiecerunt, et sapientia nulla est in eis ».

In c. 9. vero, ex quo nullam excusationem propheta reperit pro Iudaeis, incipit lamentari et plangere lamentabilem cantilenam, et ait: « Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum »?

In c. 10. vero regreditur ad Iudaeorum caecitatem et ignorantiam, quia contra omnem rationem illi erant, contempto Deo, ad idololatriam dediti (v. 7.): « Quis non timebit te, o rex gentium »?

In c. 11. vero et ultimo capitulo huius partis pactum Domini cum filiis Israel reducitur ad memoriam, ut ex omnibus istis aggravetur culpa Iudaeorum, et ostendatur legatio Domini iusta, qui mittebat prophetam ad denuntiandum mala, quae in praedictis capitulis continue inseruntur. Et secundum hoc patet, qualiter in his decem capitulis legatio discutitur, an iusta fuerit vel iniusta.

In tertia vero parte super ipsam *legationem querulatur* propheta et conqueritur propter *mala*, quae praevidet, se passurum *ex ista legatione* (c. 11,

18.): « Tu autem, Domine, demonstrasti mihi, et cognovi... et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam ». In qua parte multa continentur de passione Christi.

In quarta vero parte propheta *legationem exsequitur* praedicando contra Hierusalem et Iudaeam sub metaphora lumbaris, quod computruit, et sub metaphora sermonum siccitatis et metaphora Moysi et Samuelis, qui alias exauditi fuerunt pro populo et tamen tunc non possent exaudiri, et sub metaphora eunuchi et hominis sterilis. Unde dicitur ipsi Ieremiae (c. 16, 2.): « Non accipies uxorem, et non erunt tibi filii et filiae in loco isto ». Et sub metaphora stili ferrei et adamantini lapidis et sub metaphora figuli et confracti vasis, et sub metaphora lagunculae et testei vasis (c. 13-19.).

In hisce propheta se vertit saepe ad passionem Christi, ut ubi ait (c. 14, 8.): « Quasi colonus futurus es in terra »; (c. 15, 15.): « Tu scis, Domine, recordare mei et visita me et tuere me ab his, qui persequuntur me »; (c. 16, 19.): « Domine, fortitudo mea et robur meum et refugium in die tribulationis meae ». Et ubi ait (c. 17, 13.): « Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur » etc. Et ubi dicit (c. 18, 18.): « Venite, et cogitemus contra Ieremiam... et percutiamus eum lingua »; (v. 20.): « Recordare, quod steterim in conspectu tuo ».

In quinta vero parte pro sua praedicatione propheta *patitur* et *persecutioni* subiicitur (c. 20.), ubi multa continentur de passione Christi.

In sexta vero parte iterum propheta *prophetare resumit*, postquam fuerat percussus, incarceratus ac positus in imo. In c. 21. namque prophetat

contra urbem Hierusalem; in c. 22. contra regem, et in c. 23. contra malos prophetas et alios, qui pascebant ac dirigebant gregem filiorum Israel illis diebus, et ibi agit de adventu Christi, qui erit bonus rex et bonus pastor, dicens (c. 23, 5.): « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen iustum; et regnabit rex et sapiens erit ».

In septima vero parte *prophetia* partim *impletur* et impleta aspicitur quantum ad primam transmigrationem, quae facta est de Iechonia et principibus eius, qui ducti sunt in Babylonem, ibique prospera promittuntur transmigratis et adversa remanentibus (c. 24-25.).

In octava vero parte propheta iterum *adversitates patitur* et persecutiones pro sua praedicatione: primo quidem a populo (c. 26.), secundo vero a falsis prophetis (c. 27-28.).

In nona vero parte *consolatio* repromittitur transmigratis (c. 29-33.), ubi etiam multa continentur de Christo (c. 31, 33.): « Post dies illos dabo legem meam », et multa alia consolabilia de Christo.

In decima vero parte rursus *desolatio* praedicitur et prophetatur commorantibus in Hierusalem, aliis transmigratis in Babylonem. Unde totum est contra Sedeciam (c. 34.).

In undecima vero parte *prophetia scribi* praecipitur a Ieremia in uno libro, et scriptus comburitur et combustus rursus reficitur. In c. 35. resumit propheta, quomodo misit eum Deus ad praedicandum populo, nec tamen ipsum audivit, cum filii Rechab audiverint et obedierint patri suo. In c. 36. continetur haec historia de libri combustione et refectione.

In duodecima vero parte rursum propheta *patitur* et intra *capitur* et incarceratur (c. 37. et 38).

In parte vero decima tertia *prophetia tollitur*, liber impletur et perficitur quantum ad captionem Hierusalem et combustionem templi et destructionem muri. Et hoc continetur historice in cap. 39, ubi etiam agitur de liberatione Ieremiae.

In parte vero decima quarta propheta *populum secum liberatum* et reliquias dimissas usque in Aegyptum benevole prosequitur; historice narrat, qualiter contra consilium Ieremiae descendit populus in Aegyptum, ubi etiam contra eos prophetavit (c. 40-45.).

In parte vero decima quinta et penultima prophetia *extenditur ad omnes gentes*, quia est contra Aegyptios et contra Palaestinos et contra Moab et contra Amon et contra Babylonios (c. 46-52.).

In parte vero decima sexta et ultima *materia Threnorum historice continetur*; posita combustione templi et deportatione vasorum Domini, propheta concludit (c. 53 usque finem): « Et factum est, postquam in captivitatem ductus est Israel, et Ierusalem destructa est, sedit Ieremias flens et amaro animo suspirans et eiulans dixit: Quomodo sedet sola civitas plena populo » etc.

Et in hoc finitur liber Ieremiae prophetae. Liber autem Threnorum superius est divisus.

Incipit Baruch propheta.

Nunc accedit Baruch et dividitur in *septem partes* secundum septem conclusiones, quas intendit totus ille liber. Inducit namque populum captivatum in Babylone exsistentem ad placandum Deum:

1. quidem per oblationem legalem (c. 1, 1-15.): « Et dicetis: Domino Deo nostro ».

2. Per confessionem vocalem omnium peccatorum suorum et iustitiae divinae (c. 1, 15-c. 2, 13.): « Avertatur ira tua a nobis, quia derelicti sumus ».

3. Per operationem et supplicationem mentalem (c. 2, 13-c. 3, 9.): « Audi Israel mandata vitae ».

4. Propheta subiungit orationem salutarem et salubrem (c. 3, 9-c. 4, 8.): « Obliti estis Deum, qui nutrivit vos, et contristastis nutricem vestram Hierusalem ».

5. Inducit locutionem figuralem civitatis Hierusalem ad modum captivum populum alloquentis, plangentis et desiderantis ipsius adventum et reditum (c. 4, 8-30.): « Animaequior esto Ierusalem ».

6. Inducit promissionem supernalem festinam, iucundam et regalem venturam super Ierusalem (c. 4, 30-c. 5.) usque in finem capituli.

7. Vero et ultimo ponit Baruch informationem epistolarem, quam destinavit Ieremias ad captivos in Babylonia, in qua rationibus multis ostendit, idola falsa esse et non habere in se aliquid divinum (c. 6.): « Propter peccata » etc.

Explicit Baruch.

Incipit Ezechiel propheta.

Accedit nunc Ezechiel et dividitur in *septem partes.*

Prima namque est introductiva grandis *oraculi* et continetur primo capitulo, ubi introducitur Dominus sedens super thronum, positum super firmamentum, quod imminebat quatuor animalibus,

quia designabant quatuor monarchias, quas divina providentia regit.

Secunda vero est imponitiva grandis *officii* ipsi Ezechieli, quia officii et auctoritatis praedicandi (c. 2. et 3.): «Fili hominis, mitto ego te».

Tertia vero est comminativa grandis *supplicii* et futuri *iudicii* super Iudaeam et Ierusalem; quod Nabuchodonosor adimplevit (c. 4-14.). Et in hisce describuntur:

1. Hierosolymae obsidio et famis perpessio (c. 4.).

2. Populi captivatio et dispersio (c. 5.).

3. Terrae et regionis depopulatio et desolatio (c. 6. et 7.).

4. Abominationum et criminum (numeratio), quae fiebant in Ierusalem et in templo (c. 8.).

5. Civitatis subversio et templi combustio (c. 9. et 10.).

6. Principum, regum et prophetarum punitio (c. 11-13.).

7. Omnis remedii consolatio. Dato enim, quod si fuissent tres viri in ea, i. e. in Ierusalem: Noe, Daniel et Iob, tantum animas suas liberassent (c. 14.).

Quarta vero pars est decantativa grandis *flagitii* (c. 15.) sub metaphora vitis, sponsae deformis aquilae grandis, uvae acerbae et agrestis, leaenae, leonis, saltus comburendi, nemoris, gladii et elimati ensis, scoriae, stagni, ferri et aeris, duarum filiarum unius mulieris, ollae aeneae et pinguis animalis. Sub iis, inquam, decem metaphoris describuntur flagitia et peccata populi Iudaeorum et civitatis Ierusalem; propter quod illud horrendum

iudicium, quod in parte priori praedixerat, erat super eos venturum.

Quinta vero pars est denuntiativa futuri *exterminii* contra alias nationes, ut contra Amon, Tyrum, Aegyptum (c. 25-32.): « Et fons est Domini ad me dicens... contra filios Amon » etc.

Sexta vero pars est revocativa captivi populi ab exilio et etiam repromissiva *gaudii* (c. 33-39.): « Factum est verbum Domini... loquere ad filios populi tui ». Ibi etiam agitur de Christo in pluribus locis, et interseritur de destructione Gog.

Septima et ultima pars est fabricativa solemnis tabernaculi et *novi templi* (c. 40-48.), ubi etiam tractatur de divisione terrae et de ritu altaris et sacrificii. Et in hoc concluditur Ezechielis tractatus.

Incipit Daniel propheta.

Nunc accedit Daniel et dividitur in *quinque partes.*

In I[a] namque ponitur respectu Danielis *acquisitio intellectus* et sapientiae (c. 1.).

In II[a] vero ponitur *declaratio* suae *intelligentiae* (c. 2.). Declaratur sua intelligentia in ordine ad somnia, quod interpretatus est somnium Nabuchodonosor, ut ibi patet. In c. 3. in ordine ad visa, quia angelus Domini in specie Christi visibiliter viri apparuit in fornace. In 4. vero in ordine ad audita, ubi interpretatur Daniel vocem sancti et vigilis de caelo clamantis (c. 4, 20.): « Succidite arborem ». In 5. in ordine ad conscripta, quia scripturam illam interpretatus est (c. 5, 25.): « Mane, Thekel, Phares ». Ex quibus declaratur, qualiter fuit spiritus intelligentiae in ipso Daniele.

In III[a] vero parte ponitur respectu ipsius Danielis *testimonium sanctimoniae*, qui missus in lacum leonum, quia nolebat adorare regem, miraculose exstitit a leonibus liberatus (c. 6.).

In IV[a] vero parte prophetiae ponitur *continuatio* purae *prophetiae*. Et continet sex capitula et quatuor visiones propheticas (c. 7-12.).

a) In 7. namque cap. sub quatuor bestiis prophetatur successio quatuor monarchiarum et quatuor regnorum, et introducitur regnum Christi tamquam quintum.

b) In 8. vero cap. prophetatur destructio regni Medorum et introductio regni Graecorum, sub metaphora arietis et hirci.

c) In 9. cap. prophetatur reductio Iudaeorum et egressus de captivitate, et ibi additur de adventu antichristi et eius morte sub mysterio septuaginta hebdomadarum.

d) In 10. et 11. introducitur ac prophetatur destructio regni Graecorum et persecutio Machabaeorum, et agitur de antichristo.

e) Et tandem c. 12. agitur de resurrectione et finali iudicio cunctorum. Et sic finitur quarta pars Danielis.

In V[a] vero ponitur annotatio *duplicis historiae* per duo capitula ultima: Susannae et utriusque senis in 13. cap., draconis vero et belluae in 14. cap., ubi etiam agitur de apportatione Habacuc per angelum super lacum leonum, ubi Daniel erat. Et concluditur totus liber in liberatione Danielis. Explicit Daniel.

Incipit liber duodecim prophetarum.

DUODECIM PROPHETAE MINORES.

Prologus.

Nunc accedit liber prophetarum, quorum quidem sunt quatuor *comminatorii,* ut Osee, Ioel, Amos et Michaeas; et quatuor *consolatorii* respectu Iudaeorum, quia comminantur aliis nationibus, quae erant eis infestae: Abdias scilicet et Ionas, Nahum et Habacuc; et quatuor *revocatorii,* qui revocant populum a Babylonica captivitate, scilicet Sophonias, Aggaeus, Zacharias et Malachias.

1. Rursus quatuor prophetae *comminatorii* captivitatis Iudaeorum sic dividuntur: quia *a)* Osee comminatur utrique regno Israelitico et Iudaico; *b)* Ioel vero tantum duabus tribubus, sive regno Iudaico (ut Hieronymus dicit); *c)* Amos vero non solum illi duplici regno, imo et omni regno Idumaeo et Damasco et Gazae et Tyro, Amonitis et Moabitis; *d)* Michaeas autem principaliter comminatur regno Israelitico, quia fuit causa erroris alterius regni.

2. Rursus quatuor illi, qui sunt *consolatorii,* sic dividuntur: quia *a)* Abdias loquitur contra regnum Idumaeorum, quia Idumaei nati sunt de Esau et aemuli erant Israeli; *b)* Ionas vero loquitur contra Niniven et regnum Assyriorum; sed tamen, quia ad praedicationem eius egerunt poenitentiam, prophetata per Ionam suspensa sunt pro tunc a clementissimo Deo; et ideo *c)* succedit Nahum, qui

rursum comminatur contra Niniven et regnum Assyriorum, quia non perseveraverunt in poenitentia, sed potius decem tribus captivarunt; *d)* Habacuc vero loquitur contra Nabuchodonosor et regnum Chaldaeorum, quia captivaverunt duas tribus.

3. Rursus quatuor illi prophetae, qui sunt *revocatorii*, sic distinguuntur: *a)* quia Sophonias dicit revocationem futuram; *b)* Aggaeus et Zacharias cernunt eam praesentem et exhibitam, et hortantur populum ad exeundum Babyloniam et aedificandum templum et Ierusalem civitatem sanctam; *c)* Malachias vero cernit eam praeteritam, et ideo monet ad timendum Deum et ad vitam sanctam, et maxime sacerdotes et tribum leviticam.

Et secundum hoc distinguuntur duodecim prophetae.

I. Incipit Osee propheta.

Incipit ergo prophetia Osee, scilicet liber primus duodecim prophetarum, et dividitur in *quinque partes* principales.

In I[a] namque assumit personam *vatis futura praevidentis* in se ipso quasi sub quodam portento et signo (c. 1-3.). In quibus de fornicaria agit, quae genuit duos filios et unam filiam, et cum hoc de mandato Dei diligit mulierem ab alio dilectam, quae omnia signanter erant prodigia et praesagia futurorum, quae erant ventura super populum Israeliticum decem tribuum et etiam duarum.

In II[a] vero parte assumit personam *iudicis* et contendentis in iudicio cum populo, contra quem prophetabat. Unde inducit Dominum quasi iudicio

se submittentem (c. 4-7.): « Audite verbum Domini, filii Israel, quia iudicium Domini cum habitatoribus terrae ».

In III[a] vero parte *assumit personam praeconis* et clangentis (c. 8-9.): « In gutture tuo sit tuba ».

In IV[a] vero parte assumit personam *patris* super receptis beneficiis arguentis et memoriam facientis de multiplici bono, super quo erant ingrati (c. 10-13.): « Vitis frondosa Israel ».

In V[a] vero parte et ultima assumit personam *amici* familiariter et amicabiliter providentis de sano consilio (c. 14.): « Convertere Israel... et convertimini ».

Quia prophetam istum continuare est valde difficile, circa quamlibet ex iis partibus amplius insistendum.

I. VATES.

Prima ergo pars, in qua prophetat per modum *vatis* sub quodam signo et portento, continet *septem particulas.*

1. Primo namque propheta praedicit futuram poenam super domum regiam, domum videlicet Iehu, de cuius stirpe erat Ieroboam, in cuius tempore prophetabat. Et hoc facit in primo portento. Quia primo filio nato de fornicaria, quem appellabat *Iezrahel* (c. 1, 1-5.): « Verbum Domini, quod factum est... Vade, sume tibi uxorem fornicationis... quod concepit » etc.

2. Secundo vero praedicit in totam plebem decem tribuum et duarum captivitatem futuram; sed duarum temporalem et decem perpetuam. Et hoc

in secundo portento de filia, quae vocata est *Absque misericordia* (c. 1, 6-7.): « Et concepit adhuc... et peperit ei filium ».

3. Tertio propheta convertit se ad utriusque caecitatem venturam et cordis duritiam habituram pro tempore Christi. Et sub tertio portento de filio, qui dictus est *Non populus meus,* quod hodie verificatur in Iudaeis, c. 1, 8-9. usque ibi: « Et erit in loco, ubi dicetur eis ».

4. Quarto vero propheta praevidet et praedicit illius populi excaecati illustrationem secundum partem aliquam, scilicet secundum reliquias, quae salvae factae sunt, scilicet Apostolorum et discipulorum et credentium, qui fuerunt ex Iudaeis, c. 1, 10-11. usque in finem.

5. Quinto vero regreditur ad captivitatem praedictam, ostendendo eam iustam. Et super hoc interpellat iudicium eorum, qui salvi facti sunt et misericordiam consecuti, videlicet reliquiarum (c. 2. 1-13.): « Dicite fratribus vestris: Populo meus... ecce ego lactabo eam ».

6. Sexto vero revertitur ad illustrationem reliquarum praemissarum (c. 2, 14-24.): « Adducam eam in solitudinem et loquar... et dabo ei... et sponsabo te mihi ». Spectat ad Apostolos et discipulos et credentes.

7. Septimo vero aperit unam aliam conversionem filiorum Israel iam futuram post longam moram temporis et distantiam, conversionem scilicet finalem et ultimam, dum intraverit gentium plenitudo. Et hoc cap. 3, ubi posito de muliere adultera, multis diebus exspectante, concluditur, quod diebus multis sedebunt filii Israel sine rege et sine

sacrificio et sine altari, sicut est dies haec. Post haec autem revertentur et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum, scilicet Christum.

II. IUDEX.

Circa secundam vero partem principalem, ubi inducit personam *iudicis* (c. 4-7.), per ordinem octo facit:

1. Primo namque introducit Dominum subeuntem iudicium et allegantem multiplex peccatum filiorum Israel, c. 4, 1-2, ubi subditur: « Non est enim veritas, et non est misericordia... maledictum et homicidium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit ». Et statim subdit flagellum (v. 3.): « Propter hoc lugebit terra ». Et sic ponit Dominum volentem subire iudicium, an iuste flagellasset. Et altera parte ostendit, testimonium esse, quia filii Israel volunt subire iudicium; et hoc ibi (v. 4.): « Verumtamen unusquisque non iudicet ».

2. Secundo vero, ex quo nolunt subire iudicium, propheta comminatur flagellum decem tribuum propter duplex peccatum ignorantiae, quia legem Domini erant obliti; propter quod ait: « Nocte feci tacere matrem tuam, eo quod non habuit scientiam »; et propter peccatum idololatriae, quo fornicati sunt contra Dominum et idola coluerunt. Tunc propter hoc subiungit (v. 10-19.): « Fornicati sunt et non cessaverunt... nocte tacere feci », usque ibi: « Si fornicaris tu Israel, non delinquat saltem Iuda », usque in finem capituli.

3. Tertio vero propheta ingreditur iudicium omisso toto populo cum coetu sacerdotum et prin-

cipum ac maiorum (c. 5, 1-5.). Incipit: « Audite haec sacerdotes », usque ibi: « Ruet etiam Iuda ».

4. Quarto vero comminatur duabus tribubus, quae non secutae sunt suum consilium (c. 5, 5-8.): « Ephraim in desolatione erit ».

5. Quinto vero ostendit populum Israel desolatum quaerentem sibi subsidium superfluum et inutile regis Assyriorum, cum tamen deberet pro refugio in tribulationibus et flagellis istis recurrere ad Dominum (c. 5, 9-15.): « Ephraim in desolatione erit... In die correctionis in tribubus Israel ostendi fidem... Abiit Ephraim ad Assur, misit ad regem ultorem, et ipse non poterit sanare nos », usque ibi: « Vadens revertar ad locum meum ».

6. Sexto vero convertit se ad tempus futurum, videlicet ad tempus Christi, pro quo revertentur et fugient ad ipsum ista occasione nacta, quia locutus fuerat de confugio ipsorum ad Assyrium (c. 5, 16. c. 16, 6.). Incipit: « Vadens revertar ad locum meum, donec deficiatis et quaeratis faciem meam », quae sunt verba Christi dicentis: « Non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit » etc. Et durat per 6. cap., quod incipit: « In tribulatione sua », ubi etiam agit de Christi resurrectione, cum ait: « Verificabis nos post duos dies » etc.; et de aeterna generatione a Patre, cum subdit: « Quasi diluculum praeparatus est egressus eius »; et temporali nativitate ex matre, cum ait, « Quod veniet nobis quasi imber temporaneus ». Et finitur particula ista in versiculo illo: « Quia misericordiam volui et non sacrificium et scientiam Dei plus quam holocaustum ».

7. Septimo vero promittit propheta duabus tri-

bubus misericordem Dominum et decem tribubus claudit ipsum. Et incipit illa particula in illo loco: « Ipsi autem sicut Adam praevaricati sunt pactum meum », ubi et sequitur: « Contaminatus est Israel, sed et Iuda, pone messem tibi, cum converterem captivitatem populi mei ». Et ibi pars illa et capitulum 6. finitur.

8. Octavo vero propheta ex parte Domini aperit huius diversitatis causam et motivum, quare scilicet super Israel claudet sinum misericordiae, cum super duas tribus aperiet ipsum. Et incipit particula illa: « Cum sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim » in principio cap. 7. et durat usque in finem per totum, ubi describit culpam sub nomine Ephraim, qui induxit populum ad idololatriam. Et ostendit, quod nullus ex regibus eorum clamabat ad Dominum nec reversus est ad eum, sed ceciderunt omnes; unde dicit: « Ephraim panis subcinericius, qui non revertatur » etc.; cum tamen ex regibus Iuda multi reversi sunt ad Deum. Et haec est causa, quare Dei misericordia non sanavit duas tribus.

III. PRAECO.

Circa partem vero tertiam, ubi propheta post iudicium assumit personam *praeconis* clangentis, duo facit:

1. Primo namque clangit filiorum Israel praevaricationem et correspondentem punitionem peccatorum (c. 8.).

2. Secundo vero clangit eorum mirabilem mutationem et subversionem de uno statu in alterum, de statu scilicet prospero in statum adversum (c. 9.).

In octavo ergo capitulo, quod incipit: « In gutture tuo », clangit duplicem praevaricationem et duplicem poenam. *Primo* clangit primam culpam, scilicet transgressionem legis, a principio capituli usque ibi: « Ipsi regnaverunt et non ex me ». *Secundo* clangit secundam culpam, scilicet assumtionem regis Ieroboam et omnium, qui regnaverunt in decem tribubus deinceps contra voluntatem divinam, et inquam *beneplaciti*, quamvis non contra *permissionem* Dei. Quod probat, quia ex auro suo et argento fecerunt idolum et dimiserunt Dominum. Et statim fecerunt derisionem. Subdit contra vitulum, quem fecerunt deum, ubi dicit: « Quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariae ». Et durat illa particula a loco illo: « Ipsi regnaverunt » usque « devoratus est Israel ». *Tertio* clangit primam poenam, quae correspondet assumtioni regis contra voluntatem Dei. Et haec poena fuit persecutio facta ab Assyriis tempore Phyn et Teglatphalasar, Salmanasar et Sennacherib: « Devoratus est Israel. Nunc factus est Israel quasi vas immundum, quia ipsi ascenderunt ad Assur », usque ibi: « Quia multiplicavit ». Clangit *quarto* secundam poenam correspondentem transgressioni, quae poena fuit persecutio illata ab Aegyptiis; unde inferendo concludit: « Ipsi in Aegyptum convertentur ».

In nono vero capitulo describit propheta *sex mutationes* filiorum Israel de statu prospero in adversum.

Primo quidem clangit mutationem quandam de opulentia et laetitia in famem et tristitiam ac sterilitatem abundantiae contrariam: « Noli laetari », usque ibi: « Scitote Israel ».

Secundo vero clangit mutationem sapientiae et prophetiae, qua praeditus fuit populus Israel, in stultitiam et amentiam: « Scitote, Israel, stultum prophetam, insanum virum spiritualem », usque ibi: « Quasi uvas in deserto ».

Tertio clangit mutationem sanctitatis, quam in patribus habuit, in peccata et in spurcitiam, quam tunc habebat tempore, quo Osee prophetabat: « Quasi uvas... Ephraim quasi avis advolavit ».

Quarto vero clangit mutationem foecunditatis filiorum in prolis carentiam, cum tamen eis promissum fuerit, quod multiplicarentur sicut stellae caeli; et hoc ab illo loco: « Ephraim quasi avis », usque ibi: « Ephraim, ut vidi ».

Quinto clangit mutationem dignitatis in ignominiam et opprobrium: « Ephraim ut vidi », usque ibi: « Da eis, Domine ».

Sexto propheta clangit sive inducit super hoc orationem suam: « Da eis », usque ibi: « Abiiciet eos Dominus Deus meus, quia non audierunt eum, et erunt vagi in nationibus », ubi vertit se ad tempus Christi, quia hodie filii Israel vagantur.

IV. PATER.

Circa partem vero quartam, ubi propheta assumit personam *patris* arguentis de beneficiis retro habitis, quae in quatuor capitulis continentur, sic procedit propheta, quod arguit eorum ingratitudinem, quadruplex beneficium recolendo:

Primo, recollectionem terrae uberrimae (c. 10.): « Vitis frondosa Israel ». Secundo, eductionem ab Aegyptiaca servitute (c. 11.): « Sicut mane transit ».

Tertio, protectionem Iacob in sua peregrinatione in Mesopotamia Syriae (c. 12.): « Ephraim pascit ». Quarto, custoditionem totius populi in deserto et solitudine (c. 13.): « Loquente Ephraim ».

1. In decimo ergo capitulo eorum ingratitudinem arguit, ad memoriam revocando *beneficium possessionis terrae uberrimae;* unde incipit: « Vitis frondosa Israel, fructus adaequatus est ei », quod refertur ad opulentiam terrae sanctae. Et statim subdit eorum ingratitudinem, ibi: « Secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria iuxta ubertatem » etc. Et statim subdit poenae proportionem: « Interibunt, ipse confringent simulacra » etc. Rursum resumit beneficii magnitudinem, ibi: « Ephraim vitula docta » etc. Subdit de tempore Christi: « Tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit nos iustitiam ». Tunc subiungit ingratitudinem: « Arastis iniquitatem » etc. Et demum concludit poenae proportionem: « Consurget tumultus in populo » etc.

2. In capitulo vero undecimo arguit eorum ingratitudinem, ad memoriam revocando secundum *beneficium eductionis*, scilicet *de Aegyptiaca servitute*, et incipit: « Sicut mane transit, pertransiit rex Israel », ubi revocat ad memoriam, qualiter ipsos de Aegypto per Moysen et Aaron evocat dicens: « Ex Aegypto vocavi filium meum » etc.; qualiter eos nutrivit et manna educavit, subdens: « Et ego quasi nutritius Ephraim »; qualiter eos traxit, direxit et inviavit, subdens: « In funiculis Adam traham eos ». Et quia super his erant effecti ingrati, ad idola iam conversi, idcirco praedicit, qualiter eos per Assyrios captivabit, quamvis non re-

vertantur in Aegyptum; unde subdit: « Et ero eis quasi exaltans iugum... et Assur ipse rex eius » etc. Demum motus misericordia praedicit, quod non consumet eos totaliter, sicut Adamam et Seboim consumsit, sed aliquos liberabit de decem tribubus, una cum Iuda; et hoc ab illa parte: « Quomodo dabo te sicut Adamam » etc., usque in finem cap. undecimi.

3. In capitulo vero duodecimo arguit eorum ingratitudinem, tertium *beneficium* ad memoriam reducendo, *protectionem* scilicet *patris* eorum *Iacob* in sua peregrinatione, dum ivit in Mesopotamiam Syriae. Et praemittit eorum ingratitudinem in principio cap.: « Ephraim pascit ventum ». Subdit beneficii magnitudinem respectu Iacob, ibi: « Iudicium Domini cum Iuda... In utero supplantavit fratrem suum... et invaluit ad angelum ». Rursum resumit ingratitudinem: « Et dixit Ephraim: Verumtamen dives » etc. Subdit beneficii magnitudinem: « Et ego Dominus Deus tuus de terra Aegypti ». Rursum ceditur ad eorum ingratitudinem, ibi: « Si in Galaad idolum ». Rursum ad sui beneficii magnitudinem: « Fugit Iacob ». Demum concludit poenae proportionem, ibi: « Ad iracundiam » etc.

4. In capitulo vero decimo tertio arguit eorum ingratitudinem, quasi *beneficium* recolendo *custoditionis,* videlicet *in deserto.* Et praemittit eorum ingratitudinem in principio: « Loquente Ephraim ». Subdit poenae proportionem: « Idcirco erunt quasi nubes ». Subdit sui beneficii magnitudinem: « Ego autem Dominus Deus tuus... ego cognovi te in deserto ». Rursum assumit eorum ingratitudinem, ibi: « Adimpleti sunt ». Addit poenae proportionem:

« Et ego ero eis quasi leaena ». Rursum sui beneficii magnitudinem, ibi: « Perditio tua, Israel, tantummodo in me auxilium tuum ». Et iterum eorum ingratitudinem: « Colligata est iniquitas Ephraim ». Rursum poenae proportionem: « Dolores parturientis ». Adhuc sui beneficii magnitudinem: « De manu mortis liberabo eos ». Demum poenae proportionem: « Consolatio tua abscondita est » etc. Ibi enim continetur beneficium destructionis mortis et inferni per Christum: « Ero mors tua, o mors, morsus tuus, o inferne »!

Et secundum hoc patet, qualiter in istis quatuor capitulis se habuit propheta ad modum patris filiorum ingratitudinem arguentis per comparationem ad beneficia iam collata, in quibus etiam, occasione nacta, in pluribus locis ad Christi tempora se convertit.

V. AMICUS.

Circa vero quintam partem et ultimam, quae in decimoquarto capitulo continetur, assumit propheta personam consulentis *amici:*

Primo ex sua indignatione contra filios Israel, quia Deum reliquerunt; unde incipit: « Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum ».

Secundo subdit suam consultationem: « Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum ».

Tertio addit Dei promissionem: « Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontanee ».

Quarto et ultimo imponit prophetiae finem et conclusionem excitando nostram attentionem, ibi:

« Quis sapiens et intelliget ista » ? Et in hoc Osee finitur.

II. Incipit Ioel propheta.

Nunc accedit Ioel et dividitur in duas partes, scilicet in partem *comminativam* poenae et captivitatis, et in partem *repromissivam* veniae et iucunditatis. Et incipit secunda pars circa medium capituli secundi (v. 12.): « Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro ».

I. COMMINATIO.

1. In comminando vero primo praedicit respectu totius regionis Iudaeae devastationem, et in cap. primo, ubi auditores primo reddit attentos: « Audite haec senes » etc. Deinde subdit sermones parabolicos de comestione erucae, locustae, bruchi et rubiginis, quae designabant eorum monarchias, quae Iudaeos per successionem temporis corroserunt, ibi: « Residuum erucae » etc. Deinde parabolam adaptat ad propositum, ibi: « Gens enim ascendet super terram meam ». Deinde super hoc invitat ad lamentum et planctum: « Plange quasi virgo » etc. Et invitat virgines, agricolas, sacerdotes, animalia, greges, campos et fontes, per hoc omnes respectu regionis immensae devastationis.

2. Secundo vero principaliter comminatur respectu Sion et regiae civitatis obsidionem, captionem et depopulationem (c. 2, 1.): « Canite tuba in Sion », ubi primo exercitus congregatur. Deinde ibi: « Ante faciem eius ignis » etc. Per exercitum ci-

vitas conturbatur. Deinde ibi: « Urbem ingrediantur ». Per exercitum civitas captivatur et depopulatur. Et sic finitur prima pars, quae erat comminativa.

II. REPROMISSIO.

Tunc sequitur secunda pars repromissiva veniae: « Nunc ergo... convertimini in toto corde », ubi facit propheta quinque:

Primo namque hortatur ad poenitentiam.

Secundo vero ibi: « Zelatus est Dominus terram suam », consolatur, repromittendo multam benevolentiam et temporalem abundantiam: quod debet referri ad tempus reditus de captivitate.

Tertio ibi (v. 23.): « Et erit post hoc effundam de spiritu meo super carnem », ubi convertit se ad tempus Christi et repromittit Spiritus sancti gratiam super filios Iudaeorum diffundendam, quod debet referri ad Apostolos post conversionem populi prioris.

Quarto ibi: « Et ecce in diebus illis », cap. 3. in principio repromittit futuram vindictam, quam Deus faciet super omnem gentem in iudicio.

Quinto ibi (c. 3, 18.): « Et erit in die illa: stillabunt montes dulcedinem »; repromittit post iudicium respectu beatorum aeternam gloriam et respectu damnatorum poenam aeternam. Explicit Ioel.

III. Incipit Amos propheta.

Nunc accedit Amos et dividitur in partes octo.

1. In prima namque parte octo gentibus generaliter comminatur propter quaternarium sceleris et culpae; quia Damasco, Gazae, Tyro, Edom et filiis Amon comminatur cap. primo; Moab vero, Iudae et Israel cap. secundo.

2. Deinde in secunda parte super filios Israel specialiter et singulariter revertendo comminatur eis poenam debitam propter peccatum idololatriae (c. 3.), ubi praemittit eorum ingratitudinem, cum ait: « Tantummodo vos cognovi » etc. Et subdit contemptam indignationem: « Numquid ambulabunt duo pariter, ubi eis convenerit ». Et addit debitam comminationem, ibi: « Propter hoc dicit Dominus Deus: tribulabitur » etc. Et ultimo exprimit peccata idololatriae et praevaricationem, propterea comminatur, ibi: « Audite et contestamini in domo Iacob ».

3. Deinde in tertia parte comminatur eisdem propter peccatum impoenitentiae, et hoc in cap. 4., ubi exprimit, unde ortum habebat eorum impoenitentia, quia homines erant impinguati de bonis Domini. Et subdit multiplicem Dei poenam, quam eis intulit, ut provocaret ad poenitentiam: « Unde et ego dedi vobis ». Et concludit eorum impoenitentiam et ex impoenitentia comminatur circa finem cap. 4., cum ait: « Et non redistis ad me, dicit Dominus. Quapropter haec faciam » etc.

4. Deinde in quarta parte comminatur eisdem propter peccatum iniustitiae, violentiae et rapinae. Praedicit poenam diminutionis eorum, quae proportionaliter correspondet violentiae et rapinae. Unde ait (c. 5, 3.): « Urbs, de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum »; et subdit peccatum rapinae, quod abundabat in eis, ibi: « Idcirco pro eo, quod diripiebatis pauperem », et ubique per totum cap. miscet peccatum calumniae et violentiae cum proportione debitae poenae, ut patet.

5. Deinde in quinta comminatur eisdem propter peccatum lasciviae et superbiae (c. 6, 1; 4, 14.):

« Vae vobis, qui opulenti estis in Sion... qui dormitis in lectis eburneis... qui laetamini in nihilo ». Et ubi que immiscetur correspondens et proportionalis poena.

6. Deinde in sexta parte comminatur eisdem propter peccatum malitiae et affectatae ignorantiae, quia dolebant, quod prophetae annuntiabant eis veritatem (c. 7.). Introducitur visio fictoris locustae et trullae cementarii, per quae designabatur calamitas futura. Et subditur deprehensio et prohibitio prophetae; nam monet ipsum Amasias, ut recedat a Samaria et vadat in Iudaeam, ubi audiebantur prophetae. Et ibidem subdit poenam Amasiae et Ieroboam futuram propter hanc prohibitionem (v. 10-17.).

7. Deinde in parte septima, scilicet in cap. 8., comminatur eisdem propter peccatum avaritiae, ubi praemittit visionem unam pomorum, quae designabat poenam debitam avaritiae (c. 8, 4.): « Audite hoc, qui conteritis pauperem »; sequitur: « Augeamus siclum et supponamus stateras dolosas » etc. Et occasione accepta ex avaritia et cupiditate auri convertit se ad cupiditatem et famem audiendi verbum Dei, quod refertur ad tempus Christi, ibi (v. 11.): « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et emittam famem in terram ».

8. Deinde in octava parte comminatur super filios Israel, obstinatos peccatores, clausionem suae misericordiae, apertionem vero respectu duarum tribuum et maxime reliquarum, quae crediturae sunt in Christum, cap. 9., ubi praemittitur de reprobatione peccatorum et incredulorum in principio capitis: « Vidi Dominum », usque ibi: « In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, et reaedificabo aperturas eius », usque in finem capituli et prophetiae totius. Explicit Amos propheta.

IV. Incipit Abdias propheta.

Nunc accedit Abdias et prophetat contra Idumaeos propter eorum superbiam ad consolationem Iudaeorum.

1. Et primo invehitur contra Idumaeos propter eorum superbiam, ponendo eorum arrogantiam, cum ait: « Superbia cordis extulit te, qui dicis ex corde tuo: Quis detrahet me in terram?... Si exaltatus fueris »?

2. Invehitur contra eos propter vanam scientiam et mundanam, quae fuit in eis. Fuerunt namque augures et habentes scientiam, quae de terra est (v. 7.): « Non est prudentia in eo ».

3. Invehitur contra eos propter invidiam et malitiam exhibitam ab eis in fratrem suum Iacob: « Propter interfectionem et propter iniquitatem » etc.

4. Ultimo promittit filiis Iacob, quantum ad tribum Iuda, durationem perpetuam et Iesu Christi salvatoris praesentiam in monte Sion: « Et erit Domino regnum ». Concludit propheta in illo versiculo, qui legitur de Christo: « Et ascendit Salvator in monte Sion » etc. Explicit Abdias propheta.

V. Incipit Ionas propheta.

Nunc accedit Ionas propheta, cuius scientia dividitur in partes septem.

1. Prima pars introducit Ionam Domini imperio resistentem (c. 1, 1-3.).

2. Secunda vero pars introducit Ionam divino iudicio subiacentem, vellet nollet, quia proiectus est in mare (v. 4-16.).

3. Tertia vero pars introducit Ionam de utero ceti pro grandi prodigio exeuntem et de naufragio evadentem (c. 2.); ubi praemittitur, quantum in ventre ceti steterit; subditur, quam devote oraverit et ad Deum clamaverit, et concluditur, qualiter ipsum cete in terram evomuerit.

4. Quarta pars introducit Ionam divino mandato et imperio replicato obedientem (c. 3, 1-4.): « Et crediderunt viri Ninivitae ».

5. Quinta pars introducit regem et plebem Ninive, audito Dei consilio et comminato excidio poenitentem (c. 3, 5-10.): « Et misertus est Dominus et non fecit ».

6. Sexta pars introducit Ionam de non impleto suo oraculo condolentem (c. 4, 1-5.): « Et afflictus est Ionas... et praeparavit Dominus Deus hederam ».

7. Septima vero pars et ultima introducit Dominum sub quodam portento et iudicio Ionam lenientem et demulcentem, quia sub signo hederae viridis, quam percussit vermis, et exaruit (c. 4, 6-11.). Explicit Ionas.

VI. Incipit Michaeas propheta.

Nunc accedit Michaeas et dividitur in partem *comminativam* (c. 1-3.) et *repromissivam* (c. 4-7.).

I. PARS COMMINATIVA.

Circa primam partem per ordinem septem facit:

1. Invocat Deum in testimonium (c. 1, 1-5.): « Audite, populi mei ». Postquam posuit titulum et prooemium.

2. Comminatur filiis Israel propter peccatum idololatriae commissum in Deum; et licet comminetur eis poenam, nihilominus introducit ex eis Christum futurum (c. 1, 15.): « Adhuc haeredem adducam tibi; et usque ad Odollam veniet gloria Israel ».

3. Comminatur eisdem propter peccatum calumniae et iniustitiae commissum in proximum (c. 2, 1.): « Vae qui cogitatis... concupierunt »; et additur poena: « Ecce ego cogito ».

4. Comminatur eisdem propter peccatum incredulitatis et resistentiae commissum erga prophetarum coetum, ibi (c. 2, 6.): « O Israël, vae, qui loquimini » etc. Unde et ipse Michaeas dicit, quod utinam ita esset, scilicet quod non haberet spiritum Dei, sed mendacium loqueretur, ex hoc innuens, quod sciebat, se dicere verum, quamvis illi non crederent. Et occasione incredulitatis illorum vertit se ad credulitatem reliquiarum Israel pro tempore Iesu Christi (c. 2, 12.): « Congregatione congregabo Iacob »; et infra: « Ascendet enim... transibit rex eorum coram eis et Dominus in capite eorum ».

5. Comminatur eis propter culpam principum, ibi (c. 3, 1.): « Et dixi: Audite principes ».

6. Comminatur eis propter culpam prophetarum malorum et seducentium, ibi (c. 3, 5.): « Haec dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum ».

7. Propter peccatum omnium simul, principum scilicet et prophetarum et sacerdotum (c. 3, 9.): « Propter hoc, causa vestri, Sion quasi ager arabitur, et Ierusalem quasi acervus lapidum erit » (3. 12.).

II. PARS REPROMISSIVA.

Circa vero partem secundam, quae est repromissiva, attendit, quia prophetaverat templi destructionem et Ierusalem reductionem in acervum lapidum, et quomodo Sion araretur. Ideo convertit se ad tempus Christi gaudiosa pro illo tempore promittendo, et quatuor facit propheta.

1. Praedicit et prophetat *Christi veritatem*, qui erit commune salutare et rex universalis omnibus gentibus (c. 4.). In principio namque de vocatione gentium, ibi: « Et erit in novissimis diebus »: deinde vero de vocatione plurium Iudaeorum Christo adhaerentium. Et ostendit, quia prima potestas regni Christi, scilicet primitiva Ecclesia, erit in Sion, ubi universi Apostoli et primitiva tota Ecclesia erat in Sion et Spiritum sanctum receperunt, ibi: « In die illa, dicit Dominus » etc. Deinde vero dicit, quod quantum erat pro tempore praesenti, quo prophetabat, oportebat eos subire exilium Chaldaeorum et Babyloniorum, et ideo pro tunc erat eis dolendum, quasi non habendo aspectum ad divinum consilium, quia intendebat mittere Christum tamquam cornu ferreum: « Dole et satage », usque in finem cap. 4.

2. Praedicit, praevidet ac prophetat Christi *nobilitatem* cap. 5, quod incipit: « Tunc vastaberis, filia latronis ». Ubi agit de Christi patientia, ibi: « In virga percutient maxillam iudicis »; vel de Christi ortu in Bethlehem et de eius prosapia nobilissima, ibi: « Et tu Bethlehem Ephrata »; et de Christi generatione aeterna a Patre, ibi: « Et egressus a

principio a diebus aeternitatis »; etiam de eius matre virgine, ibi: « Propter hoc dabit eos Deus usque ad tempus, in quo parturiens pariet »; et de eius nobili comitiva quantum ad apostolos, ibi: « Et suscitabimus super eum septem pastores et octo primates ». Et subditur de disseminatione Apostolorum per universum orbem: « Et erunt reliquiae Iacob in medio populorum quasi ros a Domino et quasi stillae super herbam ». Et concluditur modus, quo triumphabunt de orbe, quia non per equos nec per quadrigas aut per arma, ibi: « Et erit in die illa, dicit Dominus ». Et ex hoc descripsit propheta huius regis nobilitatem.

3. Praedicit *legis Christi suavitatem* in capite sexto, quod incipit: « Audite, quae Dominus loquitur », ubi propheta reducit ad memoriam ex parte Dei impensa beneficia, ibi: « Populе meus, quid feci tibi » etc. Deinde excludit legis antiquae onera, ibi: « Quid dignum offeram Domino »? Deinde introducit legis novae suavia consilia, ibi: « Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum et quod Dominus requirat a te ». Deinde vero redeundo ad tempus, quo loquebatur propheta, aperit filiorum Israel scelera et futura flagella, ibi: « Audite tribus, et quis approbabit illud »?

4. Et ultimo praedicit propheta *Iudaeorum scandalum* et futuram caecitatem, qua hodie scandalizantur in Christum. Et hoc per totum cap. 7., ubi in principio miratur propheta Iudaeorum multiplicem nequitiam, malignitatem et caecitatem; unde dicit, quod « non est botrus ad comedendum... periit sanctus de terra ». Deinde confitetur ipsemet suam fidelitatem et credulitatem, ibi: « Ego autem ad

Dominum aspiciam ». Et subdit etiam pro tempore finali. Deinde vero propheta emittit super hoc ferventem orationem ad Dominum Iesum Christum, ut revertatur ad suum gregem et ad istam haereditatem, ibi: « Pasce populum tuum in virga tua ». Et reliqua usque in finem prophetiae, ubi dicitur: « Dabis veritatem Iacob, misericordiam Abraham, quae iurasti patribus nostris a diebus antiquis ». Et sic finitur. Explicit Michaeas propheta.

VII. Incipit Nahum propheta.

Nunc accedit Nahum et dividitur in partes quinque.

1. Primo namque praemittit in omnem gentem peccatricem comminationem generalem, et hoc a principio capituli: « Onus Ninive, Deus aemulator », usque ibi: « Bonus Dominus et confortans ».

2. Secundo vero praedicit mortem et comminationem contra Sennacherib, Assyriorum regem, quae completa est tempore Ezechiae, quando fuit Hierusalem liberata. Et incipit in illo loco: « Bonus Dominus et confortans », et durat usque in finem capituli.

3. Tertio vero comminatur contra ipsam Niniven civitatem. Et praedicit depopulationem cap. 2., ubi introducit propheta Nabuchodonosor contra Niniven ascendentem, ibi: « Ascendit, qui dispergat coram te ». Deinde Nabuchodonosor proeliantem, ibi: « Ascendent mures eius et praeparabitur umbraculum ». Deinde Niniven et regem Assyriorum succumbentem ac fugientem a facie Nabuchodonosor, ibi: « Diripite argentum, diripite aurum ». Et reliqua usque in finem cap. 2.

4. Quarto propheta praedicit culpam Ninive, propter quam meruit talem punitionem, cap. 3., quod incipit: « Vae civitas sanguinum, universa mendacii »! Sequitur: « Corruent in corporibus suis propter multitudinem fornicationum ».

5. Quinto et ultimo praedicit Niniven futuram in derisionem omnibus gentibus, qui ante ipsam currebant, ibi: « Et erit omnis, qui viderit te, resiliat a te et dicetur: Vastata es Ninive »; et ibi: « Tu ergo inebriaberis et eris despecta ». Et inducit deinde similitudinem et parabolam locustae dicens, quod transibit gloria regni Assyriorum sicut avolant locustae. Et in hoc finis prophetiae Nahum.

In hac autem prophetia continetur de Christo in fine primi cap., ubi dicitur (v. 15.): « Ecce super montes pedes evangelizantis et annuntiantis pacem ». Et hoc adducit Augustinus, de Civitate Dei (c. 31.), quamvis ad literam possit intelligi de liberatione Hierusalem et Iudaeorum de manu Sennacherib, quae facta est tempore Ezechiae.

VIII. Incipit Habacuc propheta.

Nunc accedit Habacuc et dividitur in tres partes.

1. Nam prima pars introducit prophetam adversus Dominum querelam et quaestionem audacter assumentem, et hoc in principio, ubi videns prosperitatem Nabuchodonosor, ait: « Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies »? conculcantem impium (v. 13.) iustiorem se. Et durat pars illa per capitulum primum, ubi primo praemittit quaestionem. De-

inde ibi: « Aspicite in gentibus », additur quaestio in duabus propositionibus. Prima est, quod Nabuchodonosor et eius exercitus erit invincibilis et omne regnum obtinebit; et hanc ponit, cum dicit: « Aspicite in gentibus ». Secunda vero, quod hoc non imputabit Deo, sed potius idolo, et propter hoc adorabit et immolabit suae potentiae, quam appellat sagenam; et hanc ponit ibi: « Tunc mutabitur spiritus », usque in finem capituli.

Ex quibus propheta concludit, quod mirandum est merito et quaerendum a Deo, quomodo hoc sustineat et permittat.

2. Secunda vero pars introducit Dominum ad propositam querelam et quaestionem respondentem in cap. 2.

In principio namque capituli parat se propheta ad audiendum divinum responsum, unde ait: « Super custodiam meam stabo »; deinde vero praemittit divinum responsum, clarum et manifestum: « Et respondit Dominus mihi: Scribe visum et explana eum ».

Post hoc vero praedicit destructionem regni Chaldaeorum, quam petebat propheta, quae facta est in Balthasar ebrio et superbo. Unde subdit: « Quomodo vinum potantem decipit, sic erit superbus vir ». Deinde subnectit, quomodo veniet omnibus gentibus in derisum, ibi: « Numquid non omnes isti »?

Deinde discurrit per vitia, propter quae meruit regnum illud devastari. Primum quidem fuit violentia, qua regnum illud omnia alia oppressit, et illud tangitur ibi: « Vae ei, qui multiplicat non sua »! Secundum fuit avaritia, quod tangitur ibi:

« Vae, qui congregat avaritiam malam domui suae »! Tertium fuit homicidium et malitia, quod tangitur ibi: « Vae, qui aedificat civitatem in sanguinibus ». Quartum fuit ebriositas et gula, in qua etiam fuit Balthasar interfectus, quod tangitur ibi: « Vae, qui dat potum amico suo ». Quintum fuit idololatria maxima, quod tangitur ibi: « Vae, qui dicis ligno: Expergiscere », in fine cap. secundi.

3. Tertia vero pars introducit prophetam Deo regratiantem et insuper devotum canticum componentem per totum cap. tertium, ibi: « Domine audivi auditionem tuam et timui ». In quo quidem cantico primo prophetat de Christi incarnatione, tangens tempus, ibi: « In medio annorum »; et locum, ibi: « Deus ab austro veniet »; et modum, ibi: « Operuit caelos gloria, et laudis eius plena est terra ». quod refertur ad Christi praedicationem et vitam, de qua dicit Ioannes (c. 1, 14.), quod « vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti » etc. Secundo vero prophetat de Christi passione, ibi: « Splendor eius ut lux erit, cornua in manibus eius ». Tertio prophetat de mortis destructione, ibi: « Ante faciem eius ibit mors ». Quarto de inferni spoliatione, ibi: « Egredietur diabolus » etc. Quinto de totius orbis aversione a ritu gentili et perverso, et conversione ad Christum, ibi: « Aspexit et dissolvit gentes et contriti sunt montes saeculi. Incurvati sunt colles », hoc est imperatores. Sexto agit de iudicio et extrema examinatione, ibi: « Suscitans suscitabit »; ibi: « Dedit abyssus vocem suam », scilicet mortuos suos, et ibi: « In fremitu conculcabis terram ». Septimo vero propheta ostendit, quod amore Christi venturi Deus liberaverat populum suum de

captivitate Chaldaica et destruxit reges Babylonis, ut nasceretur Christus ex populo a captivitate redempto. Pro destructione autem regni Babylonis principalis intentio prophetae a principio fuit. Hoc autem fit ibi, cum dicitur in cantico: « Egressus est in salutem populi tui ». Ultimo autem agit de nomine Christi et ipsius intitulatione; unde ait: « Ego autem in Domino gaudebo et exsultabo in Deo Iesu meo ». Et in hoc canticum finitur.

Ubi et attendendum, quod alludit historiis antiquis, quia et apparitionem Domini in rubo, quae facta fuit Moysi, ubi dicit: « Deus ab austro veniet et sanctus de monte Pharan ». Unde Deuteronomii (c. 33, 2.): « Dominus de Sinai veniet et de Seir ortus est nobis. Apparuit de monte Pharan ». Et cornute et splendide faciei Moysi, cum dicit: « Splendor eius ut lux erit: cornua » etc. Et percussioni Aegypti, cum subdit: « Abscondita est fortitudo eius » etc. Et destructioni populi Chananaei ac timori incusso omnibus nationibus vicinis, ibi: « Respexit et dissolvit gentes ». Et divisioni maris Rubri, ibi: « Numquid in fluminibus iratus est »? Et divisioni Iordanis, ibi: « Fluvios scindens terrae ». Et stationi solis tempore Iosue, ibi: « Sol et luna steterunt ». Et sic in fine laudem Dei concludit, ibi: « Ego autem in Domino gaudebo et exsultabo in Deo Iesu meo ». Et sic prophetia finitur.

Explicit Habacuc.

IX. Incipit Sophonias propheta.

Nunc accedit Sophonias propheta et dividitur in quinque partes.

1. Primo namque ponit generalem comminationem super omnes populos, in principio: « Congregans congregabo ».

2. Secundo specialem correctionem super habi-tatores Ierusalem et Iudaeos, parum post ibi: « E extendam manum meam »; ubi et comminatur sacerdotibus, cum ait: « Et disperdam de loco hoc reliquias Baal »; deinde regibus et principibus, cum subdit: « Et erit in die hostiae visitabo super principes »; deinde habitatoribus omnibus, ibi: « Et erit in die illa, dicit Dominus. Deinde comminatur exeuntibus in latibulis, ibi: « Et in tempore illo scrutabor Ierusalem in lucernis ». Concludit magnitudinem tribulationis et amaritudinis, ibi: « Iuxta est dies Domini magnus », usque in finem capituli primi.

3. Tertio vero ponit monitionem ad poenitentiam, in principio capituli secundi: « Convenite »; et sequitur: « Quaerite Dominum, quaerite iustum... Si quomodo abscondamini in die furoris Domini ».

4. Quarto vero ponit respectu quatuor aliarum gentium exterminationem omnimodam, ibi: « Quia Gaza destructa erit, et Ascalon in desertum »; usque in finem capituli, ubi comminatur destructionem Philisthaeis quantum ad quatuor civitates Gazam, Ascalonem, Azotum et Acharon, ibi: « Gaza destructa est ». Deinde comminatur Moabitis, qui saepe fuerunt infesti Iudaeis, ibi: « Audivi opprobrium Moab ». Deinde Aethiopibus: « Sed et vos Aethiopes ». Deinde Assyriis et Babyloniis, ibi: « Et extendit manum super Aquilonem ». Et reliqua usque in finem capituli tertii, ubi ponit propheta et promittit consolationem maximam affuturam super civitatem Hierusalem redemptam.

Et hoc per totum capitulum tertium, ubi propheta ab exprobratione incipit, ut appareat, quod erant indigni consolatione, quam Deus facere intendebat; et hoc in principio: « Vae praevaricatrix »! Deinde praesentiam Iesu Christi veri Dei promittit, ibi: « Dominus iustus in medio eius, mane iudicium dabit in lucem » etc. Deinde ad praesentiam Christi malorum Iudaeorum excaecationem futuram praedicit, ibi: « Nescivit iniquus ». Deinde aliquos creditores ostendit, ibi: « Dixi, attamen timebis me, suscipies disciplinam ». Deinde multas gentes et multos populos colligandos et praedictis credentibus admittendos promittit, ibi: « Quapropter exspecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meae »; sequitur: « Ultra flumina Aethiopiae inde supplices mei »; et infra: « Sperabunt in nomine Domini reliquiae Israel ». Deinde vero novae Hierusalem sic congregatae ex gentibus et ex Israel, quae quidem Hierusalem non est aliud quam Ecclesia, gloriam et exsultationem praedixit, ibi: « Audi filia Sion ». Et ultimo excellentias et glorias illius Hierusalem usque in finem totius prophetiae. Et sic finitur Sophonias propheta.

X. Incipit Aggaeus propheta.

Nunc accedit Aggaeus et dividitur in sex partes.

1. Prima namque pars est populi reprehensiva, pro eo quod pigritabant reaedificare templum Domini post prohibitionem, quam fecerat Cambyses, filius Cyri. Unde qui venerant sub Cyro de Babylonia, habitabant in domibus suis et illas ornabant et aedificabant et non curabant de templo, dicen-

tes, quod nondum venerat tempus praefinitum a Deo, quo debebat aedificari (c. 1, 1-4.).

2. Secunda vero pars est dictae reprehensionis probativa et confirmativa: « Et nunc haec dicit Dominus: Ponite corda vestra... seminastis multum » etc. Dat enim duplex signum, quod Deo non placebat illa opinio: a) quia illis temporibus propter peccatum hoc patiebantur paupertatem et multiplicem inopiam; b) quia per oppositum, si aedificent domum Domini, habebunt omnem copiam, ibi (c. 1, 7-12.): « Ascendite in montem ».

3. Tertia vero pars est populi exhortativa per Aggaeum, exsequentibus Zorobabele et Iesu magno sacerdote (c. 1, 13-14.): « Dicit Aggaeus » etc.

4. Quarta vero pars est Christi repromissiva (c. 2, 1-10.): « Veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria... magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae ».

5. Quinta vero pars est prosperitatis et copiae temporalis praedictiva, si reaedificent templum, cap. 2, 11-20. usque: « Factum est verbum Domini ».

6. Sexta vero pars est iterum repromissiva Christi, ubi expresse Zorobabeli Christus ab eo descensurus promittitur, ibi (c. 2, 21-24.): « Assumam te, Zorobabel, serve meus, et ponam te quasi signaculum, quia elegi te ». Et in hoc Aggaeus finitur.

XI. Incipit Zacharias propheta.

Nunc accedit Zacharias et dividitur in partes quatuor, secundum quod illa prophetia quatuor respicit.

I. PARS.

Tempus praesentis reaedificationis.

In prima namque ponuntur prophetiae spectantes ad tempus praesentis reaedificationis templi, quo tempore missus est Zacharias ad confortandum Zorobabelem ducem et Iesum magnum sacerdotem et universam plebem (c. 1-4.).

In cap. 1. ponuntur prophetiae, quae spectant ad confortationem totius populi, ubi reprehenduntur et monentur, ne sint increduli (v. 4.). Deinde populo consolatio repromittitur ab angelo, qui erat inter myrtheta sedens super equum rufum (v. 8.). Deinde vero consolatio explicatur, quae repromissa est, quantum ad reaedificationem Ierusalem et finitimarum ac opulentarum gentium destructionem; et abundantiam bonorum temporalium et civitatum Iudaeae possessionem (v. 14.). Deinde ostenditur et praedicitur quatuor regnorum et principum principalium, quae ventilaverat ad modum cornuum Ierusalem et Iuda, destructionem. Et hoc praedicit ad consolationem populi, ibi (v. 18.): « Et levavi oculos meos », usque in finem cap. primi.

2. In cap. 2. ponuntur prophetiae, quae spectant ad reaedificationem civitatis et templi, et praemittitur apparitio angeli volentis locum metiri, in quo debebat Ierusalem aedificari (v. 1.). Deinde introducitur apparitio alterius angeli prohibentis Ierusalem metiri pro eo, quod tantae oporteret eam esse latitudinis, quod non posset mensurari, nec muro circumdari propter multitudinem iumen-

torum et hominum, qui debebant in ea recipi (v. 3.). Deinde vero vocantur universi filii Israel dispersi per universum orbem, ut veniant ad inhabitandum ibi (v. 6.), postquam erit Ierusalem reaedificata. Deinde ostendit, quod filiis Israel applicabuntur multi alii populi, ut habitent simul cum eis (v. 11-13.): « Et applicabuntur gentes » etc.

Haec autem, quae in hoc capitulo dicuntur, non videntur posse intelligi de illa Ierusalem temporali post reditum de Babylonia, quia nunquam fuit ibi tanta multitudo, ut manifeste patet historias legenti. Et ideo ad literam habet referri ad tempora Iesu Christi, quia ad illam parvam Ecclesiam in Ierusalem, congregatam ex centum viginti personis die Pentecostes, confluxit et incorporata est tanta gentium multitudo et hodie metiri non potest.

3. In cap. 3. ponuntur prophetiae, quae spectant ad confortationem Iesu, sacerdotis magni, qui venerat de Babylone pro reaedificatione templi, ubi propheta intuetur Iesum in veste sordida et Satan sibi adversantem pro eo, quod duxerat uxorem alienigenam (v. 1.). Deinde intuetur culpam ipsi Iesu dimissam (v. 4.); deinde audit promissionem magnam a Deo factam ipsi Iesu (v. 6.). Deinde convertit Zacharias prophetiam ad Christum, qui natus est de Zorobabele (v. 8.): « Audi, Iesu, sacerdos magne, tu et amici tui, qui habitant coram te... ecce enim ego adducam servum meum Orientem » etc.; quod non potuit intelligi nisi de Christo, qui natus est de Zorobabele.

4. In cap. 4. ponuntur prophetiae, quae spectant ad confortationem Zorobabelis ducis regii et

principum. Et ibi introducitur aureum candelabrum cum septenario lucernarum (v. 1.); deinde vero propheta quaerit huius candelabri expositionem et intellectum. Significabat enim robur Spiritus sancti, virtute cuius et non in robore exercitus Zorobabel debebat aedificare templum (v. 4.). Deinde vero ex Zorobabele propheta intuetur Christum nasciturum (v. 7.): « Quis tu, mons magne, coram Zorobabel »? Deinde petit expositionem duarum olivarum, et respondetur, quod designabant duos filios olei, Zorobabel scilicet et Iesum sacercerdotem magnum (v. 11-14.): « Et respondi: Quid sunt duae olivae »? etc.

II. PARS.

Tempus futurae inhabitationis.

In secunda vero parte principali ponuntur prophetiae spectantes ad tempus futurae inhabitationis in Ierusalem et in tota Iudaea post reaedificationem civitatis et templi (c. 5-8.). Incipit: « Et conversus sum » etc.

1. In cap. 5. intuetur propheta, quod a tempore Zorobabelis usque ad tempora Machabaeorum per illud spatium omnino aboleretur idololatria in Ierusalem et in Iudaea, et ideo ibi ponitur duplex visio: prima de volumine maledictionis, quod refertur ad futurum et falsum iuramentum et idololatriam (v. 1.); secunda vero de amphora et impietate sedente in ea, quae significabat idololatriam. Et subditur, quod duae mulieres, scilicet decem tri-

bus, quae dictae sunt Israel, et duae tribus, quae dicuntur Iuda, portaverunt illam impietatem in Babylonem in terram Sennaar, quando fuerunt captivatae, et ibi dimiserunt eam, nec ex tunc redeundo reportaverunt eam in terram Iuda, ibi (v. 5-10.): « Et egressus est angelus, qui loquebatur » etc.

2. In cap. 6. prophetice praevidetur, Graecorum monarchia debere destruere monarchiam Medorum in illo intermedio tempore. Unde ibi introducuntur quatuor quadrigae, significantes quatuor monarchias: prima namque, in qua erant equi rufi, significat monarchiam Assyriorum; secunda, in qua erant equi nigri, monarchiam Medorum; tertia, in qua erant equi albi, monarchiam Graecorum; quarta, in qua erant varii, monarchiam Romanorum (v. 1.).

Deinde vero distinguit partes orbis, ubi istae monarchiae pugnare coeperunt, et hoc ibi (v. 6.): « In qua erant equi nigri » etc. Deinde vero concluditur, qualiter monarchia Graecorum per quadrigam tertiam, in qua erant equi albi, delevit monarchiam Medorum et fecit super eam quiescere indignationem divinam, ibi (v. 8.): « Ecce, qui ingrediuntur in terram Aquilonis ». A versu nono ostenditur, quod fuit in illo tempore intermedio ducatus gloria, quam obtinuit Iesus sacerdos magnus, et consequenter post eum sacerdotes fuerunt duces usque ad tempora Machabaeorum inclusive, ibi (v. 11.): « Sumes aurum et argentum ».

Deinde vero promittitur Zorobabeli ducatus gloria (v. 12.): « Ecce vir oriens »; deinde vero inter eos concordia, Zorobabelem scilicet et Iesum (v. 13.): « Et erit sacerdos super solio suo ».

Et est notandum hic, quod id, quod de Zorobabele dicitur: « ecce vir oriens nomen eius », non potest intelligi fuisse plene completum in eo, et ob hoc referri habet ad Christum.

3. In cap. 7. et 8. ostenditur, quid fuit in illo tempore intermedio, videlicet populi pax, prosperitas et laetitia.

Sed in cap. 7. introducitur quaedam inquisitio facta a quibusdam viris, qui a Babylonia miserant in Ierusalem ad prophetas et sacerdotes, interrogantes, an deinceps deberent ieiunare in quinto mense, in die illa videlicet, in qua a Nabuchodonosor fuit Ierusalem capta et destructa; nam per septem annos captivitatis Iudaei ieiunarunt semper diem illam. Interrogabant ergo illi viri, an post reditum esset ieiunandum vel non. Et hoc tractat, ubi etiam additur prophetae increpatio in Iudaeos, quia, nec cum ieiunaverunt, nec cum comederunt in illis quadraginta annis, ex caritate ieiunaverunt aut comederunt Domino, sed magis pro commodo proprio, ut liberarentur; et hoc ibi (v. 5-14.): « Loquere ad populum: Cum ieiunaretis » etc.

4. In 8. vero cap. promittuntur ea, quae dicta sunt de pace, de prosperitate populi et laetitia; unde futura sanctitas ibi promittitur (v. 2.): « Zelatus sum Sion », et aetatis longaevitas (v. 4.): « Adhuc habitabunt senes » etc., et pro complemento istius allegatur divina potestas, quae sola ista complebit (v. 6.). Promittitur etiam bonorum temporalium abundantia et prosperitas (v. 13.): « Vinea dabit fructum suum », benedictio et formositas et subditur informatio moralis (v. 16.): « Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo ».

Deinde post longam probationem ponitur responsio realis ad quaestionem supra positam: « Ieiunium quarti et ieiunium quinti... erit domui Iuda in gaudium et laetitiam et in solemnitates praeclaras. Veritatem tantum et pacem diligite » (v. 19.).

Deinde vero ponitur conversio spiritus prophetarum ad Christum et ad vocationem gentium, occasione accepta ex gloria et laetitia promissa, ut intelligantur illa tempora Christi esse implenda, ibi (c. 8, 22.): « Et venient populi multi et gentes robustae ad quaerendum Dominum »; et ibi: « Apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbrias viri Iudaei ».

III. PARS.

Tempora Machabaeorum.

In tertia vero parte principali ponuntur prophetiae, quae spectant ad tempora Machabaeorum, quae successerunt duobus temporibus praemissis (c. 9-10.).

1. In nono vero cap. agitur de Iudaeorum et Machabaeorum probitate, ubi promittitur vastatio finitimarum civitatum fienda per Machabaeos, Tyri scilicet et Sidonis, Gazae et Ascalonis et reliquarum civitatum confinium (v. 1.): « Onus verbi Domini » etc.

Deinde, ne quis deciperetur putando, Iudam Machabaeum esse Christum ratione strenuitatis et probitatis suae, statim propheta convertit se ad Christum praedicendo, quod non erit bellator nec ascendens super equum (v. 9.): « Exsulta satis, filia Sion, ecce Rex tuus veniet tibi iustus et Salvator,

ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinae ». Ostendit enim, quod non habebit arcum aut quadrigam, ibi: « Et disperdam quadrigam »; et quod per viam pacis acquiret dominium, ibi: « Et loquetur pacem gentibus »; et quod non liberabit populum per sagittam et arcum, sicut falso exspectant Iudaei, sed per sanguinem proprium, ibi (v. 11.): « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua ».

Deinde vero revertitur ad Iudam Machabaeum, ibi (v. 12-17.): « Convertimini ad munitionem vincti spei » etc.

2. In decimo vero cap. agit de Machabaeorum prosperitate; promittit enim pro tempore illo futuram bonorum abundantiam, ibi (v. 1.): « Petite pluviam ». Deinde vero exsecratur idololatriam, quam voluit inducere Antiochus in Ierusalem, et quam receperunt sacerdotes et alii de populo multi, ibi (v. 2-3.): « Quare simulacra locuta sunt inutile »? Deinde vero introducit Mathathiam et Iudam et ceteros Machabaeos pugnantes contra idololatriam (v. 3.). Deinde vero praedicit congregationem Iudaeorum futuram, quia de multis partibus redierunt Iudaei, qui ante fugerant, postquam Machabaei obtinuerunt victoriam. Et hoc ibi (v. 8-12.): « Et sibilabo eis et congregabo eos » etc.

IV. PARS.

Tempora Romanorum.

In quarta vero parte ponuntur prophetiae, quae spectant ad tempora Romanorum, quae fuerunt

post Machabaeos. Sub Romanis namque destructa est Ierusalem, et Iudaei dispersi sunt per universum orbem in captivitatem aeternam, sicut est hodie (c. 11-14.).

Nam in 11. capite agitur de peccato pastorum et sacerdotum, quorum machinatione interfectus est Christus; propter quod peccatum Romani ceperunt civitatem et templum: « Aperi Libane (i. e. templum ex Libani lignis constructum) portas tuas » ducibus Romanorum; sequitur: « Vox ululatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum ».

Deinde vero propheta attendens, populum suum destinari ad mortem et captivitatem, dolorem suum exprimens dicit: « Pasce pecora occisionis ». Deinde vero ponit causam huius captivitatis et dimissionis populi Iudaici a Deo. Quae quidem causa fuit venumdatio Christi. Unde propheta ponit parabolam de pastore habente duas virgas, unam appellatam *decorem* et aliam *funiculum,* quae designabant duos populos, cum quibus Dominus iniit foedus et pactum, ut pasceret eos. Primum namque pactum iniit cum filiis Noe (Gen. 9.), et hoc pactum irritavit idololatria, quam maior pars filiorum Noe fuit secuta. Secundum pactum iniit cum Abraham et filiis Israel, et hoc pactum irritavit sacerdotum malitia, qui triginta argenteos dederunt pro Christo, ut interficerent eum. Et totum hoc propheta pulcherrime deducit ibi (v. 7.): « Et assumsi mihi duas virgas... et apprehenderunt mercedem meam triginta argenteos, pretium, quo appretiatus sum ab eis »; et ubi subdit, ibi (v. 13-15.): « Et tuli triginta argenteos et proieci illos in domum Domini ad statuarium ».

Deinde vero propheta introducit antichristum.

Oves enim, quia noluerunt verum pastorem recipere Iesum Christum, ideo demeruerunt, ut detur eis pseudopastor et falsus, scilicet antichristus (c. 11, 15-17.): « Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti. Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quaeret et contritum non sanabit ».

In capite vero 12. post civitatis destructionem propter peccata sacerdotum agit de impugnatione et persecutione fidelium, de conversione Iudaeorum multorum et diversarum gentium sub illa persecutione. Nam Romani post destructionem Hierusalem fideles sunt persecuti. Unde (v. 1.) propheta introducit sub nomine Hierusalem discipulos et apostolos et reliquos ex filiis Israel, ex quibus fuit primitiva Ecclesia integrata, et ostendit, quod omnes gentes, imo etiam Iudaei armabunt se contra istos (v. 1-3.): « Onus verbi Domini... Sed et Iuda erit in obsidione contra Hierusalem... et colligentur adversus eam omnia regna terrae ».

Deinde vero subdit protectionem divinam, quia ipsa Hierusalem, Ecclesia primitiva, protecta fuit a Deo, imo et multiplicata fuit contra edicta Romanorum et contra conatus Imperatorum; imo tunc videbatur devorare populos et incorporare (v. 4-8.): « In die illa, dicit Dominus, percutiam equum » etc.

Deinde introducit conversionem infidelium gentium et Iudaeorum ad Christum, et quomodo plangunt eum fideles in orationibus suis, considerando eum et confixum et crucifixum (v. 10.): « Effundam super domum David et super habitatores Hierusalem spiritum gratiae et precum, et aspicient ad me, quem confixerunt ». Quod autem Iudaei fabulose

exponunt istud capitulum de suo Messia venturo aut de tempore intermedio inter Zorobabelem et Caium Pompeium, qui primus Iudaeam cepit et templum, stare non potest, quia non legitur, quod Iudas fuerit contra Hierusalem ullo tempore, nec quod sic Deus percusserit gentes contra Hierusalem congregatas. Nec de isto planctu adest, quod possit iuxta illas sententias convenienter exponi, et ideo capitulum istud debet referri ad Christum et ad fideles primitivae Ecclesiae, eo modo, quo dictum est.

In capitulo 13. post templi destructionem et Iudaeorum credentium in Christum, qui obtinuerunt ex tunc nomen Hierusalem, vocationem, convertit se propheta ad aliorum Iudaeorum fidelium dispersionem et ad prophetiae cessationem, et promittit ex parte fidelium sanctorum efficaciam, ibi: « In die illa erit fons patens domui David ».

Deinde praedicit cessandam et evacuandam fore prophetiam et idololatriam, maxime prophetiam falsam (v. 2.): « Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum et prophetas et spiritum immundum ».

Deinde praedicit, qualiter fideles zelabunt veritatem et fidem suam, ita ut configant filios suos, si eos invenerint infideles (v. 3.): « Non vives, quia mendacium locutus es ».

Deinde vero propheta revertitur ad passionem dominicam, occasione accepta ex confixione falsorum prophetarum; non mirum est, si illi configantur, quia verus Christus, pastor et dominus ipse fuit confixus, ibi (v. 7.): « Framea, suscitare super pastorem meum »; sequitur: « Percute pastorem, et dispergentur oves gregis ».

Deinde vero propter illud peccatum concludit infidelium Iudaeorum dispersionem et fugam. Dicit enim, quod duae partes dispergentur et deficient de Iudaeis et sola pars tertia relinquetur et persecutiones patietur, videlicet pars credentium, quae fuit ibi iunior, ibi (v. 7-9.): « Et convertam manum meam ad parvulos ».

In capitulo vero 14. agit propheta de *fine saeculi* et consummatione. Praemittit namque continuando cum materia praecedenti obsidionem Hierusalem per Romanos et captionem et dispersionem maioris partis infidelium, Iudaeorum scilicet et aliorum infidelium (v. 1.): « Ecce venient dies ».

Deinde vero agit de *adventu Domini* ad iudicium (v. 3.): « Et egredietur Dominus et proeliabitur, et stabunt pedes eius super montem Olivarum ».

Deinde vero agit de *die iudicii*, ostendendo, quod terribilis erit (v. 5.): « Et veniet Dominus Deus meus, omnesque Sancti cum eo. Et erit in die illa: non erit lux, sed frigus et gelu ».

Deinde vero agit de *gloria*, quam habebunt Sancti post iudicium, et de *Hierusalem caelesti* (v. 8.): « Exibunt aquae vivae ».

Deinde vero agit de *poena damnatorum* post iudicium (v. 12.): « Et haec erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes... tabescet caro uniuscuiusque ».

Deinde vero revertitur propheta ad Hierusalem pro tempore peregrinationis, videlicet ad fidelium *Ecclesiam*, ostendendo, quod multitudo gentium convertetur ad eam, ibi (v. 14-16.): « Sed et Iudas pugnabit adversus Hierusalem »; sequitur: « Omnes qui reliqui fuerint de universis gentibus,

ascendent ab anno in annum, ut adorent regem, Dominum exercituum ».

Deinde vero praedicit, quomodo ad Ecclesiam convertetur etiam ipsum Romanum imperium (v. 20.): « In die illa, erit, quod super frenum equi est sanctum Domino »; quod impletum fuit tempore Constantini.

Deinde vero concludit sanctitatem omnium gentium conversarum ad fidem. Maxime enim in illo tempore Christiani et omnes fideles fuerunt devoti et sancti, ibi (v. 21.): « Et erunt lebetes in domo Domini quasi phialae coram altari, et erit omnis lebes sanctificatus ».

Iudaei autem istud capitulum ultimum exponunt de Messia suo futuro, quem exspectant tamquam bellatorem praecipuum, qui armis materialibus debellabit et destruet imperium Romanum, ut ipsi asserunt iuxta prophetiam Danielis dicentis de lapide, qui percussit statuam. Dicunt ergo, quod omnia, quae ibi dicuntur de Hierusalem et destructione montis Olivarum et debellatione omnium gentium et congregatione debellatarum gentium singulis annis ad adorandum Dominum in Hierusalem, tunc ad literam complebuntur; quorum falsitas de facili refellitur; quia expresse hic dicit propheta, quod non potest intelligi nisi de die iudicii et deinceps, cum cessabit motus caeli. Et iterum non esset possibile, quod Hierusalem recipiet singulis annis omnes gentes. Deinde vero advenientes ad festivitatem tabernaculorum, et rursum ille, qui obtinuit Romanum imperium ad literam, non per arma materialia, sed per praedicationem et doctrinam sanam, scientiam et martyrum patientiam, ipse

est *Iesus Christus*. Unde hodie est quintum regnum, quod suscitavit Dominus caeli, regnum videlicet Christi et Ecclesiae, qui sibi Romanum imperium subiugavit.

Propter quod intentio prophetae in praesenti capitulo refertur ad intentionem iam dictam. Explicit Zacharias.

XII. Incipit Malachias propheta.

Nunc accedit Malachias ultimus duodecim prophetarum et continet quatuor capitula et duodecim particulas principales.

Sciendum autem, quod Malachias, sive fuerit Esdras, ut quidam putant, sive fuerit alius natus in Iudaea post reditum de Babylone, dictus est Malachim, i. e. angelus propter nimiam sanctitatem, et quod Deus verba sua impleverat sicut verba angeli, ut alii aestimant.

Ipse, inquam, propheta missus est ad reprehendendum multipliciter vitium Iudaeorum, quod vigebat in eis post reditum de captivitate.

1. Reprehendit eos, quia erant *ingrati* et de dilectione Dei et de revocatione captivitatis et de reaedificatione urbis, et inducit Esau et filios eius in oppositum, quibus similia non fecit, ut magis eorum appareat ingratitudo (c. 1, 1-6.): « Onus verbi Domini », usque ibi: « Dicit Dominus exercituum ad vos, o sacerdotes ».

2. Reprehendit specialiter *sacerdotes,* quia erant *indevoti,* mutabant animalia, quae apportabantur ad offerendum. Cum apportabatur animal pingue et bonum, retinebant ipsum et commutabant pro eo minus bonum, claudum vel languidum, et mul-

tas alias indevotiones circa sacrificia faciebant (c. 1, 6-9.). Et ita reprehenduntur ut indevoti, ibi: « Dicit Dominus exercituum ad vos, o sacerdotes » etc.

3. Gratia huius convertit se propheta ad vocationem alterius populi et *alterius sacrificii;* unde agit de vocatione gentium et de sacrificio et de sacerdotio christiano, ibi (c. 1, 10-11.): « Non est mihi voluntas in vobis » etc. « Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur » etc.

4. Reprehendit sacerdotes, quia erant *despectivi;* cum enim offerebatur aliquid, exsufflabant dicentes (c. 1, 12-14.): Ecce, quale praemium habemus de labore nostro?

5. Reprehendit sacerdotes, quia erant *transgressores* pacti dominici initi inter Deum et Levi, intelligendo per Levi Aaron et Phinees et Moysen, filios eius, ibi (c. 2, 1-9.): « Et nunc ad vos mandatum hoc » etc.

6. Reprehendit sacerdotes, quia erant *superbi,* et aliorum de populo contemptivi (v. 10.): « Numquid non pater » etc.

7. Reprehendit eos, quia erant *lascivi* et voluptati dediti; nam uxores de stirpe sua dimittebant, quia erant macilentae et turpes et pauperes propter hoc, quod in captivitate fuerant, et accipiebant sibi uxores alienigenas, divites et pulchras contra Dei praeceptum, sicut apparet in libro Esdrae (c. 2, 11-16.): « Transgressus est Iuda, et abominatio facta est in Israel » etc.

8. Reprehendit eos, quia erant despectivi et *desperativi;* vertebatur enim inter eos istud pro-

verbium, quod tantum valebat esse bonum sicut malum in conspectu Dei, et e converso, quia videbant gentes usque ad monarchias exaltari, et ipsi erant depressi (v. 17.): « Laborare » etc.

9. Gratia huius introducitur *adventus Christi et praecursoris sui Ioannis.* Ideo autem introducitur, ut repellatur eorum error et desperatio, ac si dicat propheta: Non est verum, quod tantum valeat esse bonum sicut malum apud Deum. Nec ratio vestra de monarchiis procedit, quia in brevi mittet Dominus monarcham vestrum et Regem regum Christum, ibi (c. 3, 1-6.): « Ecce ego mittam Angelum meum », usque ibi: « Revertimini ad me ».

10. Reprehendit eos, qui erant *avari* et de divina provisione diffidentes. Fuit enim tempore Esdrae maxima fames et maxima carestia; et tunc populus ex avaritia et diffidentia retinebat decimas et primitias et cetera, quae erant Deo offerenda. Super hoc reprehendit eos propheta, promittens bonorum abundantiam, si decimas et cetera ad cultum Dei pertinentia solvant (c. 3, 7-12.): « Revertimini » etc.

11. Reprehendit eos, quod erant quodammodo *blasphemi* et divinae iustitiae argutivi. Dicebant enim, quod vanum erat, servire Deo, ut videbatur propter hoc, quod malos non puniebat, imo videbantur in hoc mundo florere, nec bonos praemiabat, imo in hoc mundo non habebant nisi malum, ibi (c. 3, 13-18.): « Invaluerunt super me » etc.

12. Ultimo in cap. 4. respondendo ad praedictam querelam introducit diem iudicii, in quo nullo bono erit male, et nullo malo erit bene. Unde incipit (v. 1-2.): « Ecce dies veniet succensa quasi ca-

minus... quae non derelinquet ei radicem et germen»; sequitur: « Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiae ». Demum agit de praecursore adventus ultimi diei iudicii, vel de *Elia* propheta (v. 5.): « Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam ».

CONCLUSIO.

Et sic liber duodecim prophetarum finitur, et per consequens sexta pars divinae scripturae, quae est prophetica et declarativa.

Ad hanc autem partem ascendere debemus per ascensum diluculi, quia etsi in prophetis sit magna obscuritas et profunditas, in eis tamen splendet luminosa veritas Iesu Christi, quia de factis Christi ubique disperguntur eloquia prophetarum, ita ut videatur prophetia ac diluculum propter commixtionem tenebrositatis et luminositatis. In huius quidem diluculi ascensu percutitur et exuritur quasi hedera vaniloquium Iudaeorum exspectantium Messiam futurum et negantium, Dominum Iesum fuisse Christum in prophetis promissum.

De hoc ergo ascensu scriptum est Ionae (c. 4, 7.), quod « in ascensu diluculi percussit hederam et exaruit ». Quod verificari habet de studioso theologo dante se lectioni prophetarum. Potest enim percutere et arefacere Iudaeorum verba, quae non sunt nisi hederae folia. Unde et Petrus ait (II. 1, 19.): « Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris ».

Et ideo patet, quod pars prophetalis est quasi diluculum, cum sit lucerna lucens in caliginoso loco, habens in seipsa Luciferum.

NOVUM

TESTAMENTUM

VII. PARS TESTIMONIALIS.

Incipit pars septima divinae scripturae, quae est testimonialis et evangelica.

Prologus.

Pars vero septima divinae scripturae, quae est *testimonialis et evangelica,* in librorum quaternario continetur. Sunt enim quatuor evangelistae quasi quatuor testes, quod homo ille, qui dictus est Iesus, fuerit Christus in lege promissus, rex et dominus omnium, Salvator hominum, Filius Dei. Dividuntur ergo inter se libri quatuor evangelistarum: quia

1. *Matthaeus* intendit principaliter declarare, illum hominem fuisse *Christum:* et ideo in principio dicit: « Liber generationis Iesu Christi », non expressit « filii Dei », sed « filii David, filii Abraham »; et in consequentibus subdit: Christi generatio sic erat. Hinc est, quod figura *hominis* inter quatuor animalia evangelistas repraesentantia designant Matthaeum, quia maxime immoratur circa hominem Christum, ostendendo, Iesum fuisse illum, qui promissus fuerat in tota serie scripturarum.

2. *Marcus* vero principaliter intendit declarare, illum hominem fuisse *regem et Dominum* omnium, sicut habetur in Daniele (c. 2, 44.), quod in diebus quatuor regnorum suscitaret Deus caeli regnum quintum, quod non corrumpetur, cuius potestas esset potestas aeterna. Hinc est quod Marcus designatur per *leonem,* qui est rex et dominus aliorum animalium. Hinc est etiam, quod maxime circa miracula immoratur et circa resurrectionem et parum ponit de doctrina Christi, quia principaliter intendit potestatem eius et dominium et virtutem explicare, quae in resurrectione et in miraculis maxime elucescunt.

3. *Lucas* vero principaliter intendit declarare, illum hominem fuisse *Salvatorem* hominum. Et ideo in principio introducit Gabrielem dicentem (c. 1, 31.): « Vocabis nomen eius Iesum », (Matth. 1, 21.): « Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum ». Et subdit verbum Angeli ad pastores (c. 2, 11.): « Natus est vobis hodie Salvator in civitate David ». Hinc est, quod maxime immoratur circa gesta et verba Christi, quae sonant in clementiam et in salutem et in remissionem peccatorum. Et propter hoc in referendo passionem maxime explicavit verba dulcia et clementia Christi, ut est illud (c. 23, 34.): « Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt ». Et illud (c. 23, 28.): « Filiae Hierusalem, nolite flere super me ». Et tandem (c. 23, 46.): « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum ». Et ipse solus refert, quomodo « factus est sudor eius tamquam guttae sanguinis decurrentis in terram ». Et hoc maxime Christo medico congruebat, ut immo-

raretur circa curam et salutem animarum. Hinc etiam est, quod per figuram *vituli*, qui aptus est ad immolandum, designatur.

4. *Ioannes* vero principaliter intendit declarare, illum hominem fuisse *Dei filium et verum Deum*. Et quod haec sit conclusio, quam ipse intendit, ipsemet explicat circa finem sui evangelii, ubi ait (c. 20, 31.): « Haec autem scripta sunt, ut credatis, quoniam Iesus est Christus, Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius ». Hinc est, quod incipit a Christi divinitate dicendo: « In principio erat Verbum »; et quasi in fine cuiuslibet capituli semper infert illum hominem fuisse Filium Dei. Hinc est quod per *aquilam* figuratur.

Sic igitur quatuor libri evangeliorum habent pro subiecto idem, scilicet hominem Iesum. De illo subiecto quatuor declarare intendunt: Matthaeus quidem, quod est verus Deus et Dei Filius; Lucas autem, quod est verus Salvator hominum; Marcus autem, quod est Rex et etiam imperator omnium. Et haec probant per facta et dicta, quae testificantur, illum hominem fecisse in conspectu discipulorum suorum et multitudinis Iudaeorum; et sic quatuor evangelia distinguuntur non penes quatuor subiecta, sed penes quatuor praedicata de eodem subiecto.

I. Incipit evangelium secundum Matthaeum.

Incipit ergo Matthaeus partem testimonialem scripturae divinae et probat, hominem Iesum Messiam fuisse et Christum in scripturis promissum. Et hoc maxime congruebat, quia scribebat in he-

braico et fratribus Iudaeis, conversis ad Christum. Intendit igitur probare *minorem* unius rationis, ac si ita velit arguere [1]:

1. Ille homo, in quem concordant voces omnium prophetarum quantum ad omnia, quae prophetata fuerunt de illo, qui dicebatur esse Messias et Christus; ille, inquam, homo fuit vere Christus. Non enim est possibile, quod omnia concurrant in aliquam personam, quae de Christo dicta sunt, quin illa persona sit Christus; quamvis enim duae vel tres conditiones praedictae in prophetis possent alicui alteri personae convenire, non tamen omnes. [c]Alioquin vane et absque ulla utilitate revelatio prophetica praecessisset; in nullo enim nos introduxisset ad Christum, sed potius errandi materiam praebuisset; propter quod Salvator dicebat (Luc. 24, 44.), quod « necesse est, impleri omnia, quae scripta sunt in lege, prophetis et psalmis de me ». Et alibi (Matth. 26, 54.): « Quomodo ergo implebuntur scripturae »? Et Paulus dicit, quod qui habitabant Hierusalem et principes eius ignorantes voces prophetarum, quae per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleverunt » (Act. 13, 27. 29.); « Cumque consummassent omnia quae de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento ». Ex quibus patet, quod ille vere debuit dici Christus, in quem consonant voces omnium prophetarum.

2. Sed modo sic est, quod in illum sacrum hominem, qui dictus est Iesus, concordaverunt vo-

---

[1] In n. 1. sequitur syllogismi *maior*.

eos omnium prophetarum quantum ad concursum omnium conditionum, quas de Christo praedixerant [1].

Fuit ergo illo homo Christus [2].

Hanc ergo *minorem propositionem* probare intendit evangelista Matthaeus quantum ad viginti duas conditiones in genere, quas de futuro Christo praedixerunt prophetae. Et secundum hoc evangelium Matthaei *dividitur in 22 partes principales.*

XXII CONDITIONES DE CHRISTO PRAEDICTAE.

1. Prima namque conditio, quam praedicaverunt prophetae de Christo venturo fuit *Davidica et regia propagatio.* Praedicaverunt namque, quod propagaretur ex semine David et ex radice Iesse; (Is. 11, 10.): « In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur »; (Ier. 33, 15.): « In tempore illo germinare faciam David germen iustitiae, et faciet iudicium et iustitiam in terra »; (Ez. 37, 24.): « Et servus meus David rex super eos, et pastor unus erit omnium eorum »; (Amos 9, 11.): « In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit... et reaedificabo, et ea quae corruerant instaurabo »; (Agg. 2, 24.): « Assumam te Zorobabel... et ponam te quasi signaculum, quia te elegi »; Zacharias de Zorobabel dicit (c. 4, 7.), quod « educet lapidem primarium », i. e. Christum.

Hanc igitur conditionem fuisse in illo sacro homine, qui dictus est Iesus, Matthaeus testatur

[1] Minor propositio.

[2] Conclusio.

in prima particula evangelii a principio, ubi incipit (c. 1, 1-17.): « Liber generationis Iesu Christi, filii David ».

2. Secunda vero conditio praedicta per prophetas fuit *virginea gravidatio, partus et gignitio.* Praedixit namque Isaias, quod homo ille, qui erat Christus futurus, nasceretur ex virgine (c. 7, 14.): « Ecce virgo concipiet et pariet filium ». Et hanc conditionem probat de Domino Iesu Matthaeus (c. 1, 18-25.). Et haec est secunda particula Evangelii Matthaei.

3. Tertia vero conditio praedicta a prophetis fuit *siderea apparitio* et *regum directio,* qui venirent orto iam Christo ad adorandum eum. De apparitione namque stellae praedixerat Balaam (Num. 24, 17.): « Orietur stella ex Iacob »; et de regum adoratione psalmista (Ps. 71, 10.): « Reges Tharsis et insulae munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent ». Et de utroque Isaias (c. 60, 1.): « Surge, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est, et ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui. Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes ». Hanc conditionem probat Matthaeus fuisse in Domino Iesu Christo, nato in Bethlehem (c. 2, 1-12.): « Cum natus esset ». Et haec est particula tertia.

4. Quarta conditio per prophetas praedicta fuit *Nazarea ac florida nuncupatio.* Licet enim praedixisset Michaeas, quod nasceretur in Bethlehem Christus (c. 5, 2.): « Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus eius ab

initio, a diebus aeternitatis »; licet etiam praedixisset Ieremias, quod fugaretur de terra Iuda propter interfectionem puerorum, ubi ait (c. 31, 15.): « Vox in excelso audita est lamentationis, luctus et fletus, Rachel plorans filios suos »; licet etiam praedixisset Osee, quod fugeret in Aegyptum et inde revocaretur (c. 11, 1.): « Puer Israel, et dilexi eum, et ex Aegypto vocavi filium meum »; nihilominus praedixerant prophetae, quod nec diceretur Bethlehemita, aut Ephrataeus, sed nec Aegyptius, sed potius Nazaraeus, quod (Is. 11, 1.): « Nazaraeus de radice eius ascendet »; habet enim Hebraeus « Nazaraeus », quod interpretatur flos sive floridus.

Hanc ergo conditionem testatur Matthaeus fuisse in homine illo, qui dictus est Iesus (c. 2, 13-22.). Et haec est particula quarta evangelii sui.

5. Quinta vero conditio per prophetas praedicta fuit *primaria acclamatio*. Praedixerant namque, quod Christus haberet unum praeconem praevium et unum praecursorem, qui ipsum manifestaret mundo et proclamaret.

Sic namque praedixerat Isaias (c. 40, 3.): « Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini »; et Malachias (c. 3, 1.): « Ecce ego mitto angelum meum ».

Hanc ergo conditionem probat fuisse in Domino Iesu Matthaeus in cap. tertio per totum; et ibi particula quinta continetur.

6. Sexta vero conditio fuit *angelica ministratio*. Praedixerat enim propheta in psalmis (Ps. 90, 11.): « Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis... In manibus portabunt te ».

Hanc ergo conditionem fuisse in isto homine, declarat Matthaeus. Cuius occasione introducit Christum in deserto ieiunantem eumque diabolum tentantem, et tandem Angelorum exercitum ministrantem (c. 4, 1-11.). Et ibi ponitur particula sexta.

7. Septima conditio, quam praedixerunt prophetae, fuit *primaria conversatio*. Praedixerunt namque quod homo ille, qui esset Christus, conversaretur primo in Galilaea et ibi discipulos vocaret.

Sic praedixit Isaias (c. 8, 16-18; 9, 1. 2.): «Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum... Primo tempore alleviata est terra Zabulona et terra Nephthali; et novissimo aggravata est vi maris trans Iordanem Galilaeae gentium. Populus, qui ambulabat in tenebris».

Hanc ergo conditionem testatur Matthaeus in isto homine, qui dictus est Iesus, concurrisse (c. 4, 12-16.); et introducit vocationem Petri et Andreae, Iacobi et Ioannis et alleviationem sive informationem primam totius Galilaeae, quae facta est per Dominum Iesum. Et ibi septima particula continetur.

8. Octava conditio fuit *authentica legislatio*, et iustissima ac verissima explicatio praeceptorum iustitiae, quae in decalogo continetur.

Quod enim Christus, dum veniret, debebat docere perfectam iustitiam, praedixerat Isaias (c. 11, 5.): «Erit iustitia cingulum lumborum eius»; Ieremias (c. 33, 15.): «Faciet iudicium et iustitiam in terra»; Osee (c. 10, 12.): «Tempus autem requirendi Dominum, cum venerit, qui docebit vos iustitiam». Unde et Samaritana innixa verbis prophetarum dicit (Ioan. 4, 25.): «Scio, quia, cum Messias

venerit, ille nobis annuntiabit omnia». Quod vero deberet decalogus innovari, expresse Ieremias praedixerat (c. 31, 31-33.): «Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum». Constat autem, quod facta pacti et foederis fuerunt decem verba decalogi scripta in tabulis. Subdit vero Ieremias, quod «hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel; dabo legem in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam».

Hanc ergo conditionem fuisse in nostro homine, de quo loquimur, Matthaeus demonstrat in cap. 5-7, ubi continetur sermo Domini Iesu in monte et explicatio atque innovatio decalogi et expositio novae legis, in quibus iustitia perfecta consistit. Unde et ibi dicitur (c. 5, 20.): «Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum». Et in fine concluditur, quod «admirabantur turbae super doctrina eius. Erat enim docens sicut potestatem habens et non sicut scribae eorum et pharisaei». Ex quo patet, quod fuit in eo authentica legislatio ac potestativa. Et in his capitulis octava particula continetur.

9. Nona conditio praedicta per prophetas de Christo venturo erat *deifica operatio* et mirifica corruscatio miraculorum.

Praedixerat namque Isaias (c. 35, 4-6.): «Ecce Deus noster veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum et aures surdorum patebunt. Tunc saliet claudus sicut cervus, et aperta erit lingua mutorum»; per quod designatur, quod stu-

penda miracula fienda erant per illum, qui esset verus Christus.

Hanc ergo conditionem fuisse in illo homine, de quo loquimur, demonstrat Matthaeus (c. 8-11.). In octavo et nono capitulo ostendit, ipsum curasse subiectos leprae, febribus, paralysi et immundo spiritui sive daemoni. Ostendit, ipsum praecepisse ventis et mari et morti et multiplex genus miraculorum fecisse. In decimo cap. ostendit, ipsum non solum hanc potestatem habuisse in se, quod tamen esset magnum; quinimo et illam pluribus communicasse, quia duodecim apostolis, quos nominavit, et potestatem dedit eis, ut omnem languorem curarent et spiritus immundos eiicerent, ac eos destinavit hinc inde, praecepta et regulas eis dando, sicut patet in toto illo cap. decimo.

In undecimo vero introducit Ioannis discipulos interrogantes Iesum, utrum ipse esset Christus, et ipsum Dominum Iesum per istam conditionem propheticam respondisse et dixisse (Matth. 11, 4-5.): « Euntes renuntiate Ioanni, quae audistis et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur ». Ac si aperte argueret: Videte, quod in me concurrit nona conditio miraculorum, scilicet deifica operatio, quam praedixerunt de vero Christo prophetae. Et ideo statim Iesus (in eodem cap.) incipit exprobrare civitates, in quibus per ipsum factae erant virtutes plurimae, et tamen non crediderunt in eum. Et sic in illis tribus capitulis nona particula continetur.

10. Decima vero conditio prophetata de vero Christo erat *pacifica et humillima conversatio.*

Praedixerat namque Isaias (c. 42, 1-4.): « Ecce servus meus, suscipiam eum... dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet, in veritate educet iudicium. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponet in terra iudicium, et legem eius insulae exspectabunt ».

Hanc ergo conditionem testatur fuisse in nostro benedicto homine Iesu Matthaeus in 12. cap., ubi etiam allegat prophetiam praedictam: « Ecce puer meus », et persequitur de conversatione pacifica et humillima Domini Iesu multa. Et ibi particula decima continetur.

11. Undecima vero conditio fuit *parabolica eruditio.*

Praedixerant namque prophetae, quod Christus doceret in parabolis, ita ut non intelligerent Iudaei.

Sic enim dixerat David (Ps. 77, 2.): « Aperiam in parabolis os meum; loquar propositiones ab initio »; sic quae dixerat Isaias (c. 6, 9. 10.): « Auditu audietis et non intelligetis. Excaeca cor populi huius ». Ieremias praedixerat (c. 14, 8.), quod Christus assimilaret se colono et seminatori. Unde interrogabat: « Quare quasi colonus futurus es in terra et quasi viator declinans ad manendum »?

Hanc ergo conditionem concurrisse in nostro homine Matthaeus contestatur cap. 13., ubi introducit Christum dicentem in parabolis: « Exiit qui seminat seminare semen suum », ubi etiam allegat

auctoritatem praemissam: « Auditu audietis », et illam Psalmistae: « Aperiam in parabolis os meum ».

12. Duodecima vero conditio, quam praedixerunt prophetae de Christo venturo, erat *provida et benevola enutritio,* qua deberet populum benevole et provide alere cibo et nutrire.

Praedixerat enim Ezechiel (c. 34, 23.): « Ego suscitabo super gregem pastorem unum, qui pascet eum, servum meum David; ipse pascet et ipse erit eis in pastorem ».

Hanc ergo conditionem testatur Matthaeus in nostro homine concurrisse vere in cap. 14., ubi ostendit, eum secessisse in desertum locum propter mortem et decollationem Ioannis Baptistae; in quo quidem deserto misertus est super turbam et pavit eos de quinque panibus et duobus piscibus. Et ibi subiungit, quomodo tangebant fimbriam vestimenti eius et curabantur omnes male habentes, eo modo quo oves curantur ad pedes pastoris. In illo ergo capitulo duodecima particula continetur huius evangelii.

13. Decima tertia conditio praedicta per prophetas de vero Christo fuit *hyprocrisis et caeremoniarum omnimoda detestatio.*

Praedixerat enim Isaias (c. 11, 3.): « Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet; sed iudicabit in iustitia pauperes et arguet in aequitate pro mansuetis terrae »; et sequitur, quod « spiritu oris sui interficiet impium ». Et contra hypocritas, ex parte Christi ait (Is. 29, 13.): « Populus iste labiis suis me glorificat, cor autem eorum longe est a me et timuerunt me mandato hominum et doctrinis ».

Hanc ergo conditionem concurrisse in nostro homine, Matthaeus testatur cap. 15., ubi introducit pharisaeos reprehendentes Iesum, quia discipuli eius transgrediebantur traditiones seniorum, non lotis manibus manducando; ubi et respondens allegat prophetiam praedictam dicens: « Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias dicens: Populus hic labiis me honorat ». Et ibidem subdit triplex miraculum ad confirmationem praedictae detestationis hypocritarum.

In 16. autem capitulo in principio applicat miraculum unum iam factum ad detestationem hypocrisis pharisaeorum et sadducaeorum. Et sic 13. pars, in qua ista conditio probatur de Christo, durat per 15. capitulum et 16. usque ibi iuxta medium: « Venit autem Iesus in partes Caesareae Philippi ».

14. Decima quarta conditio praedicta per prophetas de vero Christo erat *gemina colligatio, connexio* videlicet *duarum naturarum in una persona.*

Dixerat namque Isaias (c. 9, 6.) quantum ad naturam humanam: « Parvulus natus est nobis, filius datus est nobis ». Quantum vero ad naturam divinam dicit: « Et vocabitur admirabilis, Deus, fortis ». Dixerat etiam Michaeas (c. 5, 2.) quantum ad naturam humanam: « Et tu, Bethlehem... ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel ». Quantum vero ad naturam divinam subiunxit: « Et egressus eius a diebus aeternitatis ». Et Isaias (c. 48, 16.): « Ex tempore antequam fieret, ibi eram », quod dicit propter naturam divinam; « et nunc Dominus Deus misit me et spiritus eius », quantum ad naturam humanam.

Et propheta in psalmo (Ps. 44, 7.), cum dixisset: « Sedes tua Deus in saeculum saeculi », subdit: « Unxit te Deus, Deus tuus ». Et infra (Ps. 44, 12.): « Concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus ». Et universaliter tota scriptura sacra prophetica contestatur illum hominem, qui esset Christus, debuisse habere duplicem naturam, divinam scilicet et humanam.

Hanc igitur conditionem testatur Matthaeus fuisse in nostro homine cap. 16-17. Primo namque ostendit, in eo fuisse naturam divinam per responsionem Petri dicentis: « Tu es Christus, Filius Dei vivi ». Deinde vero naturam humanam per revelationem passionis futurae super eum. Ait enim, quia oportet filium hominis mala pati et occidi. Deinde vero naturam divinam in transfiguratione, quia resplenduit facies eius sicut sol. Deinde vero rursum naturam humanam in solutione didragmatis et tributi. Et ita continetur ibi particula 14. evangelii.

15. Decima quinta conditio praedicta a prophetis fuit *ecclesiastica dispositio et hierarchica ordinatio unius novi regni.*

Praedixerat namque Isaias (c. 9, 7.): « Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis; super solium David et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret illud in iudicio, amodo et usque in sempiternum ». Dixerat etiam Daniel (c. 7, 27.), quod suscitaret Dominus in Christo unum novum regnum, quod destrueret omnia alia regna, quod esset regnum Sanctorum et regnum caeleste, non terrenum. Et prophetiae omnes sunt plenae, quod Christus debeat esse rex et monarcha cuiusdam spiritualis regni, non terreni.

Hanc ergo conditionem testatur Matthaeus fuisse in nostro homine cap. 18-20. Ibi enim agit de regno caelorum, quod est praesentis temporis Ecclesia, ostendens, quomodo Dominus Iesus disposuit regnum suum opposito modo ad regnum terrenum:

a) In humilitate (c. 18, 1.): « Quis putas, maior est in regno caelorum »?

b) In caritate et fraternitate: « Si peccaverit in te frater tuus, vade ».

c) In misericordia et pietate (c. 18, 15.): « Ideo assimilatum est regnum caelorum homini, qui voluit rationem ponere cum servis suis ».

d) In castitate matrimoniali (c. 19, 3.): « Si licet homini dimittere uxorem suam ».

e) In castitate virginali et viduali (c. 19, 12.): « Sunt eunuchi ».

f) In paupertate: « Tunc oblati sunt ei parvuli... Si vis perfectus esse, vade et vende »; et ibidem subdit praemium paupertatis (c. 19, 13-27.): « Ecce nos reliquimus omnia ».

g) In probitate et operositate; ubi agit de operariis conductis pro denario diurno ad vineam patrisfamilias excolendam (c. 20, 1.).

h) In concordia, pace et tranquillitate: « Et ascendens Iesus Hierosolymam »; ibi enim introduxit apostolos indignatos de duobus fratribus, scilicet Iacobo et Ioanne, quia postulaverant, quod unus sederet ad dexteram et alius ad sinistram in regno eius, quam indignationem et turbationem sedat, dicens (c. 20, 25.): « Scitis, quod reges gentium dominantur eorum ».

i) Ultimo fundat regnum suum in precum et orationum assiduitate, introducens duos caecos cla-

mantes ad Iesum, et ostendit, ipsum misertum esse eis. Ex quibus patet, quod homo iste habet novum regnum et spirituale omnino conditionum oppositarum ad regnum terrenum et temporale. In his ergo tribus capitulis 15. particula continetur.

16. Decima sexta conditio praedicta per prophetas erat *pauperrima et humillima exhibitio.* Quamvis enim prophetae praedixerunt, quod Christus esset imperator et rex et monarcha, tamen praedixerunt, quod esset rex alterius modi ab istis regibus terrenis. Dominaretur enim a mari usque ad mare, cum hic tamen esset pauper.

Unde ait Zacharias (c. 9, 9. 10.): « Exsulta satis, filia Sion; iubila, filia Ierusalem: ecce Rex tuus veniet tibi iustus et salvator; ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinae et loquetur pacem gentibus, et potestas eius a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terrae ».

Hanc igitur conditionem Matthaeus testatur de nostro homine cap. 21: « Et cum appropinquasset Iesus Hierosolymam et venisset Bethphage », ubi et allegat prophetiam praedictam usque ibi (v. 18.): « Mane autem revertens in civitatem esuriit », in eodem capitulo.

17. Decima septima conditio fuit *iudaica excaecatio.*

Praedixerat enim Isaias (c. 6, 11.): « Excaeca cor populi huius »; (c. 2, 6.): « Proiecisti enim populum tuum, Domine, domum Iacob »; (c. 29, 10.): « Claudet oculos vestros, prophetas et principes vestros, qui vident visiones, operiet »; et subdit (c. 29, 18.), quod « oculi caecorum videbunt ».

Unde in prophetis legitur effectus illorum verborum, quae Iesus protulit ad principes sacerdotum (Ioan. 9, 39.): « Ego in iudicium veni in mundum, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant ».

Hanc ergo conditionem testatur Matthaeus de homine nostro (c. 21, 18- c. 23.). Ostendit enim, quod ad potentiam Domini Iesu excaecati sunt Iudaei, maxime sacerdotes et seniores populi:

a) Sub figura cuiusdam ficulneae, quae non protulit fructum, quae arefacta est (c. 21, 19.). Illa autem significabat Iudaeos.

b) Sub textura multiplicis parabolae: primam de duobus filiis (c. 21, 28.); secundam de agricolis, qui interfecerunt heredem domini vineae (v. 33.): tertiam de nuptiis et invitatis, qui fuerunt indigni, (c. 22, 2.): « Simile factum est regnum caelorum » etc.

c) Ostendit eos excaecatos ex cautela machinationis iniquae (c. 22, 16.): « Tunc abeuntes pharisaei mittunt discipulos suos cum Herodianis ».

d) Loquitur contra eos praedicendo vae et maledictionem excaecationis cap. 23. usque finem. Et sic in tribus capitulis decima septima particula continetur.

18. Duodevigesima conditio, quae praedicta erat de Christo per prophetas, quod esset in eo *prophetia reserata omnium arcanorum et futurorum.*

Praedixerat enim Moyses (Deut. 18, 15.): « Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui »; et ibidem: « Prophetam de fratribus tuis sicut petisti a Domino Deo tuo ».

Hanc ergo conditionem testatur Matthaeus fuisse in nostro homine, cap. 24. et 25., ubi osten-

dit, qualiter Dominus Iesus prophetavit de destructione Hierusalem et templi per Romanos fienda sub Tito et Vespasiano, et de signis praecedentibus diem iudicii. Deinde vero determinat modum, quo homines venient ad iudicium sub metaphora quinque fatuarum et quinque prudentium virginum, et sub metaphora diversorum servorum, qui acceperunt talenta varia ad lucrandum. Deinde vero declarat, qualiter proferetur iudicium (c. 25, 31.): « Cum autem venerit filius hominis ». Et sic duobus capitulis particula decima octava continetur.

19. Undevigesima conditio praedicta a prophetis de Christo fuit *mirabilis et insolita institutio cuiusdam novi sacrificii et sacramenti in pane et in vino.*

Praedixerat enim David (Ps. 109, 5.) de Christo: « Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech », qui obtulit panem et vinum. Zacharias (c. 9, 17.) dixerat de isto pane: « Quid enim bonum eius est, et quid pulcrum eius, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines »? Est enim hoc sacramentum frumentum electorum et vinum germinans castitatem.

Hanc ergo conditionem Matthaeus testatur fuisse in nostro homine cap. 26, 30, ubi agit de coena Domini: « Et hymno dicto exierunt in monte Oliveti » etc., ubi decima nona particula continetur.

20. Vigesima conditio fuit, quod in Christo venturo esset *salutifera toleratio et amara passio,* amara, inquam, respectu sui, sed salutifera respectu nostri.

Praedixerat enim Isaias (c. 53, 7. 8.): « Sicut ovis ad occisionem ducetur, propter scelus populi mei

percussi eum, et cum sceleratis reputatus est». Et paene omnia verba illius scripta sunt de passione Christi futura. Et iterum (c. 50, 6.): «Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me». Zacharias (c. 9, 11.): «Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua». Dixerat etiam Ieremias (c. 11, 19.): «Cogitaverunt contra me consilia dicentes: Mittamus lignum in panem eius et eradamus eum de terra viventium, et nomen eius non memoretur amplius». Et David (Ps. 21, 17.): «Foderunt manus meas et pedes meos et dinumeraverunt omnia ossa mea». Et Zacharias (c. 12, 10.): «Aspicient ad me, quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum».

Hanc ergo conditionem quantum ad omnia praedicta et plura alia, quae concurrerunt in passione Christi, et quae praedicta erant per omnes prophetas, Matthaeus in homine nostro manifestissime concurrisse testatur in 26. capitulo: «Et hymno dicto». Et in hoc particula vigesima continetur.

21. Vigesima prima conditio prophetica de futuro Christo fuit, quod esset in eo *magnifica resurrectio et triumphus de morte.*

Dixerat enim Osee (c. 6, 3.): «Vivificabis nos post duos dies; in tertia die suscitabis nos, et vivemus in conspectu eius». Et iterum (c. 13, 14.): «Ero mors tua, o mors! morsus tuus ero, inferne»! Et Psalmista (Ps. 15, 9.): «Caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptio-

nem ». Et innumerabilia alia dicta erant de resurctione Christi futuri a mortuis.

Hanc ergo conditionem testatur fuisse in nostro homine Matthaeus in cap. 28, 1-18. Et ibi vigesima prima particula continetur.

22. Vigesima secunda et ultima conditio est *multimoda convocatio gentium.*

Praedixerant namque prophetae, quod ad futurum Christum aspicerent, intenderent et convenirent gentes de omni tribu.

Sic enim dixerat Iacob (Gen. 49, 10.): « Ipse erit exspectatio gentium ». Sic et Isaias (c. 11, 10.): « Ipsum gentes deprecabuntur »; (c. 2, 2.): « Et fluent ad eum omnes gentes »; (c. 49, 6.): « Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae »; (c. 42, 4.): « Legem eius insulae exspectabunt ». Sic Zacharias (c. 8, 23.): « Apprehenderunt homines ex omnibus linguis gentium fimbrias viri iudaei ». Et Malachias (c. 1, 11.): « Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus ».

Hanc ergo conditionem per modum conclusionis in ultima particula evangelii sui Matthaeus fuisse in nostro homine contestatur, referens verbum eiusdem Dei et hominis, dicentis ad suos discipulos: « Euntes ergo docete omnes gentes... servare omnia quaecumque mandavi vobis, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi ».

Et sic Matthaeus finitur, probata minore unica superius assumpta.

Epilogus.

Ex quo patet, quod sic arguere intendit:

In illo homine, qui dictus est Iesus, testis sum ego, quod omnia concurrerunt, quae prophetae praedixerunt futura esse in vero Christo:

Sive quantum ad propagationem regiam et Davidicam — sive quantum ad gravidationem et generationem virgineam — sive quantum ad apparitionem sideream et adorationem regiam — sive quantum ad nominationem floridam et nazaream — sive quantum ad acclamationem primam praecursoris — sive quantum ad obsequium angelorum et ministrationem sedulam — sive quantum ad conversationem primariam in Galilaea et in terra Zabulon et Nephtalim — sive quantum ad expositionem decalogi et legislationem authenticam et novam — sive quantum ad multiplicem operationem mirificam et deificam ex panibus multiplicatis — sive quantum ad conversationem pacificam et tranquillam — sive quantum ad eruditionem parabolicam et doctrinam figurativam — sive quantum ad nutritionem benevolam et benignam — sive quantum ad detestationem veridicam omnis hypocrisis et caeremoniarum — sive quantum ad colligationem geminam duarum naturarum, divinae scilicet et humanae in uno homine — sive quantum ad dispositionem hierarchicam novi regni Ecclesiae — sive quantum ad ostentationem pauperrimam et sessionem super pullum asinae — sive quantum ad excaecationem iudaicam quantum ad pharisaeos et populi seniores — sive quantum ad reserationem

propheticam futurorum — sive quantum ad institutionem insolitam novorum sacramentorum — sive quantum ad tolerationem et passionem salutiferam — sive quantum ad suscitationem magnificam et resurrectionem stupendam — sive quantum ad convocationem multimodam omnium linguarum, populorum et tribuum.

Utique haec verificata sunt in hoc homine sacro Iesu, quae prophetae praedixerant de Christo.

Ergo ipse est vere Christus, nec est alius exspectandus.

Et sic patet Matthaei processus.

II. Incipit evangelium secundum Marcum.

Marcus et probat de illo felici homine, qui dictus est *Iesus,* quod fuit *Rex et Dominus omnium* et excedens in potestate et virtute omnem hominem et omnem creaturam; quod patet, quia non tractat nisi de praecipuis et excellentioribus *miraculis* eius. Et fere in quolibet capitulo concludit magnitudinem potentiae et virtutis in eo.

Unde in 1. cap. ait: « Stupebant omnes super doctrinam eius; erat enim docens quasi potestatem habens... mirati sunt omnes..., quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei ».

In 2. cap. concludit, quod mirabantur omnes, ita ut honorificarent Deum dicentes: « Nunquam sic vidimus ». Et in fine dicit: « Itaque Dominus est filius hominis etiam sabbati ».

In 3. cap. concludit, quod habentes spiritus immundos, cum videbant illum, procidebant et clamabant dicentes: « Quia tu es Filius Dei ».

In 4. cap. sic concludit: « Quis putas est iste, quia ventus et mare obediunt ei »?

Et sic in toto evangelio semper infert istam conclusionem, ita et in passione (cap. 15.) introducit Iudaeos dicentes: « Christus, rex Israel, descendat nunc de cruce »! Et centurionem confitentem: « Vere hic homo Filius Dei erat ». Fuitque evangelium de ascensione illius hominis in caelum et de sessione a dextris Dei (c. 16, 20.): « Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis ».

Sic ergo patet, quod haec est conclusio, quam Marcus in evangelio suo intendit: hominem, scilicet Iesum, esse et fuisse virtuosissimum Dominum et imperatorem ac regem omnium. Nam et in hac conclusione finit evangelium et ipsam interserit in suo processu quasi per totum.

Syllogismus maior. Hanc autem conclusionem suo testimonio probat narrando facta illius hominis et intendendo unum talem syllogismum:

Ille homo, cuius virtutem ac potestatem extendi vidimus ad omnem spiritum creatum et increatum — et quam extendi vidimus ad omnes infirmitates corporum — et ad infirmitates animarum et ad remissionem peccatorum — et quam extendi vidimus super legem Mosaicam et super sabbatum — et quam extendi vidimus ad transferendum virtutem et potestatem in alterum, ut et ille operaretur virtuose — et quam extendi vidimus super mare et ventum — et quam extendi vidimus ad mortis vinculum et quorumcumque viventium, sive hominum sive brutorum — et quam extendi vidimus ad multiplicandum cibum et ali-

menta panum — et quam extendi vidimus ad dispensandum super omnem statum humanum — et quam extendi vidimus ad restituendum auditum et loquelam et visum et usum omnium sensuum — et quam extendi vidimus ad naturam passibilem et impassibilem commutandam — et quam extendi vidimus ad interpretandum mandata Dei et superaddendum omne salubre consilium — et quam extendi vidimus ad thronum et ad regnum David iuxta miraculosum clamorem populi et iuxta testimonium, quod fuerat per prophetas — et quam extendi vidimus ad convertendum omnem rebellem sibi et adversarium quemcumque astutum — et quam extendi vidimus ad praecognoscendum omne futurum — et quam extendi vidimus ad tolerandum summe fortiter et magnanimiter omne adversum et praecipue mortem in monte amarissimam, quae est ultimum terribilium — et quam extendi vidimus ad revolvendum proprium sepulcrum — et quam extendi vidimus ad aperiendum caelum et sedendo super gloriae solium a dextris Dei Patris;

Ille utique vere homo fuit rex virtuosissimus et dominus omnium. Sed homo ille, qui dictus est Iesus, habuit conditiones praedictas: igitur ipse fuit omnium dominus et rex virtuosus.

Hanc *minorem* seriose deducit et probat in evangelio suo Marcus. Et secundum hoc dividitur evangelium eius in *viginti partes* secundum numerum praedictarum conditionum.

20 CONDITIONES DE CHRISTO..

1. In prima namque parte protestatur, virtutem illius hominis, qui dictus est Iesus, se extendisse *ad omnem spiritum:* propheticum quidem, Isaiae scilicet et Malachiae et Ioannis Baptistae; et spiritum divinum, quia (c. 1, 10.) « tamquam columba descendit et mansit super eum »; nec non et spiritum angelicum, quia « angeli ministrabant ei »; sed et spiritum apostaticum, scilicet daemones, qui exibant ab obsessis corporibus et clamabant (c. 1, 1-28.): « Scimus, quia Filius Dei es », quibus in potestate et virtute imperabat. Ex quibus patet, quod isti homini omnis spiritus subserviebat.

2. Testatur, virtutem huius hominis se extendisse *ad languores et infirmitates corporum,* febrem scilicet et lepram et omnem infirmitatem aliam (c. 1, 29-45.): « Et protinus egredientes » etc.

3. Protestatur virtutem istius hominis se extendisse *ad conferendum remissionem peccatorum,* et per consequens ad curandum infirmitates animarum, unde concludit (c. 2, 1-17.): « Ut sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata » etc. Et post vocationem Levi sive Matthaei infert: « Non habent necesse sani medico, sed qui male habent.

4. Protestatur istius hominis potestatem se extendisse *ad totam legem Mosaicam* et ad immutandum sabbatum. Ibi enim ostendit, ipsum dispensasse cum discipulis suis, ne ieiunarent eo praesente, et ibi subdit: « Itaque Dominus est filius hominis etiam Sabbati ». Et ibi interrogat: « Licet sabba-

batis bene facere an male »? Unde durat pars ista a loco illo (c. 2, 18.): « Et erant discipuli Ioannis » ad v. 35.

5. Ostendit, istius hominis potestatem non solum esse magnam quoad propriam personam, imo etiam habere *auctoritatem transferendi,* communicandi, concedendi similem *virtutem in alterum;* unde introducit istum hominem facientem miracula maxima et sanitates conferentem. Statimque ostendit, quomodo duodecim discipulis dedit potestatem curandi infirmitates et eiiciendi demonia. Et ostendit, potestatem istam non posse attribui daemonibus, sed soli Deo (c. 3, 6-35.): « Exeuntes autem Pharisaei » etc.

6. Testatur, istius hominis virtutem et potestatem se extendisse *ad mare et ventum* et super aquae et aëris elementum, cuius occasione introducitur ipsum praedicantem in quadam navi et proponentem multas parabolas (c. 4.). Et in fine concludit: « Quis putas iste est, quia ventus et mare obediunt ei »?

7. Testatur, istius hominis potestatem se extendisse *ad mortis articulum.* Unde ostendit, ipsum fuisse Deum vitae et mortis; mortis quidem, quia narrat, quomodo eius licentia spiritus immundi introierunt in porcos, qui etiam suffocati sunt in mari usque ad duo millia. Item etiam, quia narrat, quomodo filia archisynagogi iam mortua eius praecepto revixit (c. 5.).

8. Ostendit, hominis illius potestatem se extendisse *ad multiplicandum corporalem cibum et alimenta panum.* Unde et introducit occasionem, quare iste homo ivit ad locum desertum. Nam quia con-

temnebatur in propria patria, et quia decollaverat Ioannem Baptistam Herodes tetrarcha, propter hoc duxit discipulos ad illum locum desertum ad requiescendum pusillum, ubi etiam ex quinque panibus et duobus piscibus satiavit Dominus quinque millia hominum (c. 6.).

9. Testatur, istius hominis potestatem se extendisse *ad omnem humanum statum*. Unde introducit ipsum reprobantem traditiones seniorum (c. 7, 1-23.): « Et convenerunt ad eum Pharisaei » etc.

10. Testatur, illius hominis potestatem se extendisse *ad restituendum auditum et loquelae instrumentum* (c. 7, 24.): « Et inde surgens abiit » etc. Unde concludit (v. 37.): « Bene omnia fecit, et surdos fecit audire et mutos loqui ».

11. Testatur, istius hominis potestatem se extendisse *ad illuminandum tam spiritualem, quam corporalem visum* (c. 8, 1-26.): « In diebus illis » etc. Unde post multiplicationem panum, cum non intelligerent discipuli, sed haberent cor excaecatum, concludit (v. 18.): « Oculos habentes non videtis... quomodo nondum intelligitis »? Quoad visum vero corporalem ait de caeco, qui prius vidit homines velut arbores ambulantes, quod restitutus est ita, ut clare omnia videret.

12. Testatur, ipsius virtutem se extendisse *ad naturam passibilem et impassibilem commutandam*, ubi primo introducit diversas opiniones hominum de illo propositas et qualiter praedixit, se esse reprobandum et occidendum et die tertia a mortuis resurrecturum. Et narrat tranfigurationis modum, ut per hoc innueret, qualiter naturam passibilem post resurrectionem gloriosam impassibilem

commutaret (c. 8, 27-c. 9, 12.): « Et ingressus est Iesus » etc.

13. Testatur, virtutem huius hominis non solum egisse in propinquum, imo et se extendisse *ad omnem distantem locum*, dum tamen inveniret fidelem hominem et credulum (c. 9, 13-49.): « Et veniens ad discipulos suos » etc. Unde de daemonio, quod non potuerint eius discipuli expellere, respondit, quod hoc erat propter incredulitatem rogantium. Et concludit (v. 22.): « Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti ». Ex quo ad locum distantem introducit quendam in nomine illius daemonia eiicientem, qui non sequebatur eum.

14. Protestatur, virtutem illius hominis se extendisse *ad interpretationem mandatorum legalium et superadditionem consiliorum perfectionis*. Ibi enim introducit, hunc hominem reprobasse libellum repudii et praedicasse virginitatem et castitatem ac etiam paupertatem (c. 10, 1-31.): « Et inde surgens » etc.

15. Testatur, illius hominis potestatem se extendisse *ad obtinendum imperium David et regnum eius et thronum*, sicut praedictum fuerat per prophetas (c. 10, 32-c. 11, 11.): « Erant autem in via ascendentes Hierosolymam et praecedat illos » etc. Unde introducit filios Zebedaei dicentes (v. 37.): « Da nobis, ut unus ad dextram tuam, et alius ad sinistram tuam sedeamus in regno tuo »; et caecum acclamantem (v. 47.): « Iesu, fili David, miserere mei »; et populum clamantem (c. 11, 10.): « Benedictus, qui venit in nomine Domini; benedictum quod venit regnum patris nostri David, Hosanna in excelsis ».

16. Testatur, huius hominis virtutem se extendisse *ad reprehendendum astutias hominum malignorum et ad convincendum potentiam et adversariorum machinationem* (c. 11, 12-12.): « Et alia die, cum exirent » etc. Ubi primo introducit, qualiter maledixit infructuosam ficum, quae statim aruit, quod fuit figura arefactionis Pharisaeorum. Ponit etiam disputationem ipsius contra Pharisaeos per divinas scripturas et multas parabolas.

17. Testatur, huius hominis virtutem se extendisse *ad cognoscendum futurorum eventum et totum saeculi decursum usque in finem.* Introducit enim, eum praedixisse destructionem Hierusalem, quae facta est per Titum et Vespasianum, et deinde persecutionem credentium fidelium in Christum, quae per trecentos annos duratura erat per cursum Imperatorum usque ad Constantinum; deinde vero Antichristum venturum; et ultimo se ipsum venientem ad iudicium (c. 13.).

18. Ostendit, eius virtutem et potestatem se extendisse *ad tolerandum mortem et omne adversum in summa potentia et virtute* (c. 14-16.), ita ut ipsius virtutem compulsus fuerit Centurio confiteri, clamans (c. 15, 39.): « Vere hic homo Filius Dei erat ».

19. Testatur, illius hominis potestatem se extendisse *ad revolvendum monumentum et inde egrediendum,* cum tamen vere mortuus fuisset (c. 16, 1-13.): « Et cum transisset sabbatum » etc.

20. In parte vero vigesima et ultima testatur, virtutem illius hominis se extendisse *ad aperiendum caelum et ad sedendum super regale et generale solium et ad dexteram Dei Patris.* Et hoc

ab illo loco (c. 16, 14.): «Novissime autem recumbentibus» etc., ubi concludit (v. 19.): «Quod Dominus Iesus, postquam locutus est eis, assumtus est in caelum et sedet a dextris virtutis Dei». Et in hoc Marcus finitur.

III. Incipit evangelium secundum Lucam.

Nunc accedit Lucas et intendit istam conclusionem, scilicet quod homo ille, qui dictus est Iesus, fuerit *Salvator hominum et medicus animarum*. Quod sibi congruebat, quia erat arte medicus, ut Hieronymus dicit.

Hinc est, quod in primo capitulo introducit angelum dicentem: «Vocabitur nomen eius Iesus», hoc est Salvator; et Zachariam dicentem: «Salutem ex inimicis nostris et de manu omnium, qui oderunt nos»; et in secundo capitulo angelum eum evangelizantem: «Natus est vobis hodie salvator»; et Simonem dicentem: «Viderunt oculi mei salutare tuum». Et ubique per totum evangelium semper agit de illo homine sub ratione, qua Salvator est et medicus animarum. Unde solus ipse narrat de Maria Magdalena, et solus ipse ponit multas parabolas pertinentes ad pietatem et misericordiam et remissionem peccatorum.

Per quod patet, quod sua principalis intentio fuit, probare conclusionem praedictam. Intendit igitur probare eam per talem rationem et *syllogismum:*

Maior: Homo ille, cuius ingressus et introductio, cuius convictus et conversatio, cuius conatus et recollectio, cuius affatus et eruditio, cuius dis-

cursus per mortem et consummatio, cuius regressus a mortuis et resurrectio fuit per modum cuiusdam spiritualis antidoti et medicinae salutaris omnium hominum, utique homo iste censendus est Salvator hominum et medicus animarum.

Minor: Sed ita fuit de illo homine, qui dictus est Iesus.

Conclusio: Ergo ipse fuit spiritualis hominis medicus et salvator.

Minorem istius rationis quantum ad sex conditiones positas in maiori intendit Lucas deducere in suo evangelio; propter quod totum evangelium ipsius in *sex partes* dividitur *principales.*

I. PARS PRINCIPALIS.

De ingressu Iesu in mundum.

In prima namque probat, quod huius hominis *introductio et ingressus* fuit per modum cuiusdam salvatoris mundi et medici spiritualis. Et durat pars illa per tria capita, ubi tractat de triplici introductione istius hominis: prima quidem *in uterum maternum,* et hoc fuit per conceptum (c. 1.); secunda vero *in mundum,* et haec fuit per nativitatem et ortum (c. 2.); tertia *ad totum populum* circa trigesimum annum (c. 3.).

1. In prima introductione probat Lucas, ipsum fuisse salvatorem *per annuntiationem angelicam* factam Zachariae quantum ad praecursorem. Unde ait: « Ipse praecedet ante illum, ut convertat corda patrum ad filios, parare Domino plebem perfectam ». Et factam Mariae, ait enim angelus:

« Vocabis nomen eius Iesum », hoc est salvatorem. Et per exclamationem Elisabeth, quae ait: « Benedictus fructus ventris tui ». Et per canticum Zachariae, quod incipit: « Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae ».

Ex quibus patet, quod in primo capitulo, in quo agitur de conceptu istius hominis, statim introducitur Salvator.

2. In secunda vero introductione probat Lucas, ipsum fuisse salvatorem per testificationem *simul angelicam et propheticam:* angelicam quidem, quia angelus ad pastores ait: « Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo »; propheticam vero, quia Simeon dicit: « Viderunt oculi mei salutare tuum ». Et Anna prophetissa loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel (c. 2.). Concludit, qualiter iste medicus quotidie proficiebat in arte medicandi et in unguento medicinalis gratiae: « Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines ».

3. In tertia vero introductione probat Lucas, ipsum fuisse salvatorem *per acclamationem caelicam,* quia scriptum est, quod vox de caelo audita est: « Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui ». Unde in illo 3. capitulo tractatur de baptismo et baptizante et genealogia ipsius Domini Iesu Christi a Ioseph ascendendo usque ad Adam et ad Deum, quia tunc introductus est ad notitiam hominum, et Spiritu sancto super eum in specie columbae descendente, ostensus est omnium esse salvator.

Et in hoc finitur prima pars principalis evangelii Lucae, de huius hominis ingressu et introductione.

II. PARS PRINCIPALIS.

De conversatione Iesu cum hominibus.

In secunda vero parte principali probat Lucas, quod huius hominis *conversatio et convictus cum hominibus* fuit per modum veri salvatoris (c. 4-7.). Ostendit, qualiter iste homo per sui conversationem et convictum exemplarem visus est homines medicari et salvare. Unde describit eum fuisse:

1. *Exemplar omnis poenitentiae,* agens de ieiunio eius quadraginta diebus et noctibus in deserto (c. 4, 1-13.).

2. *Exemplar omnis devotionis et latriae.* Dicit enim, quod secundum consuetudinem suam ingressus est in synagogam, et statim, ut ostenderet, se esse medicum, revolvens librum Isaiae legit (Is. 61, 1.): « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me... evangelizare misit me, ut sanarem contritos corde ». Et concludit (c. 4, 23.): « Utique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice, cura te ipsum ».

3. *Exemplar mititatis et patientiae,* quia voluerunt eum praecipitare de monte, in quo civitas illorum aedificata erat, et tamen ipse ut patiens per medium illorum ibat (c. 4, 30.).

4. *Exemplar liberalitatis et beneficentiae,* quia transibat benefaciens omnibus et infirmitates curans. Et concludit, se advenisse ad medicinam

omnibus civitatibus tribuendam, dicens (c. 4, 43.): « Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum ».

5. *Exemplar omnis humilitatis et benevolentiae,* ostendens, qualiter cum peccatoribus fuit summe benevole conversatus (c. 5.). Ubi primo narrat de Petro, qui procidens ad genua Iesu dixit: « Exi a me, Domine, quia homo peccator sum ». Et narrat de filiis Zebedaei, qualiter ad sui familiaritatem eos vocavit. Similiter et de Matthaeo publicano, qui convivium sibi fecit; ubi ostendit se medicum dicens: « Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent ». Ubi etiam declaratur modus suae medicinae, dicens in cura paralytici: « Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata ». Et in cura leprosi, cum dicit: « Vade et ostende te sacerdoti et offer pro emundatione tua ».

6. *Exemplar veritatis et exsistentiae contra omnem hypocrisim.* Introducit enim ipsum respondentem Pharisaeis hypocritis, qui sabbatum superstitiose servabant, et dicentem eis (c. 6, 9.): « Licetne sabbato bene agere an male »?

7. *Exemplar omnis perfectionis et superexcellentis vitae,* qualem nunquam ante eum nec post aliquis habuit, introducens eum proponentem beatitudines et consilia summae perfectionis, quae quidem primo incepit in se ipso ostendere et deinde voluit docere (c. 6, 12.): « Factum est autem » etc.

8. *Exemplar compassionis et misericordiae atque clementiae,* ostendens (c. 7.), quomodo misericordia motus est super servo centurionis et super filio viduae, qui defunctus efferebatur, et super pec-

catrice, quae lacrymis coepit pedes eius rigare. Et in fine concludit eum medicum ac dicentem ad mulierem (v. 50.): « Fides tua te salvam fecit, vade in pace ».

Et sic patet ex octo conditionibus praedictis, qualiter sua conversatio et convictus fuit ad salvandum et medicandum mundum.

III. PARS PRINCIPALIS.

De totali conatu Iesu salvatoris.

In tertia vero parte principali probat Lucas, quod illius hominis totalis conatus et recollectio fuit ad salvandum homines et tribuendum eis spiritualem medicinam (c. 8-c.10-22.).

1. In 8. namque cap. ostendit, qualiter homo ille conatus est, ad salutem vocare homines, per se ipsum referens multas parabolas et doctrinas tangentes omnes homines; referens etiam, qualiter discurrebat per terram eiiciendo daemonia curansque infirmos et suscitans mortuam puellam.

2. In 9. vero cap. ostendit, qualiter conatus est, homines reducere ad salutem per alios, scilicet per apostolorum duodenarium. Unde incipit: « Convocatis duodecim apostolis, dedit illis virtutem ». Et informat apostolos, et omnia, quae ibi scribuntur, pertinent ad regulam eorum.

3. In 10. vero cap. ostendit, qualiter pro salute hominum numerum ampliavit mittendo discipulorum collegium continens duodecim. Unde incipit cap.: « Post haec designavit Dominus Iesus et alios septuaginta duos ». Et ibi describit formam prae-

dicantium, quam observare debent evangelizantes regnum Dei. Et postea concludit obstinationem aliquorum hominum futurorum ad praedicationem fidei, dicens: « Vae tibi, Corozain, vae tibi, Bethsaida »! Deinde vero fidem aliorum, scilicet parvulorum et simplicium, ibi: « In ipsa hora exsultavit in Spiritu sancto et dixit: Confiteor tibi, Domine Pater » etc.

Et sic finitur tertia pars principalis.

IV. PARS PRINCIPALIS.

De Iesu loquela tamquam Salvatoris.

In quarta vero parte principaliter probat Lucas, quod huius hominis affatus et eruditio ostendit, ipsum fuisse omnium hominum salvatorem, quia tota sua eruditio ordinabatur ad peccata et morbos animarum pellendos. Et propter hoc narrat Lucas Christi parabolas et sermones pertinentes ad misericordiam et ad virtutes et ad vitia et ad mores (c. 10, 23- c. 21.). In hisce ergo sermonibus *morales eruditiones* summe ac commode ad hominum salutem et curationem a vitiis continentur.

1. In prima namque eruditione, loquitur contra incompassionem et *immisericordiam,* ut ex hoc homines moneat ad pietatem et clementiam. Et incipit haec eruditio postquam posuit prooemium dicens: « Et conversus ad discipulos dixit: ...Dico vobis, quod multi prophetae et reges voluerunt audire, quae vos auditis, et non audierunt ». Incipit utique in parabola sauciati, cuius vulnera alligavit Samaritanus (c. 10, 23-37.). Finitur autem haec

eruditio a 37. versu: « Intravit in quoddam castellum ».

2. In secunda vero eruditione loquitur contra *cordis inquietudinem* et mentem ad multa effusam; unde introducit Martham circa multa sollicitam, cui dictum est: « Porro unum est necessarium; Maria optimam partem elegit ». Introducit etiam discipulos, qui docentur orare et dicere: « Pater noster ». Et ibidem tractatur de silentio sacrae orationis et meditationis, quae contrariatur effusioni mentis. Durat quoque illa eruditio a cap. 10, 38 ad cap. 11, 13.

3. In tertia vero eruditione loquitur contra *malitiosorum invidentiam*, qui supernam obnubilant gratiam, introducens Iudaeos dicentes: « In Beelzebub, principe daemoniorum, eiicit daemonia »; et quaerentes signum de caelo. Et reprehendit eos tamquam rebelles Spiritui sancto et gratiae Dei. Et durat haec eruditio a cap. 11, 14-32.

4. In quarta vero eruditione loquitur contra *hypocrisim* et vitam simulatam ac fictam, docens primo vitare omnem hypocrisim dicens: « Vide, ne lumen, quod in te est, tenebrae sint »; secundo reprehendens hypocritas Pharisaeos: « Vae vobis, quia estis ut monumenta, quae non apparent ». Et durat haec pars a cap. 11, 33 ad cap. 12, 12.

5. In quinta vero eruditione loquitur contra *amorem temporalium deordinatum* et sollicitudinem et curam superfluam respectu istorum. Unde ponit parabolam hominis dicentis: « Anima mea, multa bona habes posita in annos plurimos ». Et concludit: « Ideo dico vobis: Nolite solliciti esse animae vestrae ». Et durat haec eruditio a cap. 12, 13-34.

6. In sexta vero eruditione loquitur contra *negligentiam et incautelam* aliquorum. Unde monet ad cautelam et diligentiam, loquens de insperato eventu mortis et finalis iudicii et adventus sui. Durat haec eruditio a cap. 12, 35-59.

7. In septima autem eruditione loquitur contra *impoenitentiam et mentem obstinatam*. Et monet homines ad poenitentiam agendam, dicendo: « Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis ». Et ponit parabolam de ficu infructuosa. Et in fine concludit contra habitatores Hierusalem impoenitentes: « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta ». Duratque eruditio ista per totum cap. 13.

8. In octava vero eruditione loquitur contra *conviviorum superfluitatem et pompam*. Unde ait: « Cum facis convivium, voca pauperes, debiles ». Et occasione huius agit de convivio paradisi: « Homo quidam fecit coenam magnam »; et docet, quod per baiulationem crucis in hac vita pervenitur ad convivium illud. Et durat haec eruditio per totum cap. 14.

9. In nona vero eruditione loquitur contra *elationem mentis* et superbiam, qua aliqui contemnunt inferiores se in nobilitate et sanctitate. Unde introducuntur peccatores et publicani appropinquantes ad Iesum, et Pharisaei murmurantes, quia dignabatur conversari cum eis. Quibus respondit per parabolam 99 ovium et unius perditae, et per pararabolam novem drachmarum et decimae perditae, et per parabolam filii prodigi revertentis ad patrem. Duratque haec eruditio per totum cap. 15.

10. In decima vero eruditione loquitur contra *avaritiam divitum*. Unde ponitur parabola divitis

epulonis et illius, qui fecit sibi amicos de mammona iniquitatis. Et ostenditur, qualiter Pharisaei ipsum deridebant, quia erant avari. Et durat haec eruditio per totum cap. 16.

11. In undecima vero eruditione loquitur contra *scandalum* in fide et contra *apostasiam;* unde ait: « Impossibile est, quod non veniant scandala ». Et introducit apostolos dicentes: « Domine, adauge nobis fidem ». Et ibi subdit de persecutione, quae futura est ante diem iudicii, quae erit occasio scandali aliquorum. Unde dicit, quod « unus assumetur, et alter relinquetur ». Et durat haec eruditio per totum cap. 17.

12. In duodecima vero eruditione loquitur contra *indevotionem* spiritualem et acidiam. Unde monet ad orationis instantiam sub metaphora viduae iudicem infestantis. Monet etiam orantes ad humilitatem spiritus et ad subiacentiam sub metaphora Pharisaei et publicani, qui ascenderunt in templum, ut orarent. Monet etiam ad gustum caelestis thesauri contra acidiam, dicens: « Omnia quaecumque habes, vende et da pauperibus et habebis thesaurum in caelo ». Et finit in assumtione crucis, quae valet maxime contra indevotionem et acidiam, addendo miraculum de caeco mendicante, qui meruit illuminari propter devotionem suam et clamoris instantiam. Clamavit enim: « Iesu, fili David, miserere mei »! Et durat haec eruditio per cap. 18.

13. In decima tertia vero eruditione loquitur contra *otiositatem* et manum remissam, ponens parabolam servi nequam, otiosi et remissi, qui mnam unam reposuit in sudario, nec inde fuit aliquid lucratus. Et per oppositum introducitur historia de

Zachaeo, qui ratione probitatis et operationis suae meruit Dominum recipere in hospitio (c. 19, 1-27.).

14. In decima quarta autem eruditione loquitur contra *rancorem et iracundiam*. Introducitur enim, quomodo ille Deus Iesus venit in Hierusalem, ubi debebat occidi in brevi, veniens, inquam, super pullum asinae, quia immemor iniuriae, quam debebat accipere, et a se abigens omnem iracundiam et rancorem, videns civitatem flevit super illam, dicens (c. 19, 42.): « Quia si cognovisses et tu ».

15. In decima quinta vero eruditione loquitur contra *malitiam et astutiam* Pharisaeorum, Saduceorum et Scribarum et principum Sacerdotum, qui ante passionem voluerant disputare cum Domino Iesu, et multis parabolis et auctoritatibus eorum malitia et astutia confusa est ab eodem. Et durat sermo ille et eruditio per 20. capitulum.

16. In ultima vero eruditione loquitur contra *timorem et inconstantiam*, quae oritur ex timore, praedicendo persecutiones, quas passuri erant fideles sui, ut ex hoc armarentur ad constantiam et tolerantiam earundem, cap. 21., in quo quarta pars principalis finitur.

V. PARS PRINCIPALIS.

De Iesu salvatoris discessu et morte.

In quinta vero parte principali probat Lucas, quod illius hominis discessus et consummatio per mortem fuit vere medicinalis et veri salvatoris mundi. Unde introducit eum dicentem: « Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur », et « hic est

calix... qui pro vobis fundetur ». Et ipse solus narrat, quod « factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram », quasi in signum balnei salutaris et medicinalis. Solus etiam narrat, dixisse eum: « Pater, dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt »; et dixisse latroni: « Hodie mecum eris in paradiso »; sed et Centurionem dixisse: « Vere hic homo iustus erat », et per consequens, si iustus, salvator; quia praedictum erat per prophetam Isaiam (c. 53, 11.): « Iustificabit ipse iustus servus meus multos et iniquitates eorum ipse portabit ». Cap. 22-23, in quo pars quinta principalis finitur.

VI. PARS PRINCIPALIS.

De Iesu salvatoris resurrectione.

In sexta et ultima parte principali probat Lucas, quod istius hominis regressus ad nos et resurrectio fuit veri salvatoris mundi. Unde introducit apparitiones, quibus apparuit post resurrectionem suam multis. Et maxime apparitionem, qua apparuit duobus discipulis suis euntibus in Emmaus, qui dixerunt, quasi confitentes, quod ipse non esset salvator: « Unde nos sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel ». Et post haec confirmando, quod ipse esset vere ille, qui omnium gentium erat medicus et salvator, subiungit, quod sicut scriptum est: « Et sic oportebat Christum pati et resurgere a a mortuis tertia die; et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes ».

Et durat haec pars per capitulum 24., et in hoc Lucas finitur.

IV. In evangelium secundum Ioannem.

Nunc accedit Ioannes et introducit istam conclusionem, quod homo ille, qui dictus est Iesus, fuit *vere filius Dei*. Circa quam sic procedit:

Primo namque illam (conclusionem) explicat et exponit;

Secundo vero ipsam probat et deducit;

Tertio ipsam infert et concludit;

Quarto sui ipsius conditionem introducit, ut ex hoc sua probatio et testificatio sit authentica eo modo, quo tabelliones in instrumentis publicis sunt se ipsos assueti introducere in fine instrumenti.

Secundum hoc ergo evangelium Ioannis dividitur in quatuor partes principales seu divisiones.

I. PARS PRINCIPALIS.

Explicatio.

In prima namque conclusionem intentam explicat et exponit, indicando modum possibilem, quomodo intelligi debeat, quod homo ille sit vere filius Dei. Quod non debet intelligi, quod sit filius Dei per adoptionem et gratiam, habens solum humanam naturam, sicut intellexerunt quidam haeretici; imo habens in se vere illum, qui ab aeterno fuit filius a patre genitus, in substantia divina.

Nec debet etiam intelligi, quod sit homo ille filius Dei per conversionem divinitatis in carnem, sicut intellexerunt alii haeretici, sed debet intelligi per assumtionem carnis a filio Dei.

Ad explicandum ergo istum intellectum exponit Ioannes, quod intelligit per Dei filium, quia verbum, quod erat in principio apud patrem, per quod omnia facta sunt, quia erat vita et vera lux mentium. Exponit etiam, quod intelligit per hanc conclusionem: homo iste est verus Dei filius, quia hoc quod ipse filius sive verbum factus est homo per assumtionem carnis, et habitavit in nobis. Exponit etiam, quod intelligit per Iesum salvatorem, quia hominem plenum gratiae et veritatis, de cuius plenitudine omnes accepimus gratiam. Et sic patet sanus intellectus conclusionis, quam Ioannes intendit. Et durat haec pars a cap. 1, 1-18.

II. PARS PRINCIPALIS.

Probatio.

In secunda vero parte conclusionem praedictam probat multipliciter et deducit. Et durat pars ista a cap. 1, 19. ad cap. 20, 29.

Syllogismus maior: Intendit ergo Ioannes rationem unam et unicum syllogismum ad praedictam conclusionem probandam, quae talis est:

Homo ille, qui est vere media persona in Trinitate et est Deo aequalis in auctoritate et est Dominus aequalis in efficacia et salubritate et est sibi aequalis in illapsu et immensitate et est sibi aequalis in modo operandi et activitate et est sibi aequalis in reficiendo mentem in cordis satietate et est sibi aequalis in instruendo et in verae doctrinae claritate et est sibi aequalis in honore et gloria ac cultus seu latriae dignitate et est sibi aequalis quin-

imo idem in essentia et in maiestate. Et est sibi aequalis in benevolentia ad homines et in pietate et est sibi aequalis in dominio et in regni solemnitate. Et est sibi aequalis in amicitia et caritate et est sibi aequalis in circuminsessione et mutua insistentia in trinitate. Et est sibi aequalis in conferenda gratia hominibus et impartienda sanctitate et est sibi aequalis in sapientia et scientiae luminositate. Et est sibi aequalis in beatitudine et in aeterna felicitate et est sibi aequalis in patientia et longanimitate et est aequalis patri in producendo Spiritum sanctum in spirativa foecunditate. Ille utique homo est vere filius Dei. Nam istae 19 conditiones intermediae probant, ipsum esse verum Deum. Prima vero conditio, quod scilicet est media persona in trinitate, et ultima conditio, scilicet quod idem est cum patre in spirativa foecunditate, ostendunt, ipsum esse verum Deum, et est filius Dei, quia hae duae proprietates competunt filio.

Minor: Sed homo iste, qui dictus est Iesus, habuit praedictas 19 conditiones, ut manifesta experientia et Ioannem et alios discipulos edocuit.

Conclusio: Ergo ipse est vere filius Dei.

Probat ergo Ioannes in decursu 20 capitulorum istas 19 conditiones fuisse in homine, qui dictus est Iesus, secundum quod ipse vere expertus est, et ceteri discipuli, qui fuerunt cum eo. Et ita secunda pars probativa conclusionis dividitur in 19 partes.

1. In prima ergo parte probat Ioannes, illum hominem esse *mediam in trinitate personam* (c. 1, 19-29.). Utique ratione personae divinae, quam oportet esse mediam in trinitate, introducit personam patris dicentis: « Qui misit me baptizare, ille dixit

mihi »; et personam Spiritus sancti, subdens: « Super quem videris Spiritum descendentem et manentem sicut columbam ». Et ex hoc infert, istum hominem esse mediam personam in trinitate, inter Patrem et Spiritum sanctum, concludens: « Et ego vidi et testimonium perhibui, quia hic est filius Dei ». Introducit etiam Nathanaëlem, eandem conclusionem affirmantem et dicentem: « Rabbi, tu es filius Dei ».

2. In secunda vero parte probat Ioannes, hunc hominem fuisse *Deo parem in auctoritate,* quia sua auctoritas se extendit ad immutandum instituta naturae; mutavit enim aquam in vinum. Et se extendit ad ingerendum stuporem omni alii a se, ita ut non possit aliquis homo sibi resistere, quantumcumque indigeretur aut resistere vellet in corde. Expulit enim Iudaeos de templo et mensas eorum subvertit contra voluntatem eorum cum uno simplici et modico flagello contexto ex funiculis, quod fuit miraculum singulare. Extendit etiam se ad faciendum multiplex signum, propter quod multi ex Iudaeis compellebantur credere in ipsum. Haec auctoritas faciendi praedicta, non dubium, quod est solius Dei (c. 2.).

3. In tertia vero parte ostendit Ioannes, hunc hominem fuisse Domino parem *in efficacia et salubritate respectu hominum.* Proprium enim est Dei, salvare homines iuxta illud (Is. 45, 15.): « Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator ». Quam tamen proprietatem testatur Ioannes fuisse in isto homine, introducens verbum ipsius dicentis: « Oportet exaltari filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam ».

Et iterum: « Non enim misit Deus filium suum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum ». Introducit etiam Ioannem Baptistam de primo dicentem (c. 3.): « Qui credit in filium, habet vitam aeternam; qui autem incredulus est... ira Dei manet super eum ». Ibidem etiam agit de sacramento salutari baptismi, quo mediante ab isto homine in omnes fideles eius salubritas derivatur.

4. In quarta vero parte probat Ioannes, hunc hominem fuisse Deo parem *in illapsu et in immensitate.* Illabebatur enim mentibus hominum et cognoscebat omnia abscondita cordium. Et ideo introducit ipsum dicentem Samaritanae omnia quaecumque fecit, quantumcumque secreta; ratione etiam immensitatis erat ubique et operabatur ubique, propter quod introducit ipsum curasse filium reguli in loco a se multum distante (c. 4.).

5. In quinta vero parte probat Ioannes, ipsum fuisse Deo parem *in modo operandi et activitate.* Narrat enim, qualiter curavit in sabbato quemdam paralyticum in porticu iacentem iuxta probaticam piscinam, ratione cuius reprehensus a Iudaeis, quod sanaret in sabbato, respondit, se ipsum operari eo modo, quo pater, et eodem modo vivificare et eodem modo iudicare et eodem modo in die iudicii resuscitare homines de sepulchro (c. 5.).

6. In sexta vero parte probat Ioannes, hunc hominem fuisse Deo parem *in reficiendo mentem* in cordis satietate et gratia. Ideo introducit unum miraculum de multiplicatione panum. Et deinde verba ipsius, quibus declarat, se esse panem vivum, reficientem mentem hominum et dantem vitam in

mundo. In quo praedixit se institutorem refectionis et eucharistiae sacramentum (c. 6.).

7. In septima vero parte probat Ioannes, hunc hominem fuisse Deo parem *in instruendo et in doctrinae claritate.* Narrat enim, qualiter in die festo ascendit in templum et docebat, et mirabantur Iudaei, et qualiter ipse dixisset: « Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me », scilicet Dei. Narrat etiam inimicos confitentes magnitudinem doctrinae suae ac dicentes: « Numquid sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur » (c. 7.)?

8. In octava vero parte probat Ioannes, hunc hominem fuisse Deo parem *in duratione et in aeternitate,* gratia cuius narrat absolutionem factam de muliere deprehensa in adulterio, ex qua fuit orta disputatio inter Iudaeos et ipsum; ratione cuius declaravit se aeternum (c. 8.): « Ego de supernis sum; ego principium, qui et loquor vobis... antequam Abraham fieret, ego sum ».

9. In nona vero parte probat Ioannes, hunc hominem fuisse Deo parem, *in honore latriae et adorationis dignitate,* gratia cuius narrat illuminationem oculorum hominis caeci nati, ut ex illo miraculo caecus induceretur ad exhibendum cultum latriae homini illi. Nam interrogatus caecus ab eo: « Tu credis in filium Dei »? et ipso respondente: « Quis est, Domine »? cum dixisset: « Qui loquitur tecum, ipse est », respondit caecus: « Credo, Domine. Et procidens adoravit eum », utique adoratione latriae, quae debetur soli Deo (c. 9.).

10. In decima vero parte probat Ioannes, ipsum fuisse non solum Deo parem, *imo eundem cum patre in essentia et in maiestate,* narrans, quali-

ter iste homo declaravit, se esse ostium, per quod solum potest intrari, et pastorem bonum, quem cognoscunt omnes animae salvandae; qui habet potestatem dandi vitam suam per mortem et iterum sumendi eam. Et tandem aperte dicit, maiestatem divinam sibi esse communicatam, concludens (c. 10.): « Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est, ...ego et Pater unum sumus ».

11. In undecima vero parte probat Ioannes, ipsum fuisse Deo parem *in benevolentia et pietate.* Proprium enim Dei est, misereri et benevolum esse, sicut scriptum est Ioel (c. 2, 13.): « Quia benignus et misericors est, patiens et multae misericordiae, et praestabilis super malitia ». Hanc autem benevolentiam et pietatem probat Ioannes fuisse in isto homine, narrans resuscitationem Lazari quatriduani mortui et foetentis, super quem lacrymatus est Iesus in signum summae benevolentiae et pietatis (c. 11.).

12. In duodecima vero parte probat Ioannes, ipsum fuisse Deo parem *in dominio et regni solemnitate,* narrans, qualiter recognitus est ab Hierosolymis in regem, cui dictum est: « Benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israel »! Narrat etiam, qualiter vox de caelo ad eum facta est, dicens: « Et clarificavi et adhuc clarificabo », quod refertur ad claritatem et gloriam imperii, secundum quam hodie in mundo quasi rex et imperator omnium praedicatur. Et inducit ad hoc testimonium Isaiae sexto, quando vidit gloriam eius (c. 12.).

13. In parte vero 13. probat Ioannes, ipsum fuisse Deo parem *in amicitia et caritate.* Constat autem iuxta sapientiam sapientis, quod Deus amat

animas [1]. Unde scriptum est, quod Deus caritas est. Hanc autem caritatem fuisse in isto homine, probat Ioannes, narrans, qualiter ex ineffabili et inaestimabili caritate pedes discipulorum suorum lavit ipse Deus eorum Dominus et magister. Narrat etiam, qualiter eandem caritatem eis impressit et commendavit, dicens (c. 13, 15. 34.): « Exemplum dedi vobis... mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos ».

14. In parte vero 14. probat Ioannes, ipsum fuisse Deo patri et aequalem *in insistentia mutua et in circumincessione et in trinitate,* narrans, qualiter ipse dicit: « Creditis in Deum et in me credite », quod non diceret, nisi esset Deus. Et qualiter dixit: « Ego sum via, veritas et vita ». Et qualiter Philippum reprehendit dicens: « Non credis, quia ego in Patre et Pater in me est? Et Pater in me manens, ipse facit opera ». Et qualiter in eodem adventu ipse et Pater et Spiritus sanctus descendunt et mansionem faciunt super se diligentes. Per omnia enim ista probatur circumincessio et mutua insistentia in se invicem (c. 14.).

15. In parte vero 15. ostendit Ioannes, ipsum fuisse Deo parem *in collatione gratiae et influenda sanctitate,* narrans, qualiter dixit discipulis, se esse vitem veram et omnes fideles palmites, non potentes ferre fructus, nisi manserint in vite. Et qualiter dixit: « Ego elegi vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat ». Et similia, quae spectant ad cultum sanctitatis, quem testatus est impossibilem haberi, nisi ipso influente (c. 15.).

---

[1] Sap. 11, 27: « Domine, qui amas animas ».

16. In parte vero 16. probat Ioannes, ipsum fuisse Deo parem *in sapientia et scientiae luminositate,* narrans, qualiter ille homo dixit, se multa habere dicere discipulis, quae non poterunt portare nec intelligere, sed mitteret eis Spiritum sanctum, spiritum veritatis, qui ipsis omnia declararet. Narrans etiam, qualiter confessi sunt discipuli (c. 16, 29, 30.): « Ecce nunc palam loqueris et proverbium nullum dicis, nunc scimus, quia scis omnia.

17. In parte vero 17. probat Ioannes, ipsum fuisse Deo parem *in beatitudine et felicitate,* narrans, qualiter loquens ad patrem dixit: « Clarifica me, pater, apud temetipsum claritate, quam habui, antequam mundus fieret, apud te ». Quod intelligitur de claritate beatifica, de qua etiam ait: « Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum. Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi » (c. 17.).

18. In parte vero 18. probat Ioannes, hunc hominem fuisse Deo parem *in patientia et longanimitate.* Cum enim in Deo divitiae bonitatis, patientiae et longanimitatis infinitae sunt, secundum Apostolum istae divitiae in isto homine claruerunt. Quod probat Ioannes, narrans, qualiter homo ille voluntarie passus est, se a cohorte ligari, cum tamen ipsius virtute divina prostrasset eos, et coram Caipha percuti in maxilla et deinde flagellari a militibus et spinis coronari. Et tandem lignum crucis super proprios humeros deportare et in oculis matris interfici et occidi. Quod declarat summam eius patientiam et longanimitatem (c. 18 et. 19.).

19. In parte vero 19. probat Ioannes, ipsum fuisse Deo parem *in spirativa foecunditate,* narrans, qualiter, postquam surrexit a mortuis et apparuisset Mariae Magdalenae, intravit ad discipulos ianuis clausis et insufflavit in eos ac dixit: « Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis »; ex hoc innuens, quomodo Spiritus sanctus processit ab eo sicut a Patre. Duratque pars illa a cap. 20, 1. ad vers. 29: « Multa quidem alia signa fecit Iesus », ubi etiam continuatur secunda pars principalis, in qua conclusio est probata per declarationem unius maioris 19 conditiones continentis.

III. PARS PRINCIPALIS.

Conclusio.

In tertia vero parte principali totius evangelii conclusionem diffuse probatam infert. Recolligit et concludit dicens: « Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus, Filius Dei ». Et ponit ulteriorem finem, ad quem ordinatur ista conclusio, subdens: « Et ut credentes vitam habeatis in nomine eius ». Duratque pars illa a cap. 20, 30. ad cap. 21.

IV. PARS PRINCIPALIS.

Conditio sui ipsius.

In parte vero quarta et ultima principali conditiones sui ipsius tamquam tabellionis et notarii publici introducit, narrans, qualiter homo iste eo

praesente, postquam surrexerat a mortuis, comedit partem piscis assi et manducavit et bibit. Et in fine concludit, quod ipse est « discipulus ille, qui testimonium perhibet de his et scripsit haec, et scimus, quia verum est testimonium eius ».

Ponitque duplicem conditionem suam: unam quidem de *familiaritate*, quia recubuerat in coena in sinu illius hominis et idcirco multa secreta didicerat, unde praedicta probantur; aliam vero de sua *incorruptibilitate* quantum ad carnem, quia non erat caro eius incineranda, sed erat in corpore et in anima assumendus in morte; propter quod « exiit sermo inter fratres quod discipulus ille non moritur ». Ex omnibus istis notarius ille authenticus redditur et solemnis. Et durat pars illa per cap. 21, ubi evangelium etiam Ioannis finitur et pars scripturae divinae, quae est testimonialis et evangelica.

Epilogus.

Ad hanc autem partem sacrae scripturae ascendendum est per ascensum scalarem et caelicum. Sunt enim evangelia scala Iacob, quia eis innititur Dominus et ibi reperitur, ibique videntur angeli ascendentes et descendentes, quia divina opera, quibus voluit nobis condescendere et nos in caelum erigere, ibi per evangelistas quasi per vera quatuor cherubim secundum Hieronymum disseruntur.

De quo ascensu scriptum est (Gen. 28, 12-13.): « Viditque Iacob scalam stantem super terram et cacumen eius tangens caelum; angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalae ».

VIII. PARS EPISTOLARIS.

Incipit ergo pars octava et ultima divinae scripturae, quae est epistolaris.

Prologus.

Octava pars et ultima divinae scripturae, quae est epistolaris et destinativa in librorum quaternario continetur: videlicet in libro epistolarum Pauli, in libro Actuum apostolorum et in libro septem canonicarum et in libro Apocalypsis.

Ordinatur enim epistolaris pars ad instructionem et irrigationem universalis Ecclesiae, ut post quatuor evangelia, in quibus agitur de capite Ecclesiae, scilicet Domino Iesu Christo, sequatur pars epistolaris, in qua agitur de corpore Ecclesiae quantum ad illa, quae pertinent ad eius informationem. Et quia oportet Ecclesiam respectu quatuor esse informatam, videlicet respectu credendorum, respectu agendorum et morum, respectu initiorum suorum et respectu decursus sui et sibi futurorum in fine; idcirco destinaverunt

1. Paulus, Iacobus, Petrus, Ioannes et Iudas Thaddaeus epistolas Ecclesiam informantes respectu credendorum et agendorum.

2. Lucas vero destinavit Theophilo epistolam apostolorum actuum contentivam, informantem Ecclesiam respectu initiorum suorum. Describit enim initia Ecclesiae primitivae, quae fundata est in apostolis.

3. Ioannes vero septem ecclesiis destinavit epistolam, quae dicitur Apocalypsis, informantem Ecclesiam respectu futurorum.

Epistolae vero Pauli contra canonicas distinguuntur sicut universale et particulare. Nam epistolae canonicae sunt universales ad totam Ecclesiam destinatae. Epistolae vero Pauli sunt particulares, quia missae sunt ad particulares ecclesias et personas; scribit enim ad octo ecclesias, scilicet ad ecclesiam Romanam, Corinthiorum, Galatarum, Ephesiorum, Philippensium, Colossensium, Thessalonicensium, et Hebraeorum; et ad personas tres, scilicet Timotheum, Titum, Philemonem. Et sunt in universo epistolae 14: nam ad Corinthios scripsit duas, similiter ad Thessalonicenses alias duas, et ad Timotheum alias duas, et ita sunt 6, quae additis octo sunt quatuordecim.

XIV EPISTOLAE S. PAULI.

Epistola ad Romanos.

Divisio.

Incipit ergo liber 14 epistolarum Pauli, partem octavam continens scripturae divinae, quae est de-

stinativa et epistolaris, ubi primo occurrit epistola ad Romanos, quae dividitur in quatuor partes principales: est enim prima pars inchoativa, secunda exsecutiva, tertia excusativa, quarta recommendativa et salutativa sive conclusiva.

I. PARS INCHOATIVA.

Prima igitur *pars,* quae est *inchoativa,* continet salutarem gratiarum actionem et Pauli affectionem erga Romanos (cap. 1, 1-15.).

Nam salutat in principio, cum ait: « Paulus servus Iesu Christi »; deinde vero gratias agit Deo de fide romani populi, cum ait (v. 8.): « Primo quidem gratias ago »; deinde vero suam affectionem ad eos explicat, quia et orat, ut possit venire ad eos, et ipsos videre desiderat ac eis praedicare et eos instruere et docere, cum ait (v. 9-15.): « Testis est mihi Deus » etc.

II. PARS EXSECUTIVA.

Secunda vero *pars,* principalis est *exsecutiva,* incipiens (v. 16.): « Non enim erubesco evangelium ». Intendit autem unam conclusionem finalem, scilicet reducere *fideles, qui erant Romae, ad concordiam et mutuam unitatem.* Nam inter illos, qui erant conversi ex Iudaeis, et eos, qui erant ex Romanis et Graecis et ceteris gentibus conversi, orta erat dissensio et contentio, et se mutuo praeferebant propter multas rationes. Romani namque et Graeci ac Gentiles ceteri praeferebant se Iudaeis.

In quibus Gentiles se praeferebant Iudaeis?

1. Primo quidem ratione naturalis prudentiae et sapientiae. Dicebant enim Iudaeis, quod inter eos nec fuerit philosophia, nec leges humanae aut tanta sapientia, seu ratio naturalis, quanta fuerat inter Romanos et Graecos.

2. Secundo vero praeferebant se ratione electionis divinae. Dicebant namque Iudaeis, quod Deus abiecerat eos et reprobaverat et elegerat Gentiles, quia paucissimi convertebantur ex Iudaeis ad Christum, et ex gentilibus maxima multitudo.

3. Tertio vero praeferebant se ex imperio et saeculari potestate, quam Deus dederat Romanis et Gentilibus, non autem Iudaeis.

E converso autem praeferebant se Iudaei Gentilibus, arguendo contra illos similiter ex tribus:

1. Primo quidem ex lege divina continente divina mandata, quae habuerunt Iudaei, Gentiles autem non.

2. Secundo vero ex signaculo circumcisionis, et caeremoniis ac sacrificiis et ceteris contentis in lege Mosaica.

3. Praeferebant se in vita, unde appellabant Gentiles peccatores propter idololatriam et peccata alia.

Has igitur sex rationes nititur Apostolus tollere, ostendendo, quod nulla istarum est ratio, quae debeat movere eos, nec istos nec illos, ad se praeferendum, quia nulla facit aliquid ad salutem, nec est sufficiens ratio gloriandi; sed sola fides Christi est, quae iustificat eos, et lex gratiae, in quantum illi et isti erant aequales, et unum et idem; propter quod non debebant se mutuo praeferre.

Ad istam ergo conclusionem Apostolus primo procedit disputative et intellectualiter; secundo vero exhortative et moraliter. Et secundum hoc pars exsecutiva dividitur in duas partes principales.

Prima namque est disputativa et intellectualis, et durat per undecim capitula. Secunda vero est exhortativa et moralis, quae incipit capitulo 12: « Obsecro vos itaque, fratres », et durat per tria capitula sequentia.

A. PARS DISPUTATIVA ET INTELLECTUALIS.

In *prima* itaque *parte disputat Apostolus intellectualissime de materiis novem,* ex quibus elidit rationes tam Gentilium quam Iudaeorum, semper concludendo, quod non habent, unde mutuo se praeferant, sed magis debent esse in summa pace et maxima unitate.

Novem materiae.

1. Primo namque agit de *lege naturae* sive de naturali ratione et sapientia, in qua Romani et Graeci iactanter se praeferebant Iudaeis (c. 1, 16-32.). Pro conclusione praemittit, quod ex sola fide et evangelio est salus et iustitia, non autem ex naturali ratione, aut philosophica sapientia; imo potius ex illa descendit super sapientes Dei iracundia.

Deinde vero ostendit, qualiter inter Gentiles fuit magna Dei notitia, cum dicit (c. 1, 19.): « Deus enim illis manifestavit »; deinde vero quanta fuit in eis culpa, cum dicit: « Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt ». Deinde vero ostendit, qualiter descendit super eos propter

culpam divina iracundia, cum subdit (v. 24-27.): « Propter quod tradidit illos Deus ». Deinde vero ostendit, qualiter illa poena proveniens ex divina iracundia fuit proportionalis et condigna, cum subdit: « Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia ».

Et ita excludit primam rationem Gentilium. Non enim possunt gloriari de sapientia, immo magis confundi, quia venerunt contra eam per inordinatissimam et turpissimam vitam.

2. Secundo vero agit de *iudicandi potestate* et iudiciali ac imperiali excellentia, ostendendo, quod nec propter istam poterant se Gentiles praeferre, imo potius timere et erubescere.

Et hoc facit cap. 2, 1-11; ibi enim ostendit, quod iudicantes alios aut aliis imperantes non habent, unde glorientur, sed potius unde timeant, quia et ipsi non effugient iudicium Dei, cum similia, imo deteriora agunt. Deinde vero ostendit, quod non debent propter hoc non timere, quia in praesenti prosperantur nec vident divinam vindictam. Haec est causa ex divina longanimitate et patientia. Et ideo subdit: « An divitias bonitatis eius et patientiae et longanimitatis contemnis »? Deinde vero ostendit, quod non evadent finalem vindictam, cum subdit (c. 2, 5.): « Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae ».

Sic exclusa est ratio secunda, qua gloriabantur Gentiles, Romani et Graeci super Iudaeos.

3. Tertio agit de *lege scripturae* quantum ad decalogum contentum in duplici tabula, ut ex hoc excludat primam rationem, qua se praeferebant Iudaei (c. 2, 11-29.).

Ostendit enim, quod legem habuisse in tabulis vel scriptam, et eam fuisse transgressam, sicut Iudaei transgressi sunt, nulla gloria fuit. Imo e converso non habuisse eam in tabulis, sed in corde et demonstrasse in operibus, sicut fecerunt multi Gentiles, maior gloria fuit. Et ad istam intentionem currunt verba Apostoli in hoc loco, cum dicit (c. 2, 14.): « Cum enim Gentes, quae legem non habent, ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis » etc. Et sic exclusa est prima ratio Iudaeorum.

4. Quarto vero agit de *circumcisione* et ceteris caeremoniis contentis in lege Mosaica, per hoc excludens secundam rationem, qua praeferebant se fideles Iudaei Gentilibus fidelibus (c. 3.). Ibi enim ostendit, quod licet lex et circumcisio fuerit data Iudaeis ad utilitatem eorum, non tamen ex hoc Gentiles praecellebant, pro eo quod adhuc remanebant sub peccato, testante Propheta (Ps. 52, 4.): « Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt ». Deinde concludit, quod nunquam per legem, sive per legales observationes fuit iustitia Dei, nec per opera legalia, sed semper per fidem mediatoris. Quam si habuerunt Gentiles, aeque fuerunt salvi sicut et Iudaei. Et allegat, quod non tantum fuit Deus Iudaeorum, sed et Gentilium. Et sic illa secunda ratio est exclusa.

5. Quinto vero agit de *fide Iesu Christi,* et ipsius iustitia seu efficacia, ostendendo exemplo Abrahae, quod sola fides iustificat, et non lex nec circumcisio nec aliquid aliud, quia scriptum est de Abraham (c. 4, 3.), quod « credidit Deo, et reputatum est ei ad iustitiam ». Et tamen hoc dictum est ad Abraham ante circumcisionem et ante legem datam,

et reputatus est iustus ex hoc, quod credidit Deo contra omnem spem, quod fieret pater multarum gentium. Ex quo evidenter concludit, quod et imputabitur ad iustitiam nobis credentibus contra omnem rationem in eum, qui suscitavit Dominum nostrum Iesum Christum a mortuis; quia non tantum propter eum scriptum est: « Credidit Abraham Deo, et imputatum est ei ad iustitiam », sed etiam pro omni credente, quia posita causa ponitur effectus. Et de similibus simile est iudicium. Et hoc facit Apostolus per totum capitulum quartum.

Ex quo infert in principio quinti capituli conclusionem principaliter intentam in tota epistola, scilicet quod Iudaei et Graeci conversi ad fidem debent habere pacem, quia pares sunt, ut sunt iustificati per solam fidem; et non solum debent habere inter se pacem, imo etiam gloriari de tribulatione, quam infideles contra eos suscitarent. Et ideo incipit capitulum illud: « Iustificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum ».

6. Sexto vero agit de *modo iustificationis* et forma. Ostendit enim, qua via et qua forma et qua ratione fides mediatoris habet iustificare (c. 5, 12-21.). Ibi namque ostendit per locum a minori, quod Christus Iesus habet iustificare fideles suos, quia minus videretur, quod unus homo suo peccato et sua culpa transfudisset mortem in totum genus humanum, quam quod plenitudo gratiae unius hominis vitam transfundat et iustitiam. Magis enim Deus est pronus ad miserendum et iustificandum, quam ad mortem inferendum et condemnandum. Sed culpa unius hominis, scilicet Adami, transfudit mortem et condemnationem in omnes: ergo multo

fortius superabundantia gratiae et iustitiae et meritorum unius hominis, scilicet Domini nostri Iesu Christi, potest transfundere iustitiam et gratiam in omnes sibi adhaerentes. Adhaerent autem sibi homines per fidem. Igitur fides Christi iustificat omnes.

7. Septimo agit de *lege gratiae* sive de *lege spiritus,* quae est lex nova. Probaverat enim, quod fides iustificabat et excludebat legem Mosaicam. Et ita posset videri alicui, quod liceat sibi exsistenti in fide vivere sicut vellet, et per consequens peccare sicut vellet et libere et desideria carnis explere [1]. Propter quod ostendit, quod exsistentes in fide et sub gratia, veteri lege evacuata, nihilominus multoque plus tenentur vivere virtuose, non quidem ex timore, quasi exsistentes sub lege, sed potius ex amore, quasi exsistentes sub lege et gratia. Unde reprobat ex intentione errorem et haeresim illorum qui praedicant spiritum libertatis. Illi namque libertatem spiritus convertunt in servitutem peccati et in desideria carnis (c. 6- c. 7, 7.). Probat enim, quod exsistentes in fide, quamvis non sint sub lege, sed sub gratia, nihilominus tenentur virtuose vivere et abdicare peccata.

a) Primo quidem *exemplo Christi* et ex significato *baptismi:* quia, sicut Christus primo mortuus est et deinde resurrexit — mortuus autem propter peccatum et resurrexit in vita nova immortali et ex tunc nunquam morietur — similiter Christianus per baptismum submergitur in aqua in signum, quod moritur peccato, et deinde surgit ab aqua et indui-

[1] Vide Lutherum eiusque asseclas.

tur novis vestibus in signum, quod ex tunc debet in novitate vitae sanctae ambulare, nec amplius servire peccatis. Et hanc rationem adducit Apostolus in principio cap. 6, 1-15.

b) Secundo probat idem *exemplo servi et domini* et ex ratione servi. Cui enim homo diligenter studet obedire et servire, eius dicitur servus. Si ergo christianus exhibet se et membra sua ad serviendum et obediendum peccato, iam non erit servus gratiae aut iustitiae, sed potius servus peccati.

Dictum est autem, quod fides liberat a peccato et facit christianum servum iustitiae et esse sub gratia. Debet ergo obedire iustitiae et gratiae servire. Et propter consequens tenetur vivere virtuose et detestari peccata. Et per consequens patet, quod illa haeresis de spiritu libertatis implicat' repugnantiam; quia non est sub lege libertatis spiritus aut sub lege gratiae, qua studet servire contrario spiritui, scilicet carni. Hanc autem rationem deducit a loco (c. 6, 16-23.): « Nescitis, quoniam cui exhibuistis » etc.

c) Tertio vero probat idem *ex similitudine uxoris et viri.* Videmus enim, quod quamdiu vivit vir, uxor est alligata viro, ut non possit cum alio contrahere. Sed viro mortuo statim potest. Nunc autem lex antiqua, quae faciebat vivere passiones in nobis prohibendo eas et non conferendo gratiam, ipsa mortua est, per mortem videlicet Christi ipsam evacuantem. Ergo et omnes, qui prius erant sub lege, per sui prohibitionem faciente vivere passiones ipsa (lege) mortua, debent coniungi alteri, qui surrexit a mortuis, scilicet Christo. Et per conse-

quens ut nupti sibi debent facere fructum et concipere ac parere sibi proportionale foetum: «Ambulate ergo in novitate vitae sanctae, sicut et ipse ambulavit; et ita debemus omnes Christo servire in novitate spiritus et sanctae vitae». Hanc rationem deducit Apostolus a principio cap. 7, 1-6.

8. Octavo agit Apostolus de *lege peccati,* sive de originali culpa praedictae legi contraria.

Haec enim lex est stimulus ac rebellio sive lex membrorum, cui nec Iudaei nec Gentiles nec aliquis homo potest resistere sine gratia Christi. Et in hoc excludit rationem tertiam Iudaeorum contra Gentiles, qui contemnebant eos ratione vitae, existimantes eos peccatores. Subdit enim, quod omnis homo carnalis est venumdatus sub peccato, sive Iudaeus, sive Gentilis, et exsistit sub lege mortis et tyrannó carnis, cuius pondere necessario trahitur ad peccatum, nisi per Christi gratiam adiuvetur. Et per consequens non habet se praeferre Iudaeus Gentili, nec e converso. Facit autem hoc a cap. 7, 7- c. 8, 27.

Nam primo ipse distinguit *triplicem legem:*

a) primam namque scriptam, quae ostendit peccatum, in quantum prohibet ipsum, et per consequens facit ipsum reviviscere, quia natura humana semper nititur in vetitum;

b) secundam vero legem spiritus sive mentis;

c) tertiam vero legem membrorum sive habitualem stimulum, qui contrariatur legi Dei sive legi mentis, in tantum quod non possit homo perficere quod mens dictat et imperat, sed semper moveretur ad contrarium et peccatum. Ex quo concludit, quod omnis homo est infelix et subie-

ctus legi mortis et peccati. Et hoc facit a cap. 7, 7-25.

Deinde vero ostendit, quod ab ista servitute et ab illa lege liberat sola Christi gratia et lex eius; et per consequens christianus non debet servire carni nec vitam ducere vitiosam, sed virtuosam. Et hoc facit a cap. 8, 1-27.

9. Nono agit Apostolus de *electione* Deo grata et de praedestinatione aeterna. Ex quo concludit tertiam rationem Gentilium contra Iudaeos, qui gloriabantur de hoc, quod Iudaeis reprobatis ipsi erant electi.

Unde ostendit, quod praedestinatio divina ipsa est gratuita et non ex meritis. Et ideo non possunt gloriari Gentiles, quia sunt electi et Iudaei reprobati, quia reprobatio Iudaeorum fuit Gentilibus occasio salutis. Quia enim Iudaei repulerunt apostolos, ex divino mandato conversi sunt ad gentes. Durat autem ipse tractatus de praedestinatione a cap. 8, 28-c. 11, 6.

De praedestinatione.

In quo tractatu Apostolus primo praedicat praedestinationis *efficaciam*, dicens, quod praedestinatis omnia cooperantur in bonum, et quod nihil potest esse saluti electorum praedestinatorum adversarium, quia Deus est pro eis. Et ideo quaerit (c. 8, 31.): «Quis contra nos»? Et etiam nulla creatura potest caritatem auferre praedestinatis: quae omnia ostendunt praedestinationis immobilem efficaciam (c. 8, 28-39.).

Deinde vero dicit et ostendit, praedestinationem Dei quantum ad filios Israel *non esse frustratam,* quamvis non omnes sint ad fidem vocati, quia non intelligebatur promissio facta Abrahae aut Iacob de omnibus filiis eorum secundum carnem, sed de aliquibus, qui etiam sunt vocati; quod ostendit ex duabus auctoritatibus scripturae. Et hoc facit a cap. 9, 1-13.

Deinde vero praedestinationem Dei ac reprobationem ostendit *non esse iniquam,* quia potest Deus facere quod placet sibi de hominibus. Et ideo ex gentibus et ex Iudaeis aliquos elegit et aliquos reprobavit, sicut placuit sibi et sicut praedixit per Osee prophetam et per Isaiam. Et hoc facit a cap. 9, 14-29.

Deinde requirit reprobationis maioris partis Iudaeorum *causam potissimam primariam,* quae fuit, quia offenderunt in lapidem offensionis, videlicet in Christum. Et hoc facit a cap. 9, 30-33.

Deinde vero requirit eiusdem reprobationis *immediatam causam,* quae fuit, quia praetulerunt iustitiam propriam iustitiae Dei, in quantum zelati sunt legem, in tantum quod noluerunt recipere Christum. Unde aemulatio legis non secundum scientiam fuit causa, quod praetulerunt iustitiam legis iustitiae fidei, cum lex etiam secundum scripturam veteris testamenti non iustificet, sed potius fides.

Et ad hoc inducit Apostolus auctoritatem Moysis et auctoritatem Isaiae. Et hoc facit in cap. 10. per totum.

Deinde vero respondendo ad rationem Gentilium ostendit, quod propter reprobationem huiusmodi a Gentilibus gentem Iudaicam non esse con-

temnendam, tum quia multi ex Iudaeis erant vocati et electi, inter quos erat ipsemet Apostolus et ceteri discipuli; tum quia — sicut Elias fuit reprehensus, quia putabat, se solum esse inter prophetas Domini, et per consequens contra totum populum Israel Dominum interpellabat; cui responsum est, quod plus quam septem millia virorum relicti erant adhuc Domino — sic et omnes contemnens Iudaeos reprehensibilis est, pro eo quod multi, ut patet, de reliquiis salvi facti sunt et electi ad fidem, quamvis ceteri excaecati sunt, sicut praedictum erat per Isaiam (Rom. 11, 8.): « Dedit illis Deus spiritum compunctionis »; et per David (Ps. 68, 23.): « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum »; tum quia reprobatio Iudaeorum salus est gentium. Et ideo non debent illis de reprobatione insultare, sed magis humiles esse et timere, ne ipsi excidantur et reprobentur.

Et hoc ostendit exemplo bonae olivae et oleastri silvestris, tum quia reprobatio Iudaeorum est isto tempore, sed in fine omnis Israel salvus fiet, dum introierit gentium plenitudo, et per consequens ex praesenti reprobatione non sunt contemnendi; tum quia altitudo divinae sapientiae et scientiae et iudiciorum eius incomprehensibilis est a nobis. Et ideo debemus mirari potius divinam praedestinationem quoad Gentiles et reprobationem quoad Iudaeos, quam ex ipsa reprobatione debeamus Iudaeos contemnere.

Et sic ex istis motivis tertia ratio Gentilium est exclusa. Et hoc fit ab Apostolo per totum cap. 11, et sic pars prima exsecutiva, quae fuit intellectualis et disputativa, finitur et continet novem tractatus, ut visum est.

B. PARS EXHORTATIVA ET MORALIS.

Sequitur secunda pars principalis in parte executiva, ubi procedit Apostolus *exhortative et moraliter* ad eandem conclusionem, ad quam primo processit disputative et intellectualiter, ad hanc videlicet, quod fideles debent vivere in summa pace et concordia, sive sint Iudaei genere, sive Romani, vel Graeci, vel Gentiles quicumque. Et incipit pars ista in principio capituli duodecimi. Ibi enim mutat stilum et loquitur exhortative et dicit: « Obsecro vos fratres ». Admonet enim

1. Ad conservandam *pacem* mutuam et concordiam *cum aequalibus* et paribus, ostendendo, et qualiter quilibet se debet habere ad alterum secundum gratiam differentem a Domino sibi datam (c. 12.).

2. Secundo vero monet ad servandam unitatem et pacem *cum suis superioribus* et suis sublimioribus (c. 13.): « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit ». Et ibi ostendit, quod tributa superioribus sunt reddenda, et quod Christianus nihil habet debere alteri, nisi solummodo caritatem. Et occasione huius ostendit, qualiter omnis homo impletur in dilectione proximi et caritate.

3. Tertio vero monet ad servandam pacem *cum infirmioribus* in fide ac debilioribus imperfectis (c. 14.): « Infirmum in fide sustinete » etc.

4. Quarto autem monet ad istam unitatem et pacem servandam universaliter *cum omnibus,* quia firmiores debent supportare debiliores, et Iudaei Gentiles, similiter etiam Gentiles Iudaeos. Et hoc

probat exemplo Christi, qui non sibi ipsi placuit, imo sustinuit improperia aliorum, qui etiam, cum esset Iudaeus et minister circumcisionis, nihilominus suscepit Gentiles, sicut expresse dicit Isaias et etiam Psalmista. Et hoc facit Apostolus a cap. 15, 1-13, ubi terminatur secunda pars exsecutiva huius epistolae, quae est secunda pars principalis.

III. PARS EXCUSATIVA.

Tertia pars principalis epistolae est *excusativa*. Nam excusat se de hoc, quod fideles exsistentes Romae sic audacter ausus fuit corrigere et monere, cum tamen nondum fuisset Romae, nec eos vidisset, imo fuissent per alios conversi. Ideo dicit, quod ideo hoc ausus est attentare, quia institutus est universalis apostolus gentium a Christo; in tantum quod ab Hierosolyma usque ad mare Illyricum per universas terras praedicaverat evangelium Christi, et adhuc intendebat descendere in Hispaniam, et tunc transeundo veniret Romam, sed prius volebat ire in Iudaeam, ubi timebat de infidelibus Iudaeis. Propter quod petit orationes et suffragia Romanorum. Et durat pars illa a cap. 15, 13-33.

IV. PARS RECOMMENDATIVA.

Quarta vero pars et ultima, quae est recommendativa et conclusiva, durat per totum caput 16. Ibi enim ponit recommendationes aliquarum personarum et salutationes aliarum, sicut legenti patet. Et in hoc finitur epistola ad Romanos.

Incipit epistola prima ad Corinthios.

Nunc accedit epistola prima ad Corinthios. Et post *salutationem,* quae incipit: « Paulus vocatus », *et gratiarum actionem* pro sapientia et facundia, quam Deus dederat fidelibus Corinthiis, quae incipit: « Gratias ago Deo meo semper pro vobis », inchoatur *tractatus* epistolae, ubi scribit: « Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi ».

In quo tractatu intendit Apostolus *decem conclusiones* secundum decem materias, in quibus fideles Corinthii exorbitabant et errabant, et propter hoc de iis decem erroribus ab Apostolo arguuntur; et est tota epistola Corinthiorum contristativa et reprehensiva. Unde secundum hoc *dividitur in decem partes principales.*

I. Primo namque deficiebant Corinthii circa *sacramentum baptismi* et ipsius efficaciam; putabant enim, quod ex sanctitate ministri baptizantis esset baptismus excellentior. Et ideo dicebant aliqui gloriando, quod ipsi erant Pauli, alii vero Apollo et alii Cephae; alii prudentiores dicebant, quod ipsi erant Christi, et non curabant de ministris. Istum errorem ergo reprehendit Apostolus in prima parte tractatus epistolae, quae incipit: « Obsecro vos », usque ibi: « Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est ».

II. Secundo vero deficiebant Corinthii circa *philosophiam,* inanem ac vanam sapientiam. Multum enim studebant simplicitatem fidei reducere ad philosophiam et condemnabant simplices fideles, qui non erant philosophi et litterati. Hunc errorem

reprehendit Apostolus in secunda parte multiplici ratione:

1. Prima quidem, quia *verbum crucis* non est verbum sapientiae, imo stultitiae in ordine ad sapientes et prudentes istius saeculi.

2. Secunda vero, quia placuit Deo non per sapientiam, sed *per stultitiam* praedicationis salvos facere credentes, hoc est per fidem, quae includere videtur impossibilia et per consequens stulta et fatua secundum iudicium humanum.

3. Tertia vero, quia nec Christus vocavit *discipulos* multum nobiles vel multum sapientes, imo contemptibiles et simplices.

4. Quarta vero, quia *nec ipse Paulus* praedicavit eis in multa sapientia, imo nec iudicavit, se scire nisi rem valde simplicem, scilicet Iesum Christum crucifixum. Et tamen ipse bene sciret loqui sapientiam inter perfectos, et describit qualem et quantam, quia tantam et talem, quod nec principes nec philosophi huius saeculi unquam potuerunt cognoscere; nec oculus vidit, nec auris audivit, nec aliquis homo potest illam percipere, sed solus Dei spiritus illam potest revelare. Et durat haec pars a loco, ubi scribitur: « Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est », usque in finem capituli primi et deinceps per totum caput secundum.

III. Tertio vero deficiebant Corinthii circa *ministrorum Christi praeeminentiam.* Disputabant enim inter se, et unus zelabat pro apostolo *Paulo,* praeferendo eum omnibus aliis; alius vero pro quodam alio discipulo, qui dictus est *Apollo,* et alius pro alio. Et sic erant multipliciter divisi. Istum ergo errorem Apostolus reprehendit:

1. Primo quidem, quia bene videntur *parvuli in Christo* et non potentes recipere aut intelligere sapientiam eius, cum habeant talem zelum, talem contentionem. Unde mirum est, quod ipsi quaererent sapientiam et profundos sermones fidei christianae, cum essent adhuc ita carnales et non spirituales, quia de talibus disputarent.

2. Secundo vero, quia *nec Apollo, nec Paulus* nec aliquis minister est aliquid, sed totum est Deus, qui dat incrementum.

3. Tertio, quia *omnes ministri,* et qui plantant et qui rigant, debent esse unum et unum intendere et ab uno Deo mercedem propriam exspectare.

4. Quarto, quia omnes ministri erant *aequaliter unum,* et Paulus et Apollo et Cephas. Et idcirco non debebant dividi propter eos.

5. Quinto, quia venient *dies Domini et dies iudicii,* quae declarent, ex ministris quis esset melior altero; et ideo non debebant ipsi de hac materia disputare.

6. Sexto, quia, dato quod unus esset excellentior alio, non tamen debebant ipsi super hoc gloriari nec aliquis pro eo, quia hoc nullus habet a se, sed *a Deo.* Unde interrogat: « Si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis »?

7. Septimo, quia *totus honor* ex labore ministrorum erat Corinthiorum, unde ministri debebant sibi retinere laborem, esuriem, sitim et ignominiam, ut lucrifacerent eos.

8. Ultimo autem principaliter reprehendit eos authentice de ista *inflatione* et *zelo.* Et durat ista pars a principio capituli tertii, quod incipit: « Et ego, fratres, non potui loqui », usque in finem cap. quarti.

IV. Quarto vero deficiebant Corinthii circa *fornicationem* et carnis immunditiam. Quamvis enim sic inhiarent ad philosophicam sapientiam et zelarent pro excellentiis ministrorum, nihilominus erant multum carnales et vacabant in immunditiis ac fornicationibus, in tantum ut aliqui accederent ad uxorem patrum suorum. Hunc igitur errorem reprehendit Apostolus in parte quarta, loquendo et praedicando contra fornicationem huiusmodi fornicatores excommunicando et multis rationibus probando, fornicationem esse fugiendam. Et durat pars illa per duo capitula 5. et 6: « Omnino auditur inter vos fornicatio » etc.

V. Quinto Corinthii deficiebant circa *matrimonium* et *virginitatem* et *eorum mutuam praeeminentiam*.

Nam quidam pseudoapostoli, qui praedicaverant Corinthiis Paulo absente, in tantum praeferebant virginitatem, ut damnarent matrimonium, asserentes, quod non licebat homini tangere mulierem, etiam per matrimonium sibi copulatam. Et super materia ista Corinthii scripserant Apostolo, volentes scire veritatem. Hunc igitur errorem elidit in quinta parte epistolae, agens diffuse de sacramento matrimonii et de secundis nuptiis, ostendens, licitum esse contrahere, et quibusdam expediens propter periculum fornicationis; ostendens etiam, qualiter tenetur vir uxori debitum reddere, et e converso. Cum hoc tamen praedicat excellentiam virginitatis, inducens ad eam per modum consilii, seipsum etiam in exemplum. Et durat haec pars per totum capitulum 7.

VI. Sexto vero deficiebant circa *manducatio-*

nem immolatorum daemoniis et idolis et circa *ciborum indifferentiam.*

Licet enim praedicasset eis Apostolus, quod nullus cibus esset discernendus, et quod sacrificia immolata idolis poterant comedi a Christiano, quia idolum nihil est, nec etiam immolatum in seipso aliquam sordem aut immunditiam habet, nihilominus ex ista libertate aliqui excedebant. Nam in favorem Gentilium et idololatrarum fideles aliqui Corinthii comedebant idololatra immolata daemoniis cum ipsis idololatris; ex quo facto poterat oriri mala conscientia vel in corde ipsiusmet fidelis comedentis vel in cordibus infidelium aestimantium, quod haec fideles illi facerent in favorem et venerationem idolorum, vel etiam in cordibus aliorum fidelium magis simplicium, qui propter hoc possent credere, quod idolis esset aliqua reverentia exhibenda. Unde et propter scandalum aliorum et propter periculum erat abstinendum.

Errorem ergo istum excludit Apostolus in hac sexta parte huius epistolae, quae durat a principio cap. 8, quod incipit: « De his autem, quae idolis sacrificantur », usque in finem cap. decimi inclusive.

In *octavo* namque capitulo ostendit, abstinendum esse a cibis sacrificatis idolis propter scandalum, quamvis immolatum in se non sit immundum. Dimitti enim decet licitum propter scandalum. Et ibi commendat scientiam Corinthiorum, quod in hoc bene noverant, quod idolum nihil est et nihil erat; reprehendit tamen eos, quia scientia eos inflabat, qui abutebantur scientia data de comestione ciborum indifferenter. Non enim abstinebant a cibis sacrificatis idolis, quamvis ex hoc scandalizarentur in-

firmi; contra quos concludit, quod si esca scandalizaret fratrem suum, non manducaret carnes in aeternum.

In *nono* vero capitulo, quia dixerat ita arduum verbum de seipso, quod forte posset esse incredibile Corinthiis, maxime quia pseudoapostoli diffamabant eum apud omnes; idcirco induxit, se fecisse simile inter eos, abstinuisse scilicet a cibo licito propter scandalum. Poterat enim sumere expensas a Corinthiis sicut ceteri apostoli, aut ducere uxorem, quae provideret sibi, et tamen voluit se ab omnibus abstinere et propriis manibus victum quaerere, ut utilius evangelizaret eis, nec esset eis in onus. Et incipit ibi capitulum: « Non sum liber », ubi etiam multipliciter probat, quod praedicantes aliis possunt licite et de iure stipendia et victum suum sumere ab eisdem.

In *decimo* vero ingreditur super materiam de cibis, ostendendo per figuram patrum egredientium de Aegypto et transeuntium per mare Rubrum, quomodo cibus et potus fuit eis occasio idololatrandi et fornicandi et tentandi Deum ac murmurandi. Hoc applicans ad propositum, quod etiam comestio talium immolatorum posset esse Christianis causa omnium praedictorum.

A versu 19. usque in finem capituli determinat veritatem quaestionis, in quo casu et qua ratione licitum sit, comedere de idololatria, et in quo casu aut qua ratione sit illicitum, et quid sit tenendum de discretione ciborum.

VII. Septimo vero deficiebant Corinthii circa *sacramentum altaris et eucharistiae et dispositionem primam.*

Circa *eucharistiam* enim errabant tripliciter:

Primo quidem, quia accedebant ad eam viri quidam cum caputio in capite, et mulieres e converso capite denudato. Et videtur, quod mos iste erat inter Corinthios, quod viri in ecclesia sive communicarent sive orarent, sive prophetarent docendo vel cantando, semper habebant caput velatum; mulieres vero totum per oppositum, scilicet quia habebant caput denudatum. Hunc errorem ergo reprehendit Apostolus docens, quod debet esse totum contrarium oppositum (c. 11, 1-17.): « Imitatores mei estote », usque ad locum, ubi scribitur: « Hoc autem praecipio, non laudans, quod non in melius, sed in deterius convenitis ».

Secundo errabant, quia in die communionis sumendae eucharistiae in ecclesia ponebant mensas hinc inde et post sumptam eucharistiam laute comedebant et alia cibaria, ex quo frequenter inter eos erant contentiones et percussiones et haereses, quando satis comederant. Et ex hoc confundebantur pauperes in praesentia ecclesiae, quia non poterant sibi similia divitibus praeparare. Et hunc errorem reprehendit cap. 11, 18-22.

Tertio errabant, quia non cum meditatione et devotione ac etiam memoria promissionis Christi et examinatione praevia conscientiae sumebant corpus Christi et eucharistiae sacramentum. Et hunc errorem Apostolus reprehendit cap. 11, 23-34. Et sic in illo capite septima pars huius epistolae continetur.

VIII. Octavo vero deficiebant Corinthii circa *gratias gratis datas et spiritualem materiam.*

Quem errorem Apostolus reprehendit in octava parte epistolae tria capita continente (cap. 12-14.).

Errabant autem circa gratias gratis datas a Spiritu sancto, quae ab Apostolo appellatur spiritualis materia. Et ideo incipit haec pars epistolae: « De spiritualibus autem nolo vos ignorare, fratres ». Errabant namque in tribus:

Primo quidem in *collatione*, quibusdam dicentibus, quod istae gratiae dabantur diversis fidelibus pro merito eorum et pro qualitate meriti ipsorum. Hunc autem errorem Apostolus reprehendit per totum caput duodecimum, ostendens discurrendo per omnes gratias gratis datas, quod omnes illas operatur unus atque idem spiritus, non pro qualitate ac merito personarum, sed dividens singulis, prout vult et prout est utile et expediens illius corporis totius Ecclesiae. Et ponit ad hoc similitudinem de diversis membris in uno corpore naturali, concludens, quod sicut spiritus vitalis, qui est in corpore, dividitur per omnia membra, ad diversa tamen opera, quorum unum est nobilius alio. Nam in oculo spiritus ille est principium videndi, in pede principium sustinendi et portandi corpus; et sic de aliis membris. Sic Spiritus sanctus diffunditur per totum corpus Ecclesiae per diversas personas: unum faciendo prophetam, alium apostolum, alii tribuendo gratiam sanitatum, prout expedit et est utile corpori Ecclesiae.

Secundo vero errabant in huiusmodi *gratiarum differentia* et *praelatione*. Nam praeferebant aliqui sapientiam, alii prophetiam, alii gratiam sanitatum, et sic de aliis. Hunc autem errorem Apostolus reprehendit per totum caput decimum tertium, ostendens, quod ipsi omittebant illam gratiam et illud charisma, quod habet omnibus praeferri sive ante-

ferri, scilicet caritatem et amorem Dei et proximi. Ipsi enim parum curabant de ea, cum essent inter eos dissensiones et schismata, et potius alias dotes et sufficientias praeferebant.

Incipit autem capitulum 13: « Si linguis hominum loquar et angelorum, caritatem autem non habeam ». In quo ostenditur haec praeeminentia caritatis super omnia dona Dei.

Tertio errabant circa *gratias gratis datas* in eorum appetitu et aemulatione. Aliqui enim magis desiderabant et aemulabantur gratiam linguarum, scire scilicet diversa idiomata, quam habere gratiam prophetandi, gratiam praedicandi et docendi in Ecclesia, aut gratiam cantandi et legendi in ea coram Deo, aut gratiam orandi aut cognoscendi occulta, praevidendi futura. Hunc errorem excludit Apostolus in capitulo 14. per totum, ostendendo, quod multo utilior est gratia praedicandi aut psallendi, aut orandi in ecclesia, quam loquendi diversis linguis; et ibi prohibet mulieres publice docere aut praedicare.

IX. Nono vero deficiebant Corinthii circa *resurrectionem hominum mortuorum et resurgentium gloriam*. Unde inter eos quidam negabant resurrectionem futuram. Hunc errorem Apostolus reprehendit in parte nona huius epistolae, quae in 15. capite continetur.

Ibi namque *primo* ostendit resurrectionem mortuorum futuram ex hoc, quia *Christus* resurrexit (v. 1-17.): « Notum autem vobis facio evangelium » etc.

Secundo vero probat idem ex communi *spe omnium fidelium*, quia secundum hoc, cum fides

christiana maxime fuerit persecutiones passa, sequitur, quia fideles et maxime apostoli infeliciores essent cunctis hominibus, nisi esset resurrectio mortuorum futura, in qua reciperent stipendium et pro passionibus praemium (v. 18-19.): « Ergo et qui dormierunt » etc.

Tertio vero ponit *ordinem resurgentium* (v. 20-28.): « Nunc autem Christus surrexit » etc.

Quarto vero regreditur ad probandam resurrectionem mortuorum per *consuetudinem* fidelium, qui et baptizantur et poenitentias agunt et eleemosynas pro mortuis largiuntur, quae nil essent, si mortui totaliter perirent (v. 29-34.): « Alioquin quid faciunt, qui baptizantur » ? etc.

Quinto vero declarat corporum resurgentium *qualitatem* futuram et modum (v. 35-50.): « Sed dicet aliquis : Quomodo resurgunt mortui, aut quali corpore venient » ?

Ultimo declarat resurrectionis *tempus* et spatium, quia complebitur per temporis momentum (v. 51-58.): « Ecce mysterium vobis dico » etc. Ubi terminatur nona pars principalis istius epistolae.

X. Decimo vero deficiebant Corinthii circa *eleemosynarum largitionem et circa collectam ecclesiae,* quae mittebatur in Hierusalem ad Iudaeorum pauperem et primitivam ecclesiam. Nam sicut legitur in Actibus apostolorum in primitiva ecclesia in Hierusalem ex Iudaeis collecta vivebant in paupertate, quia vendebant suas possessiones, et erant illis omnia communia, et ideo Christiani ex diversis partibus eleemosynas suas illis mittebant. Corinthii autem non disponebant ante adventum Apostoli quod mittere vellent, sed exspectabant eius

praesentiam, ut tunc collectae fierent. Et hoc reprehendit Apostolus capite 16, 1-4: « De collectis autem, quae fiunt in sanctos » etc.

Deinde autem idem familiariter scribit Corinthiis et de tempore, quo debebat ad eos venire; et de Timotheo suo discipulo, qualiter debeant eum recipere; et de Apollo episcopo, qui volebat ad eos redire propter dissensionem eorum et discordias. Et propter hoc monet eos, ut omnia facta sua in caritate faciant.

Recommendat etiam eis duas personas multum devotas, scilicet Stephanam et Fortunatum et regratiatur eisdem de eleemosyna missa a Corinthiis, quas illae duae personae portaverunt, et optat eis gratiam Christi. Et non diligentes Christum excommunicat et anathematizat.

In quo finitur pars decima principalis epistolae primae ad Corinthios et epistola tota.

Incipit epistola secunda ad Corinthios.

Nunc accedit epistola secunda ad Corinthios, in qua Apostolus summe familiariter scribit eis multa secreta, et multa familiaria quantum ad suas perfectiones et excellentias eis aperiens. Ratio huius familiaris scripturae fuit: Prima quidem, quia in praecedenti epistola eos multum confuderat de revelatione illius fornicarii, qui accedebat ad uxorem patris sui; secunda vero, quia eos multum amaricaverat de decem erroribus eos reprehendendo, ut visum est; tertia quoque, quia pseudoapostoli et falsi discipuli per suas falsas commendationes et hypocrises ac fictiones inter ipsos Corinthios locum

magnum obtinebant et erant in magna reputatione apud ipsos; quarta vero, quia praefati falsi discipuli nitebantur famam Apostoli multipliciter denigrare apud Corinthios. Idcirco scribit istam epistolam familiarissimam, ut ipsos consoletur aperiendo eis suas secretas perfectiones.

Unde de 25 conditionibus virtuosis et secretis et perfectionibus excellentibus beatus Apostolus familiariter apud Corinthios se commendat. Et sic haec epistola *dividitur in 25 sententias* et particulas principales, quae continentur in 13 capitulis.

1. Posita namque salutatione, quae incipit (c. 1, 1-2.): « Paulus apostolus » etc., sequitur in narratione pars prima principalis, quae incipit: « Benedictus Deus et pater Domini nostri Iesu Christi », in qua familiariter aperit suam primam virtutem et excellentiam ostendendo, quantam habeat et habuerit in tolerando *patientiam*. Haec autem est virtus nobilissima, scilicet patientia in adversis, quae prae ceteris apostolis fuit in apostolo Paulo. Et durat haec pars ab illo loco: « Benedictus Deus et pater Domini nostri » etc., usque ibi (c. 1, 12.): « Nam gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae ».

2. In secunda vero parte aperiens secundam excellentiam scribit, quantam habeat et habuerit in conversando *innocentiam* et conscientiam sinceram. Et haec est virtus valde excellens, conversari scilicet in pura et simplici conscientia cum hominibus, quam non habent hypocritae; nec illi falsi apostoli hanc virtutem habebant. Et idcirco de ea per oppositum Apostolus se commendat. Et durat

pars ista a praefato loco: « Nam gloria nostra haec est », usque ibi (v. 17.): « Cum autem hoc voluissem, numquid lenitate usus sum » ?

3. In tertia vero parte aperiens tertiam excellentiam scribit, quantam habeat et habuerit in reprehendendo et praedicando et sermocinando *veritatis constantiam*. Unde dicit (c. 1, 18.): « Sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo Est et Non ...sed Est in illo fuit ». Et durat haec pars a praeallegato loco: « Cum autem hoc voluissem », usque in finem capituli primi.

4. In quarta vero parte aperiens excellentiam quartam scribit, quantam habeat et habuerit in reprehendendo *benevolentiam*. Non enim reprehendit eos in praecedenti epistola gratis, et ut eos contristaret, sed potius benevole. Cum multis lacrymis et caritate, ut per huius tristitiam eos ad poenitentiam provocaret. Et quam maxime facit hoc de fornicatore, quam tradiderat Satanae in interitum carnis, in praecedenti epistola cap. 5. Incipit autem particula quarta in principio capituli secundi: « Statui autem hoc ipsum apud me ». Et durat usque ibi (c. 2, 12.): « Cum venissem autem ».

5. In quinta vero particula aperiens excellentiam quintam scribit, quantam habeat et habuerit *in convertendo gentes ad fidem idoneitatem* et sufficientiam. Unde dicit, quod Christus odorem notitiae suae manifestat per eum in omni loco. Et subdit: « Et ad haec quis tam idoneus? Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei ». Et durat haec pars a loco praedicto (c. 2, 12.): « Cum venissem autem Troiadem » usque in finem capituli secundi.

6. In sexta vero parte excellentiam sextam aperiens ostendit, quantam habeat et habuerit *respectu Corinthiorum et conversionis ipsorum praerogativam* et praeexcellentiam. Dicit enim, quod ipsi sunt sua epistola scripta spiritu Dei vivi in tabulis cordis carnalibus, et ideo non indiget aliis commendationis epistolis, quoniam ipsimet erant epistola ipsum commendans. Et incipit pars ista in principio capituli tertii: « Incipimus igitur nosmetipsos commendare ». Et finitur ibi (v. 6.): « Qui et idoneos nos fecit ».

7. In septima vero parte aperiens septimam excellentiam scribit, quantam habeat et habuerit *respectu Moysi et antiquorum patrum ministerii ac officii praeeminentiam*, scilicet quia est minister novi testamenti, sicut Moyses veteris. In novo autem testamento gloria Domini non sub velamine cernitur, sed facie revelata per oppositum ad velamen, quod Moyses ponebat super faciem suam in veteri testamento. Introducit autem hanc excellentiam Apostolus, quia fecerat mentionem de tabulis lapideis ipsius Moysi et tabulis cordis carnalibus Corinthiorum, in quibus epistolam suam scripserat ipse. Duratque pars ista a praefato loco (c. 3, 6.): « Qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti » usque in finem capituli tertii.

8. In octava vero parte excellentiam aperiens scribit, quantam ex praefato ministerio concipiat et concepit *sollicitudinem* et diligentiam. Ex quo enim Deus talem administrationem sibi commisit, dicit, quod non defecit, sed abdicavit a se omnia occulta dedecoris et turpitudinis et universaliter omnia, quae possent veritatem evangelii impedire.

Et hoc facit a principio capituli quarti, quod incipit: « Ideo habentes administrationem », usque ibi (v. 7.): « Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus ».

9. In nona vero parte excellentiam nonam aperiens scribit, quantam concepit *humilitatem* et subiacentiam ex eodem officio. Non enim superbivit ex eodem officio, sed potius existimavit, se vas fictile expositum tribulationibus et angustiis, humiliationi et mortificationi Iesu Christi; quod est contra illos, qui ex officio sibi commisso superbiunt. Et hoc facit a loco praefato: « Habemus autem thesaurum istum », usque ibi (v. 13.): « Habentes eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi, propter quod » etc.

10. In decima vero parte aperiens decimam excellentiam scribit, quantam *spem* concepit ex praedicto officio et qualem confidentiam. Sperans enim pro certo, se esse suscitandum cum Iesu et constituendum cum eo, et quod id, quod est momentaneum et leve in tribulationibus, quas sustinebat, operaretur in eo pondus gloriae maximum et aeternum. Et hoc facit a loco praefato: (c. 4, 13.): « Habentes autem », usque in finem cap. quarti.

11. In parte vero undecima aperiens undecimam excellentiam scribit, qualiter suspiret ac desideret *caelestem patriam* et contemnat praesentem vitam. Unde dicit, se ingemiscere et desiderare habitationem, quae de caelo est; quia, si terrestris domus dissolvitur, tamen aeterna in caelis ab ipso desideratur. Et istud desiderium sequitur spem, propter quod istam excellentiam ordinate aperuit post praecedentem. Duratque haec pars a principio cap.

quinti: « Scimus enim, quoniam si terrestris », usque ibi (v. 6.): « Audentes igitur semper et scientes ».

12. In parte vero duodecima aperiens duodecimam excellentiam, scribit, qualem habeat *erga Deum intentionem rectam* et voluntatem puram. Unde dicit, quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino... contendit illi soli placere. Et ideo suadet timorem Dei hominibus, quia voluntas sua manifesta est Deo et non solum Deo, imo sperat, quod sit manifesta Corinthiis. Et hoc facit ab illo loco: « Audentes », usque ibi (c. 5, 14.): « Caritas enim Christi urget nos ».

13. In parte vero decima tertia aperiens decimam tertiam excellentiam scribit, quantam habeat *erga Deum Christum caritatem et amicitiam*. Unde dicit, se urgeri et stimulari a caritate Christi. Et inducit tres rationes, propter quas summe diligit Christum. Prima quidem, quia mortuus est pro ipso et pro omnibus. Secunda, quia omnia innovavit virtutibus et scientia et veterem legem evacuavit. Tertia vero, quia mundum reconciliavit. Et ideo monet Apostolus Corinthios et hortatur, ut velint per Christum Deo reconciliari. Duratque etc. a cap. 5, 14.: « Caritas enim Christi », usque in finem cap. quinti.

14. In parte vero decima quarta aperiens excellentiam decimam quartam scribit, quantam habeat *in ordine ad proximum exemplarem vitam* et latam et foecundam doctrinam in suadendo verbo et ostendendo facto et exemplo omnem poenitentiam (c. 6.). Nam de sua exteriori vita quantum ad poenitentiam dicit: « In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia » etc. De

sua vero lata et patenti doctrina quantum ad eandem poenitentiam subdit (v. 11.): « Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est ».

15. In parte vero decima quinta aperiens excellentiam quintamdecimam scribit, quantam habeat et habuerit *de fraterna correctione gaudium et laetitiam*. Unde ait (c. 7, 2.): « Capite nos. Neminem laesimus, neminem corrupimus ». Sequitur: « Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad poenitentiam ». Et durat etc. per totum cap. 7.

16. In parte vero decima sexta aperiens excellentiam sextamdecimam scribit, quantum habeat et habuerit *erga sanctos pauperes mentem compassivam*, quia multum sollicitus est de pauperibus existentibus in Hierusalem, quod Corinthii suas eleemosynas mittant. Et durat haec pars per cap. 8. et 9. In quibus capitulis agit *de eleemosyna* et monet Corinthios ad eleemosynam faciendam in sanctos.

Et primo quidem inducit eos per exemplum aliorum fidelium, scilicet Macedoniorum.

Secundo per exemplum et similitudinem ad Dominum Iesum Christum, qui propter nos egenus factus est, cum esset dives. Et hoc facit ibi (c. 8, 9.): « Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos » etc.

Tertio monet eos propter utilitatem et commodum et profectum, qui sequitur ex eleemosyna, ibi (v. 10.): « Hoc enim vobis utile est, qui non solum facere » etc.

Quarto vero monet eos propter nuntiorum opportunitatem, quia bonos et securos fratres mittit

eis, scilicet Titum, Lucam, Apollo, per quos poterunt suas eleemosynas destinare. Et hoc fecit ab illo loco (v. 16.): « Gratias autem Deo, qui dedit » etc., usque ibi (c. 9, 6.): « Hoc autem dico: « Qui parce seminat » etc.

Quinto vero docet eos in faciendo eleemosynas, quam intentionem habere debeant et quem modum, ibi: « Hoc autem dico: Quia qui parce seminat » etc.

Ultimo promittit eleemosynarum fructum, ibi (v. 10.): « Qui autem administrat semen seminanti » etc.

Et tandem in finem noni capituli obsecrationem suam resumit de eleemosyna fidelibus pauperibus in Hierusalem degentibus destinanda, dicens (c. 10, 1.): « Ipse autem ego Paulus obsecro vos » etc.

17. In parte vero decima septima aperiens decimam septimam excellentiam scribit, qualem habuerat *colluctationem et militiam* et quantam armorum spiritualium potentiam ; unde dicit, quod non militat secundum carnem, sed habet arma potentia destruere omnem munitionem et altitudinem, quae adversus Dei scientiam se extollit, et potentiam in captivitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi. Et durat pars illa a principio cap. decimi (v. 2.): « Rogo autem vos », usque ibi (v. 9.): « Ut autem non existimer tamquam terrere vos per epistolas ».

18. In parte vero decima octava excellentiam decimam octavam aperiens scribit, quantum habeat non solum in scribendo, imo in loquendo, nec solum absens, imo et praesens virtuosam *audaciam ad corripiendum* et exsecrandum. Et hoc facit propter

pseudoapostolos et discipulos falsos denigrantes famam eius, quia dicebant, quod epistolas graves et fortes mittebat, sed sua praesentia et loquela erat contemptibilis et infirma. Contra quos dicit, quod qualis est verbo per epistolas absens, talis praesens et in facto. Duratque pars ista a loco praefato (c. 10, 9.): « Ut autem non existimer tamquam terrere vos per epistolas », usque in finem capituli decimi inclusive.

19. In parte vero undevigesima excellentiam decimam nonam aperiens scribit, quantum habuerit *ad receptionem stipendiorum custodiam*. Non enim voluit stipendia a Corinthiis recipere, ut non esset onus ipsis. Et ex hoc praefert se pseudoapostolis, qui transfigurabant se in angelos lucis, ut possent a Corinthiis et ceteris fidelibus pecunias extorquere; et in hoc praefert se etiam veris apostolis, quia ipsi recipiebant stipendia a fidelibus, sicut et poterat et licitum erat. Durat autem haec pars a principio capituli 11: « Utinam sustineretis », usque ad medium, ubi scribitur (v. 16.): « Iterum dico, ne quis me putet insipientem ».

In principio autem capituli, quia volebat se commendare, rogat, ut supportent suam insipientiam pro eo, quod erat quodammodo aemulus et zelotypus de ipsis, quia falsos apostolos et discipulos audierunt.

20. In parte vigesima aperiens vigesimam excellentiam scribit, quantum *pro Christo* sustinuit *laborem* et poenam et angustiam. In quo praefert se omnibus aliis praedicantibus Christum, quia plus ceteris laboravit. Et ibi ostendit, quod nec ex genere, cum ipse esset Hebraeus, Israelita et semen

Abrahae; nec ex officio, cum ipse esset apostolus et minister Christi; nec in labore, cum fuerit in carceribus abundanter et in mortibus frequenter et aliis laboribus. Nullus itaque sibi poterat se ipsum arroganter praeferre. Et durat illa pars a praefato loco: « Iterum dico, ne quis me putet », et deinceps: « Libenter suffertis insipientes », usque in finem cap. undecimi et ultra per principium duodecimi, usque ibi (c. 12, 1.): « Veniam autem ad visiones Dei ».

21. In parte autem vigesima prima excellentiam vigesimam primam aperiens scribit, quantum habuit *quoad divinas revelationes excessum et superabundantiam*. Unde dicit, raptum se fuisse usque ad tertium caelum. Et incipit etc.: « Veniam autem ad revelationes et visiones Domini » ; et durat usque ibi (c. 12, 7.): « Et ne magnitudo revelationum extollat me ».

22. In parte vero vigesima secunda aperiens vigesimam secundam excellentiam scribit, quantum habeat *in tentationibus resistentiam* et continuam luctam. Unde dicit, quod datus est sibi stimulus carnis ipsum colaphizans. Et durat pars illa: « Et ne magnitudo », usque ibi (v. 11.): « Factus sum insipiens: vos me coëgistis ».

23. In parte vero vigesima tertia aperiens vigesimam tertiam excellentiam scribit, quantum habeat *ruborem et de suis commendationibus et gloriationibus erubescentiam*. Unde dicit, se factum esse insipientem, quia ipsi debebant ipsum commendare, et oportebat, quod ipse se ipsum commendaret ad correctionem eorum super contentionibus et aemulationibus et seditionibus, quae ortum ha-

bebant inter Corinthios ex hoc, quod aliqui se ipsos praeferebant et famam Apostoli denigrabant, alii vero ipsum sustinebant. Et durat pars ista a praefato loco (c. 12, 11.): Factus sum insipiens, vos me coëgistis », usque in finem cap. 12. inclusive.

24. In parte vero vigesima quarta aperiens vigesimam quartam excellentiam scribit, quantam habûerat *adversus peccata et crimina indignationem et iram.* Unde aperit zelum suum et suam indignationem dicens his, qui ante peccaverunt, et ceteris omnibus: « Quoniam si venero iterum, non parcam; an experimentum eius quaeritis, quod in me loquitur Christus ». Et durat pars illa a principio cap. 13. usque ibi (v. 11.): « De cetero, fratres, gaudete, perfecti estote ».

25. In parte vigesima quinta et ultima aperiens vigesimam quintam excellentiam scribit, quantum diligat *pacem, unitatem et concordiam.* Et haec nobilissima est conditio et valde virtuosa. Et durat pars ista: « De cetero, fratres, gaudete », usque in finem epistolae, ubi concludit: « Caritas Dei et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen ». In quo secunda epistola ad Corinthios terminatur.

Incipit epistola ad Galatas.

Nunc accedit epistola ad Galatas, et intendit Apostolus *unam conclusionem,* scilicet quod *circumcisio et cetera legalia nullo modo sunt servanda cum fide, imo sunt omnino evacuata per Christum,* ita ut de cetero sint observantibus in interitum ipso usu. Et inducit hanc conclusionem in hac epistola pro eo, quod Galatae prius conversi

per Paulum ad veram et rectam fidem, postmodum decepti fuerint per quosdam praedicatores falsos, in tantum ut circumciderentur et legalia observarent.

Dividitur autem praesens epistola *in quinque partes,* secundum quod ad istam conclusionem procedit per quinque modos.

I. PARS.

Paulus praelatus et pastor.

In prima namque parte procedit contra istum errorem circumcidentium se et observantium legalia ad modum praelati et pastoris, per censuram ecclesiasticam et excommunicationem (c. 1, 1-10.).

Nam introducit se ut praelatum institutum non ab hominibus, sed per Iesum Christum et Deum Patrem. Deinde vero admiratur super levitate et errore ipsorum dicens: « Miror, quod sic tam cito transgredimini ». Postea aperit peccatum et malitiam subversorum et seductorum, per quod decepti erant Galatae, dicens, quod non est aliud, nisi quod sunt aliqui, qui vos conturbant. Deinde vero infligit sententiam excommunicationis in omnem personam tenentem et docentem errorem illorum, sive sit angelus, aut apostolus, vel alius quicumque, ibi: « Sed licet nos aut angelus de caelo ». Demum vero excusat se, quia tenet ita rigidum modum; hoc est enim, quia non curat placere hominibus, sed soli Deo; unde subdit: « Modo enim hominibus suadeo, an Deo »?

II. PARS.

Paulus praeco evangelicus.

In secunda vero parte procedit Apostolus ad eliminandum errorem praedictum ad modum praeconis et evangelici praedicatoris, quia per auctoritatém et suae doctrinae revelationem, postquam excommunicavit hunc errorem sicut praelatus, confutat ipsum per auctoritatem suae doctrinae et suae praedicationis ut praeco evangelicus (c. 1, 11- c. 2, 21.).

Ostendit enim, suum evangelium et suam *praedicationem* esse *authenticam ex sex conditionibus.* Fuit enim:

Prima quidem *inspirata:* « Neque enim ego ab homine accepi illud », et probat, quod non didicerit ab homine, quia erat persecutor Ecclesiae in principio; et quia per annos, antequam vidisset aliquem apostolum aut alium, qui docuisset eum evangelium, ipse iam illud praedicabat, sicut sibi Dominus revelabat.

Secunda conditio suae doctrinae aut praedicationis est, quod fuit *disputata* cum illis, qui debebant evangelii veritatem nosse et a Christo didicerant (c. 2, 2.): « Contuli cum illis evangelium, ne forte in vacuum currerem ».

Tertia conditio suae doctrinae est, quod fuit *impugnata* a falsis fratribus, qui tamen non praevaluerunt, et hoc ostendit ibi: « Sed nec Titus, qui mecum erat ».

Quarta conditio sui evangelii et doctrinae est, quod fuit *approbata* ab apostolis; nec aliquid ad

eam apostoli principalissimi addiderunt, utpote Petrus et Ioannes et Iacobus, ibi: « Mihi autem qui videbantur aliquid esse nihil contulerunt ».

Quinta conditio est, quod fuit *dissimulata* et simulatione Petri palliata, quod ostendit: « Cum autem venisset Cephas Antiochiam ».

Sexta conditio huius doctrinae est, quia fuit *confirmata* et rectificata per Pauli resistentiam, ibi: « Sed cum vidissem, quod non recte ambularet ».

Et ex istis conditionibus intendit unam talem rationem: Illa doctrina absque omni haesitatione tenenda est, quae fuit a solo Deo inspirata et cum principalioribus inter apostolos disputata, a falsis fratribus impugnata et ab apostolis approbata; et postquam fuit palliata a principali apostolo et capite Ecclesiae et postmodum eo consentiente fuit rectificata et in sua claritate ac sinceritate reposita. Sed talis est mea praedicatio et doctrina, dicit Paulus; doctrina, inquam, quam praedico et doceo, scilicet quod legalia et circumcisio non sunt tenenda cum fide. Igitur, o Galatae, huic doctrinae non potestis resistere nec debetis. Et secundum hoc post sex praedictas conditiones suae doctrinae, per quas probavit suam praedicationem esse authenticam, statim infert conclusionem intentam dicens: « Nos natura Iudaei et non ex gentibus peccatores ». Et infert eam et probat per locum a maiori: Quod si Iudaei opera legis dimittunt propter fidem Iesu Christi, multo magis dimittere habent Gentiles; quia magis debent illi servare legalia, quam isti.

Et probat eam per sanctitatem Christi: quia, si tenemur servare legalia, Christus fuisset mini-

ster peccati, qui caeremonias et iudicia legis evacuavit, ut patet in evangeliis.

Et probat eam ex passione Christi, quia gratis et sine causa fuisset passus et mortuus, si circumcisio et legalia iustificare possent homines.

Et sic patet, qualiter per auctoritatem ad modum praeconis evangelici et veridici praedicatoris hunc errorem eliminavit.

III. PARS.

Paulus magister et doctor.

In tertia autem parte procedit ad confutandum istum errorem ad modum magistri et doctoris, quia per disputationem et multiplicem rationem. Et hoc facit c. 3-4. Primo namque obiurgative statuit conclusionem contra quam intendit disputare dicens: « O insensati Galatae ». Unde vocat eos et insensatos et fascinatos ac incantatos, et quia Iesum Christum a se relegaverunt et proscripserunt et rursus in se ipsis crucifixerunt ac vituperaverunt, ex quo circumcisi fuerant post eius fidem susceptam, quasi Christus sine circumcisione non sufficeret ad salutem. Secundo vero ibi: « Hoc solum a vobis volo discere ». Incipit contra istam conclusionem erroneam disputare et inducit *quatuor vias.*

PRIMA VIA.

1. Primo namque inducit rationem quadrifariam et infra quatuor clausulas.

a) *Prima ratio* est haec: Ex illo vos debetis esse iustificati, o Galatae, ex quo et a quo accepi-

stis Spiritum sanctum, quia Spiritus sanctus per diffusionem gratiae suae habet iustificare. Sed constat, quod Spiritum sanctum non accepistis ex operibus legis. Non enim descendit super vos, quando fuistis circumcisi, sed potius a principio, cum audivistis et recepistis fidem per me. Dicit enim: « Descendit Spiritus sanctus in vos, sicut et in ceteros credentes ». Ergo non ex circumcisione et ceteris legalibus iustificamini, sed ex sola fide Iesu Christi.

b) *Secunda ratio* est haec: Stultum est, dimisso spiritu, in carne consummari; quia (Ioan. 6, 64.) « spiritus est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam ». Sed vos a principio incepistis iustificari in spiritu, nunc autem vultis iustificari in circumcisione carnali: ergo patet, quod estis stulti.

c) *Tertia ratio* haec est: Stultum est, passiones et tribulationes et adversitates sustinere sine causa, sed propter fidem Iesu Christi. Et quia voluistis a principio circumcidi, multa passi fuistis et a Iudaeis et concivibus vestris: ergo si fides sine circumcisione non iustificat, sine causa tanta passi fuistis et per consequens convincimini esse stulti.

d) *Quarta ratio* haec est: Constat, quod ex illo estis iustificati, cuius merito virtutes et miracula facta sunt in vobis. Sed constat, quod virtutes et miracula non sunt facta inter vos ab his, qui vos suadent circumcidi, nec virtute operum legis unquam aliquod miraculum fecistis, sed virtute fidei. Ergo non iustificamini ex his operibus, sed ex fide.

Et sic per rationem quadrifariam probavit conclusionem intentam.

SECUNDA VIA.

2. Scriptum est: « Abraham credidit Deo ». Probat eandem conclusionem per duplicem scripturam.

a) Ex *prima* arguit sic: Per illud iustificantur homines, per quod legimus Abraham iustificatum fuisse; quod patet, quia dictum est Abrahae: « In te benedicentur », et quia etiam pater multarum gentium esset, ut per hoc innueretur, quod qui erant iustificandi, iustificarentur per similem modum ipsius Abrahae, et ita essent filii Abrahae per imitationem. Sed constat, quod Abraham fuit iustificatus per fidem et non ex operibus legis, quia scriptum est: « Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad iustitiam ». Ergo quicumque iustificantur et benedicuntur, ex fide cum fideli Abraham iustificantur et benedicuntur.

Et confirmat, quia nusquam legitur in scriptura observatoribus legis fuisse promissa benedictio, sed magis maledictio, quia scriptum est in Deuteronomio (c. 27, 26.): « Maledictus, qui non permanet in omnibus, quae scripta sunt in libro legis fidei ». Et vita et benedictio repromittitur, Habacuc (c. 2, 4.): « Iustus autem in fide vivet ».

Christus autem, ut tolleret maledictionem, sub qua erant, qui non observabant legem, voluit in se assumere maledictionem ligni crucis, ut super credentes in eum virtute fidei descenderet Abrahae benedictio. Durat autem haec ratio (c. 3, 6-14.): « Scriptum est: Abraham credidit Deo », usque « Fratres, secundum hominem dico ».

b) Ex *secunda* vero *auctoritate* arguit, assumens unam propositionem humanam, scilicet quod *testamentum* hominis, postquam est confirmatum, nullatenus mutatur; ex quo per locum a minori inferre intendit, quod multo minus testamentum Dei, ex quo confirmatum est iuramentum ab ipso.

Tunc assumit auctoritatem scripturae (Gen. 22.), in qua continetur, quod Deus sub testamento confirmato per iuramentum repromisit plurima Abrahae, et quod benediceret ipsum et multiplicaret semen eius, et quod eius in semine benedicerentur omnes gentes. Non dicit autem « in seminibus », quasi in multis filiis, sed potius dixit *in semine* singulariter, quia in uno filio Abrahae, qui est Christus, debebant benedici omnes gentes. Constat autem, quod ista promissio etiam videtur iureiurando firmata, sicut ibidem scribitur (Gen. 22, 16.): « Per memetipsum iuravi, dicit Dominus ». Igitur benedictio et hereditas et multiplicatio filiorum facta fuit per quadringentos et tres annos, antequam lex Moysi daretur in monte Sinai. Igitur benedictio et hereditas et multiplicatio filiorum et per consequens iustitia data est Abrahae non in virtute legis, alioquin lex immutasset testamentum et repromissionem; tum, quia illi filii Abrahae, qui praecesserunt legem, nec fuissent benedicti nec heredes nec iustificati; tum, quia iam non esset ex promissione et virtute illius testamenti hereditas et iustificatio, sed virtute legis, et ita testamentum per legem esset verificatum, quod poni non potest.

Sequitur ergo, quod non est filiatio Abrahae nec iustificatio ex observantia legis. Et quia posset

aliquis existimare, quod Apostolus vellet legem reprobare et ostendere inutilem fuisse, ex quo iustificare et vivificare non habeat: idcirco ponit

tres utilitates legis:

Primam quidem propter punitionem transgressorum et peccatorum.

Secundam vero propter conclusionem omnium hominum sub peccato, ut ex hoc omnes homines illum filium Abrahae desiderarent, de quo promissum erat: « In semine tuo benedicentur omnes gentes », scilicet Christiani.

Tertiam quoque propter introductionem hominum ad fidem Christi, quia nisi lex praecessisset, non haberetur notitia de Christo venturo. Unde fuit quasi paedagogus ad modum, quo pueri informantur. Et propter hoc adveniente fide cessare debuit (c. 3, 15-29.).

TERTIA VIA.

Tertio vero (c. 4, 1.) probat eandem conclusionem *per consuetudinem humanam,* sic arguens: Sicut est in humanis, sic suo modo intelligendum est in spiritualibus. Videmus autem in humanis, quod quamdiu est heres infans et parvulus, tractatur sicut servus a tutoribus et quantum ad modum vivendi, vestiendi et utendi hereditate, quia utitur sicut servus. Postquam autem venit tempus plenitudinis, ab his tutoribus et servilitatibus liberatur et efficitur dominus et liber. Ergo a simili: In spiritualibus prius fuimus sub lege servili obsequentes sub elementis et sensibilibus rebus circumcisionis et sacrificiorum et aliorum corporalium le-

galium, inutilium ad iustitiam, donec venit temporis plenitudo, quo facti sumus filii et heredes per Christum.

Probat autem, quod istud tempus sit, quo sumus filii ex collatione Spiritus sancti, quam nullus in principio Ecclesiae poterat negare, quia dabatur sub sensibilibus signis, et probari poterat ex evidentia signi et evidentia effectus (c. 4, 1-7.).

QUARTA VIA.

Quarto vero probat eandem conclusionem per quandam *figuram* et scripturae allegoriam.

Sed primo eos obiurgat super ingratitudinem dicens: « Sed tunc quidem ignorantes Deum », usque ibi (v. 12.): « Fratres, obsecro vos ».

Secundo vero demulcet eos, ut trahat ad veritatem, nunc obiurgando, nunc demulcendo, et hoc facit ab illo loco: « Fratres, obsecro vos », usque ibi (v. 21.): « Sub lege vultis esse ».

Tertio ponit figuram et allegoriam, per quam ponit conclusionem intentam: Quia, sicut Abraham habuit duos filios, unum de ancilla, et alterum de libera, sic Deus instituit duo testamenta: unum ancillare et servile in monte Sinai, quae fuit lex vetus; aliud vero liberum et spirituale et absque omni servitute per Christum, scilicet legem novam.

Et tunc concludit, quod teste scriptura ancilla et eius filii debent eiici, et filius liberae debet esse heres. Et per consequens quod lex antiqua debeat evacuari, et eius observantiae debeant a Galatis et ceteris fidelibus tamquam inutilia et nociva repudiari. Durat autem ista deductio a cap. 4, 21-31.

IV. PARS.

Paulus amicus et consultor.

In quarta vero parte principali procedit Apostolus contra praedictum errorem de observatione legalium ad modum *amici et consultoris* per multorum hominum adnexorum denuntiationem (c. 5, 1-c. 6, 12.).

Procedit ergo Apostolus per modum consiliarii et amici, denuntiantis a Domino multa incommoda, quae sequuntur eos, si velint legem observare cum fide, et multa commoda, si permanere velint in sola fide. Incommoda ponit, si velint circumcidi et observare legem.

1. *Incommoda:* a) quod Christus nihil eis prodest; b) quod sunt obligati ad universam legem faciendam, quod est onus importabile; c) quod iam non erant sub gratia, sed potius sub onere; d) quod non habebunt spem suam in spiritu et caritate, sed potius in circumcisa carne, cum tamen credentibus Christo nihil valeat circumcisio aut praeputium, sed sola fides et caritas, illis sub indifferentia remanentibus. Haec autem incommoda enarrat Apostolus cap. 5, 1-6.

Deinde vero ex istis incommodis persuadet eis multipliciter, ne credant alicui suadenti circumcisionem legalium, sed potius super hoc se corrigant et secundum priorem viam currant (c. 5, 7-12.). Deinde vero ponit multa

2. *Commoda* quae sequuntur, si velint permanere in sola fide, circumcisione exclusa: a) quod

currunt in libertate vocati absque omni onere legis; b) quod totam legem servabunt et implebunt in uno verbo, diligendo scilicet proximum sicut se ipsum; c) quia ambulabunt in spiritu et non in carne, et per consequens perficient opera spiritus et non carnis. Et occasione huius ponit pro exemplo 17 opera carnis et 12 fructus, opera et effectus spiritus, ostendens, quod illi, qui sunt vere fideles Christi, crucifixerunt carnem suam, ne ambulent in vitiis et concupiscentiis, quae sunt opera carnis, sed potius ambulent in operibus spiritus et in spiritu vivant.

Et occasione huius ponit quasdam spirituales eruditiones, ex quibus intendit per modum amici et consiliarii concludere, quantum sit utile, reiecta circumcisione carnis, in sola fide permanere (c. 5, 13-c. 6, 10.).

V. PARS.

Paulus zelotypus et aemulator Iesu Christi.

In parte vero quinta et ultima procedit Apostolus contra praefatum errorem ad modum zelotypi et aemulatoris Iesu Christi, et ideo per exclamationem.

Postquam enim contra praefatum errorem processerat ut praelatus in prima parte, et per suae doctrinae auctoritatem et conditionem ut praeco evangelicus in secunda parte, et per multiplicem disputationem sicut doctor excellentissimus in tertia parte, et per incommodorum denuntiationem sicut consiliarius et amicus in quarta parte; hic

procedit per exclamationem sicut zelotypus et aemulus Iesu Christi (c. 6, 12-18.).

Istam autem particulam totam scripsit ipse manu propria, ut magis Galatas moveret, praecedentia vero usque ad locum istum solum dictavit et notarius scripsit. Exclamat autem:

Primo contra pseudoapostolos, qui inducebant illos ad circumcisionem, detegendo eorum infidelitatem et timiditatem dicens, quod propter hoc cogebant eos circumcidi, ut non patiantur persecutionem crucis Christi, sicut ipse patiebatur, quia cessationem legalium praedicabat.

Secundo vero contra eos exclamabat, detegendo eorum superbiam et vanitatem, et subdens: « Volunt autem vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur ».

Tertio vero exclamat ad se ipsum super amorem crucis Christi et ipsius gloriam et voluptatem, dicens per oppositum ad pseudoapostolos, qui volebant gloriari in carne Galatarum: « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi ».

Quarto vero exclamat ad universum mundum super circumcisionis et praeputii et omnis rei alterius inutilitate, excepta nova vita apportata per Christum, dicens: « In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet ».

Quinto vero exclamat ad Galatarum coetum super danda sibi pace et tranquillitate, ne amplius ipsum molestent ex observatione legalium, dicens: « De cetero nemo mihi molestus sit ».

Ultimo vero exclamat ad eos, optans eis suavitatem gratiae Christi et ubertatem, dicens: « Gra-

tia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro, fratres. Amen ».

Et in hoc epistola ad Galatas terminatur.

Incipit epistola ad Ephesios.

Nunc accedit epistola ad Ephesios et intendit unam principalem conclusionem, videlicet Ephesios *inducere ad gratitudinem super multis beneficiis a Deo sibi collatis;* unde sicut praecedens epistola fuit tota reprehensiva propter errorem, in quem Galatae inciderant, qui ad suasionem quorundam Iudaeorum falso in Christo credentium post susceptam fidem fuerant circumcisi: sic tota epistola ista est commendativa et ad gratitudinem inductiva, pro eo quod Ephesii non receperunt eiusmodi falsos persuasores, sed potius in veritate fidei persistentes in multis virtutibus et perfectionibus subcreverunt.

Dividitur ergo praesens epistola in *partes novem:*

PRIMA PARS.

In prima namque parte Apostolus praemittit devotam et reverentem *salutationem,* unde vocat Ephesios sanctos et fideles in Christo Iesu, cum tamen supra scribendo Galatis, absque omni commendatione eorum simpliciter dixisset: « Ecclesiis Galatiae ».

SECUNDA PARS.

In secunda vero parte inducit Ephesios ex *multiplici* suscepto *beneficio* per Christum *ad gra-*

titudinem et gratiarum actionem (c. 1, 3-7). Et incipit illa pars: « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi », ubi

Primo ponit *generalia beneficia* collata *cunctis fidelibus,* quae sunt *quatuor:* primum est caelestis benedictio, de qua dicit: « Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali »; secundum, aeterna praeelectio, de qua subdit: « Sicut elegit nos in Christo ante mundi constitutionem »; tertium, filialis adoptio, addens: « Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum »; quartum, peccatorum remissio et per consequens gloriae aeternae adeptio, de qua addit: « In qua glorificavit nos in dilecto filio suo, in quo habemus remissionem peccatorum ».

Secundo vero ponit *specialia beneficia* collata apostolis, ibi: « Quae (gratia) superabundavit in nobis in omni sapientia ». Quae quidem duo beneficia fuerunt unum *intrinsecum,* scilicet plenitudo sapientiae et prudentiae, quam contulit apostolis prae aliis fidelibus; et de hoc dicit: « Superabundavit in nobis in omni sapientia et prudentia ». Secundum vero fuit *extrinsecum,* scilicet instauratio omnium per ministerium apostolorum, quia per conventionem fidelium, ministerio apostolorum factam, instaurati sunt caeli, angelorum reparata ruina, et instaurata est terra in moribus et doctrina; et de hoc beneficio subdit: « Instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terris sunt ».

Tertio ponit peculiare beneficium collatum *ipsis Ephesiis,* ibi: « In quo et nos sorte vocati sumus ». Circa quod beneficium primo dicit, quod in illa instauratione tamquam instaurationis participes pri-

mo vocati fuerant Iudaei; unde ait: « Ut simus in laudem gloriae eius nos, qui ante speravimus in Christo ». Secundo vero illius instaurationis participes effecti sunt Ephesii, subdens: « In quo et vos, cum audissetis verbum veritatis ».

Et sic inducit eos ex susceptis per Christum beneficiis, tam communibus quam spiritualibus, ad gratiarum actiones.

TERTIA PARS.

In tertia vero parte principali, ut magis reddat eos sollicitos ad gratias agendum, innuit, quod est *valde difficile,* de tantis beneficiis habere *debitam* et *sufficientem recognitionem.* Et incipit pars illa ibi (c. 1, 15.): « Propterea et ego audiens ». Ibi enim ostendit, quomodo sit difficile Ephesiis, ut sufficienter Deo gratias agant:

Primo, quia ipse ad regratiandum eos iuvat; unde ait: « Non cesso gratias agens pro vobis ».

Secundo, quia et pro ipsis orat, ut habeant illuminatos oculos ad cognoscendum gratias, quas Deus fecit ipsis, et beneficia, quae Christus contulit tam vocando quam hereditatem promittendo, quam Christi magnitudinem et potentiam ostendendo in resurgendo a mortuis et in sedendo ad dexteram Dei patris et in praesidendo toti caelesti curiae et influendo corpori Ecclesiae. Rogat enim Deum, ut Ephesii omnia illa recognoscant ad finem hunc, ut amplius Christo sint grati. Durat autem haec pars ab illo loco (c. 1, 15-23.).

QUARTA PARS.

In quarta vero parte Apostolus docet Ephesios, *status fidei* ad *status paganismi* facere comparationem, ut cognoscant, quanta sit differentia, ut ex hoc magis Christo sint grati, per quem vocati sunt ab illo statu ad istum. Et incipit pars illa in principio capituli 2.

Unde ponit *duas differentias* inter statum paganismi et statum fidei. 1) Differunt enim sicut *vivum* et *mortuum*. Nam status paganismi est status mortis propter delicta et peccata, in quibus vivunt gentiles. Status autem fidei est status vitae propter gratiam, qua convivificavit nos Deus in Christo et conresuscitavit et consedere facit in caelis. Et hanc differentiam ponit Apostolus cap. 2, 1-10.

2) Differunt vero secundo penes *alienum a Deo* et *propinquum*, et penes alienum a populo Israel et populo Dei ac testamento et promissione sanctorum, et domesticum et propinquum eidem. Ephesii enim, cum essent gentiles et pagani, erant alieni a Deo et a populo suo Israel et quasi inimici. Sed per Christum, qui fecit utraque unum et rupit medium parietem et solvit inimicitias, quae erant inter ipsos Gentiles ex una parte et Deum ac suum populum ex alia parte: facti sunt Ephesii propinqui, ita ut iam non sint hospites et advenae, sed cives sanctorum et domestici Dei. Hanc autem secundam differentiam ponit Apostolus a cap. 2, 11-22.

Concludere ergo intendit Apostolus: Ex quo prius erant mortui et per Christum facti sunt vivi;

ex quo prius erant alieni a Domino et extranei et per Christum facti sunt domestici et propinqui: ergo quam multum tenentur esse grati.

QUINTA PARS.

In quinta vero parte Apostolus facit pro Ephesiis *devotissimam orationem,* postquam eos monuerat ad gratiarum actionem. Et incipit pars ista a principio capituli tertii: « Huius rei gratia ego Paulus », ubi

1. Primo ponit suam sufficientiam ad orandum (v. 2.) et obligationem (v. 8.) et confidentiam (v. 12.): sufficientiam quidem, cum ait: « Si tamen audistis dispensationem gratiae Dei »; obligationem vero, cum subdit: « Mihi omnium sanctorum minimo » etc.; confidentiam vero, cum subdit: « In quo habemus fiduciam et accessum ».

2. Secundo vero subdit orationem ipsam, ad quam praetenderat se sufficientem et obligatum, dicens (v. 14-21.): « Huius rei gratia flecto genua mea ». In qua oratione postulat a Deo patre, ut det Ephesiis virtutem fidei, per quam Christus inhabitat et corroboratur in cordibus eorum dicens: « Ut det vobis secundum divitias gloriae suae » etc. Et postulat pro eis virtutem caritatis et dilectionis, subdens: « In caritate radicati et fundati »... Et postulat pro eis donum sapientiae et scientiae et plenitudinem donorum ceterorum Spiritus sancti, subdens: « Ut possitis comprehendere ». Et ultimo recurrit ad Deum patrem, ut suppleat orationem suam, scilicet quantum ad bona cetera, in quibus reputat orationem suam insufficientem, subdens:

« Ei autem, qui potens est omnia ». Et sic terminatur pars quinta principalis.

SEXTA PARS.

In sexta vero parte Apostolus ponit *in moribus generalem informationem.* Informat enim Ephesios in diversis virtutibus et moribus in generali (c. 4-c. 5, 21.). Monet autem ad *decem virtutes* per ordinem:

Primo quidem monet *virtutem mansuetudinis et humilitatis,* dicens (v. 1.): « Obsecro itaque vos, ut digne ambuletis... cum omni humilitate et mansuetudine ».

Secundo vero monet *ad virtutem caritatis, pacis et concordiae* et ad spiritus unitatem, subdens: « Solliciti servare unitatem spiritus », scilicet in vinculo pacis. Inducit autem Ephesios ad spiritus unitatem, et quia sunt unum corpus in Christo et quia idem sperant, scilicet eandem salutem aeternam, et propter unitatem Domini cum unitate fidei et propter unitatem sacramentorum, et propter varietatem donorum, quae ordinantur ad consummationem unius corporis Ecclesiae, et propter unitatem augmenti, quia sine caritate et unitate nullus potest crescere aut augmentari in corpore Ecclesiae, quia caritas est nervus ille et illa iunctura, per quod totum corpus Ecclesiae compactum est et connexum (cap. 4, 4-16.).

Tertio vero monet ad *virtutem pudicitiae,* castitatis et honestatis, cum subdit (c. 4, 17-24.): « Hoc ergo dico et testificor, ut iam non ambuletis sicut et gentes ambulant »; sequitur:

« Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae ».

Quarto vero monet ad *virtutem veritatis* servandae in ore, subdens (c. 4, 25.): « Propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem ».

Quinto vero monet ad *virtutem unitatis* et patientiae, subdens (c. 4, 26-27.): « Irascimini et nolite peccare ».

Sexto monet ad *virtutem strenuitatis* et operositatis sanctae, quae opponitur acidiae, subdens (c. 4, 28.): « Qui furabatur, iam non furetur, magis autem unusquisque laboret manibus ».

Septimo monet ad *virtutem benignitatis* servandae in ore et in corde: in ore, cum ait: « Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat »; in corde, cum subdit: « Et nolite contristari Spiritum sanctum Dei »; in corde vestro et ore simul, cum ait: « Omnis amaritudo et ira Dei » etc., usque in finem cap. 4.

Octavo vero monet ad *discernendum* et distinguendum *exemplaris veri a falso veritatem*. Unde verum exemplar, quod debemus imitari, Christus est et Deus, pro quo dicit in principio capituli quinti: « Estote imitatores Dei sicut filii carissimi et ambulate in dilectione ». Falsum autem exemplar, quod debemus omnino fugere, est conversatio vitiosa, quam servant pagani et gentiles; et admonet Ephesios, ut dimittant tenebrosam conversationem gentilitatis, quam prius habuerunt, concludens, quod illud, quod fit ab eis in occulto, turpe est in re. Et durat illa monitio ab illo loco (c. 5, 3-14.): « Fornicatio autem et omnis immunditia nec nominetur in vobis » etc.

Nono vero monet ad *virtutem prudentiae* et ad habendam cautelam et sagacitatem, dicens: « Videte, quomodo caute ambulatis, non quasi insipientes... quoniam dies mali sunt; propterea nolite fieri imprudentes ».

Decimo et ultimo prohibens ebrietates et intemperantiam monet eos simul ad *virtutem sobrietatis,* orationis, contemplationis et laudis divinae, dicens: « Nolite ebriari vino, sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus ».

Et in hoc terminatur informatio generalis in moribus et pars sexta principalis.

SEPTIMA PARS.

In septima vero parte ponit informationem in moribus spiritualem *pro diversis personis et statibus* et propriam cuiuslibet eruditionem. Informat enim uxorem et virum, patrem et filium, servum et dominum, unumquemque secundum virtutem sibi praecipue debitam et propriam ac proportionalem. Et durat pars illa a loco ubi scribitur (v. 21.): « Subiecti invicem », usque ad locum ubi dicitur (c. 6, 10.): « De cetero, fratres, confortamini ».

Monet enim primo *uxores,* ut servent ad viros virtutem reverentiae; unde dicit: « Mulieres viris suis subditae sint sicut Domino ». Et probat hoc per subiectionem et reverentiam, quam habet Ecclesia ad sponsum suum Christum.

Monet enim *viros,* ut servent ad uxores suas virtutem amicitiae et ne ipsas habeant odiosas; unde subdit: « Viri, diligite uxores vestras ». Et

probat hoc per dilectionem, quam Christus habet ad universam Ecclesiam sponsam suam et per hoc quod vir et uxor sunt una caro, et per hoc quod dicit scriptura, Genesis secundo: « Et propter hoc relinquet homo patrem et matrem » etc.

Monet vero *filios,* ut servent ad patrem virtutem obedientiae, capite 6, 1, unde dicit: « Filii, obedite parentibus vestris ». Et probat hoc per mandatum Dei, quod est primum, cui additur promissio, cum dicitur: « Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram ».

Monet vero *patres,* ut servent ad filios virtutem benevolentiae, ne sint eis amari; unde subdit: « Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros ».

Admonet autem *servos,* ut servent ad dominos virtutem fidelitatis et affectionis bonae; unde subdit: « Servi, obedite dominis carnalibus in simplicitate cordis, non ad oculos servientes quasi hominibus ».

Monet vero *dominos,* ut habeant ad servos virtutem humanitatis et tolerantiae ac supportationis bonae; unde dicit: « Et vos, domini, eadem facite servis, remittentes minas ». Et probat hoc, quia servus et dominus habent in caelis communem Dominum, apud quem non est acceptatio personarum.

OCTAVA PARS.

In parte vero octava huius epistolae regreditur Apostolus *ad informationem Ephesiorum omnium in communi,* monens eos ad perseverantiam in fide et moribus et confortationem. Unde

armat eos spiritualibus armis adversus diabolos, qui minantur subvertere fideles et a fide et a moribus, a quo supra monuerat. Et ideo rationabiliter regreditur post generalem et specialem informationem factam superius ad istam specialem *armaturam*. Incipit autem pars ista a loco ubi scribitur (c. 6, 10-18.): « De cetero, fratres, confortamini », et durat usque ibi: « Per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore ».

In armando autem spiritualiter hominem primo praemittit armaturae necessitatem, dicens: Habemus enim fortem adversarium; et subdit: « Ut possitis stare adversus insidias diaboli, quia non est vobis colluctatio » etc. Secundo vero ponit armaturae varietatem et ponit *sex arma*.

Primo cingulum: « State ergo succincti ».

Secundo loricae operimentum, subdens: « Et induti loricam iustitiae ».

Tertio ornatum pedum, subdens: « Et calceati pedes ».

Quarto scutum protectivum, subdens: « In omnibus sumentes scutum ».

Quinto capitis defensionem, subdens: « Et galeam salutis ».

Sexto instrumentum invasivum, subdens: « Et gladium spiritus ».

Et in hoc finitur octava pars principalis.

NONA PARS.

In nona vero parte et ultima implorat Apostolus ab Ephesiis orationum suarum suffragia et imponit devotam conclusionem. Incipit autem pars illa,

ubi scribitur: « Per omnem orationem et obsecrationem orantes pro omnibus sanctis et pro me »; et finitur in illo loco: « Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum », ubi epistola ad Ephesios terminatur.

Incipit epistola ad Philippenses.

Nunc accedit epistola ad Philippenses et intendit unam conclusionem, scilicet animare Philippenses *ad tolerantiam passionum et persecutionum pro Christo,* pro eo quod ipsi perstiterunt in veritate fidei nec receperunt falsos apostolos fidem subvertentes, sed potius pro Christo passi fuerant, sicut Apostolus testatur dicens (c. 1, 29.): « Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini ».

Dividitur ergo praesens epistola in *octo partes* principales.

1. Prima namque pars est *salutativa et unitiva animorum,* quae incipit (c. 1, 1.): « Paulus et Timotheus, servi Iesu Christi ».

2. Secunda vero est *gratiarum activa* et recogitativa beneficiorum divinorum, quae Philippenses receperant a Christo; quia non solum receperant fidem sicut ceteri credentes, imo erant sacri socii defensionis et confirmationis evangelii et vinculorum et aliarum tribulationum, quas sustinuerant pro Christo. Unde pervenerant ad maiorem perfectionem, quam et Apostolus orat continue augmentari, donec perveniant ad fructum iustitiae et ad gloriam Dei (c. 1, 3-11.): « Gratias ago Deo meo », usque ibi: « Scire autem volo vos, fratres ».

3. Tertia vero pars est *reserativa et explicativa secretorum*; aperit enim eis per literas tamquam amicis statum suum (c. 1, 12-24.).

a) Primo quidem, quomodo vincula, quibus erat Romae ligatus, non erant ad confusionem sui, imo iam erant ad magnum profectum evangelii, quia multi, qui antea non audebant praedicare, assumserant vigorem et audaciam praedicandi exemplo ipsius. Et occasione huius ponit diversas intentiones et diversa motiva, quibus a diversis Christi fides per evangelium praedicatur.

b) Secundo eis aperit spem suam, quia sperat per illa vincula pervenire ad gloriam et salutem.

c) Tertio vero aperit eis, qualiter exspectat cito pro Christo sustinere martyrium et mortem; unde dicit (c. 1, 20.): « Et nunc magnificabitur Christus in corpore meo sive per vitam, sive per mortem ».

d) Quarto aperit eis, qualiter nescit, quod eligat, an mori, an vivere pro Christo, et dicit: « Coarctor enim e duobus ».

4. Quarta vero pars est *animativa Philippensium ad martyrium* et ad tolerantiam adversorum, unde ait (c. 1, 28-30.): « In nullo terreamini ab adversariis; hoc enim a Deo vobis donatum est, ut patiamini pro Christo » etc.

5. Quinta vero pars est *informativa virtutum et morum;* instruit enim ipsos in multis virtutibus cap. 2, quod incipit: « Si qua ergo consolatio » etc.

Ubi ergo primo monet ad fidei veritatem, dicens: « Ut idem sapiatis unanimes, idem sentientes ».

Secundo monet ad veram humilitatem, subdens: « Nihil per contentionem... sed per humilitatem »; et adhuc ad hoc per exemplum Christi,

subdens: « Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Iesu », qui non ponderavit formam Dei, in qua erat Patri aequalis, sed « formam servi accipiens semetipsum exinanivit et usque ad mortem crucis » etc.

Tertio vero monet ad conservandum in omnibus operibus Dei metum et timorem, dicens: « Itaque cum metu et timore salutem vestram operamini ».

Quarto vero monet ad conservandum in eisdem operibus dulcorem, vigorem et exemplaritatis splendorem, subdens: « Omnia facite sine murmuratione, ut sitis sine querela et simplices filii Dei sicut luminaria in caelo ».

Quinta vero, quia Apostolus sciebat, eos esse perfectos in virtutibus, ne per istam monitionem crederent Philippenses, quod minus teneret de eis, dicit et ostendit, quantum de ipsis teneat, asserens, quod non in vacuum curreret, neque cucurrit nec in vanum laboravit, et quod gaudet et quod congratulatur de ipsis, et quod libenter immolatur et vult offerri in sacrificio pro fide eorum; et quod ex dilectione, quam habet ad eos, (mittit ad eos) Timotheum sibi et eis amantissimum. Et quod adhuc ipsemet confidit in Domino, se ad eos venturum. Et quod mittit eis eorum episcopum Epaphroditum, de quo dolebant Philippenses, quia audierant ipsum infirmantem.

6. Sexta vero pars est *eruditiva* et ad cautelam inductiva respectu pseudoapostolorum, qui praedicabant, circumcisionem et legalia servari debere cum fide, cap. 3. quod incipit: « De cetero, fratres mei ».

Unde primo premittit excusationem super hoc, quod repetit hanc materiam de legalibus, cum in

aliis epistolis de hac materia fecisset sufficientem tractatum. Excusat enim se, sic dicens: « Mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium » etc.

Secundo vero ponit suam eruditionem et cautelam contra pseudoapostolos, quos vocat canes, malos operarios et derisorie *concisionem*, non circumcisionem, quia nos sumus vera circumcisio, vere circumcisi in spiritu, non in carne. Et hoc facit ibi (c. 3, 2.): « Videte canes ».

Tertio vero ponit circa istam materiam suam intentionem quantum ad id, quod tangit personam suam: quia cum ipse circumcisus fuisset octava die de genere Israel et pharisaeus et aemulator legis prius exsisteret, circumcisionem tamen et legem etiam contemnebat ut stercora, ut Christum lucraretur et iustitiam, quae est ex fide eius, et societatem mortis et passionis eius et gloriam resurrectionis ipsius; ibi (v. 4.): « Si quis alius videtur confidere ».

Quarto vero, quia videbatur se commendasse atque iactasse, ponit quandam humilem excusationem, dicens, quod ipse non reputat se perfectum, nec comprehendisse, sed nititur comprehendere, et prosequitur ac se extendit ad bravium supernae vocationis; ibi (v. 12.): « Non quod iam acceperim ».

Quinto invitat Philippenses ad sui imitationem circa contemptum legalium et circumcisionis, monens, ut non imitentur inimicos crucis Christi, cuiusmodi erant, qui circumcisionem et legalia praedicabant servanda. Tales enim confidebant in carnalibus et terrenis, non autem in caelestibus et in Christo; ibi (v. 17.): « Imitatores mei estote ».

7. Septima pars est *confirmativa et consolativa* oppressorum et tribulatorum. Dictum est enim su-

pra, quod Philippenses multa erant passi pro Christo et patiebantur; et ideo indigebant confortatione et consolatione (c. 4, 1-9.): « Tamquam fratres mei carissimi... gavisus sum in Domino vehementer ». Consolatur autem eos:

Primo implorando personarum devotarum auxilium et adiutorium, Clementis scilicet et Germani et aliorum perfectorum virorum, rogans eos, ut ipsi debeant Philippenses confortare.

Secundo confortat eos praedicendo, adventum Christi eis esse propinquum ad subveniendum ipsis, ibi (v. 4.): « Gaudete in Domino semper, iterum dico » etc. Bis enim monet eos ad gaudium et petit pro eis pacem Christi, quae exsuperat omnem sensum, ut custodiantur usque ad Christi adventum, qui appropinquat ad liberationem eorum.

Tertio confortat eos ostendendo, qualiter debent liberum animum habere, quia non habent de aliquo curare, nisi quod cogitant, quaecunque sunt vera, quaecunque pudica, quaecunque iusta, quaecunque sancta, et reliqua, quae ponit, et promittit, quod his cogitatis Deus pacis erit cum eis ad omnem confortationem ipsorum.

8. Octava vero pars et ultima est *rememorativa donorum* a Philippensibus Apostolo transmissorum. Unde dicit, se fuisse valde gavisum de dono, quod miserant, in quo videbantur refloruisse, hoc est, de novo sensisse penuriam, quam Apostolus exsistens in vinculis tolerabat. Dicit autem non fuisse gavisum propter sui penuriam, cum sciret, « abundare et penuriam pati »; sed quia ipsi erant effecti participes meriti tribulationis suae. Et durat pars illa a loco, ubi scribitur (v. 10): « Gavisus sum etiam

in Domino vehementer », usque in finem epistolae, quae in salutatione et postulatione gratiae terminatur.

Incipit epistola ad Colossenses.

Nunc accedit epistola ad Colossenses, quae intendit unam conclusionem, videlicet eos animare ad amorem Christi et suae fidei, pro eo quod a pseudoapostolis tentabantur et inducebantur, ut circumcisionem acciperent et legalia observarent. Volens ergo Apostolus eos retrahere ab amore legalium et ita resistere suasionibus illorum, monet eos et inducit ad adhaerendum fidei et diligendum Christum.

Dividitur autem praesens epistola *in duodecim partes* principales:

Primo namque inducit et allicit per *salutationem* amicabilem et devotam, ibi: « Paulus apostolus Iesu Christi.

Secundo vero eos allicit et inducit propter *perfectionem* multiplicem eis a Christo collatam et gratiam, quia inter alios fideles abundabant in fide et spe et dilectione in sanctos, et crescebant ac fructificabant in omni perfectione. Et in hoc inducit testimonium cuiusdam discipuli, qui converterat eos, Epaphras nuncupati, qui retulerat Apostolo perfectiones praedictas de Colossensibus. Ex quibus dicit se incitatum orare pro eis, ibi (c. 1, 3-11.): « Gratias agimus Deo Patri », usque: « Gratias agentes Deo Patri ».

Tertio vero eos allicit et inducit per *Christi commendationem et excellentiam*. Et ponit excel-

lentias Christi quatuor: primam quod sorti sanctorum et collegio nos aggregavit. Secundam, quia nos eripuit de potestate tenebrarum, diaboli scilicet et inferni. Tertiam, quia nos transtulit et inseruit in regnum sui filii. Quartam, quia per Iesum habemus remissionem et redemptionem omnis peccati.

Deinde vero ponit excellentias Christi respectu *Dei patris,* quae sunt duae: prima, quod est ipsius imago et speculum; secunda, quod est primum emanans ab ipso et omnis emanationis principium, et ideo dicitur (v. 15.): « Primogenitus omnis creaturae ».

Deinde vero ponit excellentias Christi respectu *totius universi,* quae sunt tres: prima quidem, quod omnia sunt condita in ipso tamquam in causa exemplante; secunda vero, quia omnia sunt ab ipso producta, sive in caelo, sive in terra, tamquam ab efficiente; tertia vero, quod omnia sunt post ipsum et in ipso et sub ipso tamquam sub causa conservante.

Deinde vero ponit Christi excellentias in spirituali respectu *corporis Ecclesiae,* quae sunt tres: prima quidem, quod est caput Ecclesiae vivificans; secunda, quod est primogenitus inter resurgentes, resurrectionem nuntians; tertia, quod ipse est Deitatis locus proprius, Ecclesiam cum Deo pacificans et reconcilians.

Et ex hoc inferendo inducit et allicit Colossenses, quod ut in fide ipsius fundati et stabiles permaneant (c. 1, 12-23.): « Gratias agentes Deo Patri », usque ibi: « Cuius factus sum ego Paulus minister ».

Quarto vero eos allicit et inducit per *sui ipsius sufficientiam et tolerantiam passionum* pro fide ac

patientiam multam. Ex hoc enim, quod ipse gaudebat in passionibus, quas tolerabat pro Colossensibus, pro eo quod ipsis et ceteris fidelibus veram fidem praedicando docuerat, circumcisionem et cetera legalia non debere observari, de hoc utique exemplo Pauli debebant solum Christum diligere et in ipsius iussionibus gloriari et circumcisionem et cetera alia legalia contemnere.

Ponit ergo Apostolus suam patientiam dicens: « Nunc gaudebo in passionibus pro vobis, et adimplebo ea quae desunt passionum Christi ». Deinde vero ponit suam sufficientiam dicens (c. 1, 24-29.): « Factus sum ego Paulus minister secundum dispensationem Dei, quae data est mihi ».

Quinto vero eos allicit et inducit eos per *sui amicitiam et affectionem puram,* dicens, quod licet eos non viderit in facie, nec e converso, tamen pro ipsis et pro aliis, qui non viderunt faciem suam, est summe sollicitus, ut in fide instruantur ac intellectu sapientiae et scientiae Christi impleantur, et ne per verba aliquorum sublimia et fallacia decipiantur. Et rationem huius sollicitudinis assignat, quod licet sit absens corpore, est tamen praesens spiritu cum ipsis et videt mente, quomodo sunt firmati in fide, cum vivant ordinate. Et ideo concludit, quod debent esse radicati et confirmati in vera fide, ne a seductoribus moveantur. Durat autem pars illa a cap. secundo usque ibi (v. 8.): « Videte, ne quis vos decipiat ».

Sexto allicit eos et inducit per *Christi sapientiam et scientiam infinitam.* Nam pseudoapostoli videbantur eos decipere per traditiones humanas et rationes sensibiles et philosophiam ac primitias

ac pueriles observantias, quae praecesserunt in lege. Erant enim ex ipsis quidam Iudaei et isti arguebant contra fidem per elementa huius mundi, i. e. per legalia, quae sunt prima et per consequens habent modum alphabeti et elementi. Quidam vero ex ipsis erant philosophi et isti arguebant contra fidem per principia naturalia et sensibilia, tamen fallaciter, et per traditiones hominum et per propositiones a philosophis traditas et inventas.

Monet ergo Apostolus, ne ab istis decipiantur, sed attendant ad plenitudinem divinitatis Christi, qui est caput omnis principatus et potestatis et omnium angelorum et per consequens sua sapientia infinita transcendit omnem philosophiam et omnem sapientiam pseudoapostolorum.

Et prosequitur, quomodo per Christum omnes fideles observant legalia quantum ad veram intellectum. Nam et circumcisi sunt et expoliati, non in carne, sed in spiritu, non a praeputio corporali, sed a praeputio delictorum per baptismum et resurrectionem Christi. Et cetera legalia evacuata sunt et obligatio ad illa soluta est, quia chirographum decreti et mandati ipsorum tulit Christus de medio et affixit illud cruci. Et idcirco concludit, quia caeremonialia de cibis et potibus, neomeniis et festis et ceteris legalibus erant umbrae quaedam et similitudines figurales, quarum est corpus Christus et veritas. Idcirco nullus potest eos de istorum inobservantia iudicare. Durat autem haec pars ab illo loco (c. 2, 8-17.): « Videte, ne quis vos decipiat... volens in humilitate ».

Septimo eos allicit et inducit *detegendo pseudoapostolorum versutiam et vitam simulatam,* di-

cens, quod tales seductores exterius veniunt in humilitate et in religione angelorum, et tamen interius sunt inflati ex reputatione sui generis, quia Iudaei sunt, et ex reputatione suae circumcisae carnis, et ita non gloriantur in solo capite Iesu Christo. Et hoc probat. Nam ipsi non tenent illud, quod significat mors et passio Iesu Christi, quae significat mortificationem omnium legalium, quae praecesserunt tanquam alphabetum quoddam et elementum puerorum, quia lex fuit paedagogus noster in Christo, ut dicebatur supra ad Galatas tertio (v. 24.). Denique isti autem non fundant se monendo homines ad observantiam legalium, nisi in praeceptis et doctrinis hominum et in sapientia superstitiosa et in humilitate ficta et simulata vita. Durat autem haec pars ab illo loco (c. 2, 18-23.): « Nemo vos seducat », usque in finem capituli.

Octavo eos allicit et inducit per *resurrectionem Christi* et sessionem in caelis gloriosam, dicens, quod quia Christus est sursum in dextera Dei sedens, nullus fidelis debet sapere nec spem suam ponere in his, quae sunt super terram, sed in solo Christo, et per consequens nec confidere debet in circumcisione carnis aut in cibis et potibus legalibus et aliis caeremoniis, quae sunt purae carnales et purae corporales. Et durat haec pars a cap. 3: « Igitur si consurrexistis », usque ibi (v. 4.): « Mortificate igitur membra vestra ».

Nono eos allicit et inducit per *eruditionem moralem* et salubrem doctrinam *in generali* datam. Docet enim eos:

Primo, quod debent *mortificare et interficere,* quia peccata carnalia, fornicationem, immunditiam et libidinem.

Secundo vero, quod debent *deponere,* quia peccata spiritualia, scilicet iram, indignationem, mendacium et turpem sermonem. Carnalia quidem peccata debent *interfici,* quia procedunt ex incentivo carnis; sed spiritualia debent *deponi,* quia sunt quasi quaedam pondera spiritus et mentis.

Tertio vero docet eos, quod debent exuere conversationem antiquam et veterem et omnes actus eius; quae quidem conversatio dicitur vetus homo.

Quarto docet eos, quod debent *induere,* quia novum hominem et novam conversationem, quae est ad imaginem et similitudinem vitae Christi. In qua quidem conversatione nullam differentiam facit sexus masculinus vel femininus, sed nec populus gentilis aut Iudaeus, sed nec ritus circumcisionis aut praeputii, sed nec conditio servilis aut libera, nec lingua barbarica aut latina.

Quinto vero docet eos, inter haec indumenta *distinguere,* dicens, quod illa indumenta novi hominis sunt benignitas et humilitas, modestia et patientia, et sic de aliis virtutibus, quas Christus nobis sicut novus homo attulit et portavit.

Sexto docet eos, omnia illa indumenta *succingere et vestire,* dicens: « Super omnia caritatem habete, quod est vinculum perfectionis ».

Septimo docet eos, omnia haec indumenta *polire* et in quadam recentia tenere. Nam pax cordis et gaudium in Christo et gratitudo ac devotio et spiritualis cantus ac laudis exhibitio sunt, quae liniunt et tenent in recentia omnes virtutes, et ad illa ultimo monet. Durat autem illa pars ac doctrina moralis a cap. 3, 5-17. « Mortificate ergo membra vestra », usque ibi: « Mulieres subditae setote viris ».

Decimo eos allicit et inducit per *moralem doctrinam in speciali* promulgatam, quantum ad omnem personam. Instruit enim uxores et viros, patres et filios, servos et dominos unumquemque in sua propria virtute (c. 3, 18.): « Mulieres subditae », usque ibi (c. 4, 1.): « Orationi instantes ».

Undecimo eos allicit et inducit per *familiarem scripturam* et orationum suarum requisitionem devotam. Requirit enim, ut orarent pro eo. Et scribit, quod Titus suus frater et Onesimus, quos mittit ad ipsos, omnia, quae circa ipsum agantur, nota eis facient, ut consolentur corda ipsorum (c. 4, 2-9.): « Orationi instantes », usque ibi: « Salutat vos Aristarchus ».

Duodecimo et ultimo eos allicit et inducit per *salutationem sanctorum fratrum,* qui cum ipso erant, carissimam et intrinsecam, et per salutationem sua manu conscriptam. Et durat pars illa a loco praefato: « Salutat vos Aristarchus » usque in finem epistolae totalis.

Incipit prima epistola ad Thessalonicenses.

Nunc accedit epistola prima ad Thessalonicenses, et intendit *quinque conclusiones.* Illud enim primo sciendum est, quod isti erant valde perfecti viri, ita quod non solum pseudoapostolos a se repulerant, imo et pro veritate et sanctitate fidei, quam servabant, sustinebant persecutiones et bonorum direptiones et mortes et martyria a civibus suis. Et idcirco Apostolus super eorum perfectione in praesenti epistola gratias agit et ad consolationem inducit eos et suam dilectionem ad eos expri-

mit. Et in quatuor, in quibus deficiebant, eos corrigit et in moribus eos informat et instruit.

Et secundum hoc haec epistola dividitur in *quinque partes* iuxta istas 5 conclusiones.

Primo namque Apostolus, salutatione praemissa, nititur, *Deo gratias* agere super Thessalonicensium magna perfectione et multa, quia etiam erant perfecti in fide et in caritate et in sustinentia et in spe et in omni virtute et sancta plenitudine Spiritus sancti, quia erant effecti imitatores Apostoli et erant in omni loco quoad sanctitatem et fidem famosi (c. 1.).

Secundo vero nititur *ad consolationem et gaudium* eos inducere super tribulationibus, quas patiebantur. Inducit autem eos ad gaudendum, quia in hoc facti sunt imitatores Apostoli ipsius, cuius gratia narrat, per quem modum se habuit inter ipsos:

Primo enim ad eos veniens contumelias et passiones sustinuit; deinde vero non errores aut immunditiam, sed vera et sancta docuit; deinde vero ab omni adulatione et avaritia et appetitu gloriae immunis fuit; deinde vero summum amorem eis ostendit, quia non solum evangelium praedicavit, sed labores et fatigationes inter eos sustinuit et in omnibus se ad eos habuit sicut pater.

Et tunc concludit ad gaudium eorum, quomodo ipsi in his omnibus facti erant imitatores Apostoli, et non solum ipsius, imo etiam Ecclesiae primitivae, quae collecta erat in Hierusalem et Iudaea, quoniam, sicut ipsi passi fuerunt a Iudaeis, sicut habetur in Actibus apostolorum, et ita et ipsi erant a suis contribulibus. Et idcirco concludit, quod ipsi

sunt suum gaudium, sua gloria et corona in praesenti et erunt in adventu Christi in die iudicii, ex quibus debent Thessalonicenses merito consolari (c. 2.).

Tertio vero nititur *suam effectionem singularem* et suam diligentiam erga ipsos exprimere, dicens, quod ex nimio amore ipsorum non potuit amplius sustinere, quin ipse remaneret solus et mitteret eis Timotheum, ad eos confirmandum, ne moverentur in tribulationibus illis, in quibus ipsemet praedixerat eis quae essent passuri. Et multa alia tangit, ex quibus exprimit suam dilectionem erga ipsos, scilicet quod multam consolationem receperat audiens a Timotheo, quod in fide firmiter stabant nec in tribulationibus deficiebant. Et quia nescit, ut dicit, quales et quantas gratias pro ipsis retribueret Deo; et quia tandem orat, ut eos Deus in omni caritate multiplicet et eorum corda usque ad adventum Domini Iesu Christi corroboret et confirmet (c. 3.).

Quarto nititur eos super *quadruplici imperfectione* corrigere. Licet enim communitas perfecta esset et sancta, aliqui tamen inter eos erant defectuosi. Erant enim inter eos quidam fornicarii, quidam vero accidiosi et pigri, quidam vero super morte parentum et amicorum suorum nimis dolentes et anxii, quidam vero de novissimis temporibus et momentis adventus antichristi et futuri iudicii nimis inquirentes et in his solliciti. Corrigit ergo eos in his quatuor:

Primo quidem corripit fornicarios dicens (v. 3.): « Haec est enim voluntas Dei sanctificatio vestra ».

Secundo vero otiosos, ibi (v. 10.): « Rogamus autem vos, fratres, ut operamini manibus vestris ».

Tertio corripit de morte parentum nimis anxios, subdens (v. 12.): « Nolumus autem vos, fratres, ignorare de dormientibus » etc.

Quarto arguit disputantes de temporibus et momentis et de die iudicii nimis sollicitos, subdens (c. 4, 1.): « De temporibus autem et momentis ».

Quinto vero et ultimo nititur eos *in moribus* (sicut decet) instruere. Non enim eos instruit sicut imperfectos, sed ut superiores diligant, imperfectos corripiant, infirmos suscipiant, ad omnes patienter se habeant, spiritum non exstinguant, prophetiam non spernant, et similia, quae decent viros perfectos.

Durat autem haec pars a praefato loco: « Rogamus autem vos, fratres » usque in finem epistolae, quae in salutatione fratrum terminatur et in postulatione gratiae Domini nostri Iesu Christi pro ipsis Thessalonicensibus.

Incipit epistola secunda ad Thessalonicenses.

Nunc accedit epistola secunda ad Thessalonicenses. Et intendit principaliter unam conclusionem, eos informare *de adventu diei iudicii,* quia ab aliquibus eorum credebatur, quod esset cito ventura propter tribulationes, quas sustinebant. Praedixerat enim Salvator, loquens de praedicta die (Matth. 24, 8-14.): « Tunc tradent vos in tribulationem et occident vos, et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum... et tunc veniet consummatio ». Ex hoc igitur multum movebantur et erant suspensi. Et propter hoc Apostolus in praesenti epistola ad oppositum eos docet, ponens multa, quae debent praecedere diem illam.

Dividitur autem haec epistola in *tres partes.*

1. Prima namque est *commendativa* Thessalonicensium. Praemissa quidem salutatione, gratias agit Apostolus pro ipsis. Et commendat eos:

Primo de fidei unitate et veritate, dicens: « Quoniam supercrescit fides vestra ».

Secundo de mutua caritate, subdens: « Abundat caritas uniuscuiusque vestrum in invicem ».

Tertio de patientia in tribulationibus et stabilitate, subdens: « Ita ut in vobis gloriemur pro patientia vestra ».

Quarto de praemii magnitudine et immensitate, danda eis in futuro iudicio, subdens: « Ut digni habeamini in regno Dei ».

Quinto de adversariorum iusta poena futura et ventura calamitate, ibi (v. 6.): « Si tamen iustum est ». *Si* pro *quia,* quia iustum est retribuere his qui vos tribulant.

Sexto huius gratia agit de maiestate Christi ad iudicium venientis, ibi (v. 7.): « In revelatione Domini nostri » etc.

Septimo orat pro martyrii honore et dignitate, ut detur Thessalonicensibus, qui iam tot alia, ad martyrium disponentia erant pro Christo passi, ibi (v. 11.): « In quo etiam oramus, ut clarificetur nomen Domini Iesu Christi in vobis ». Haec enim clarificatio in scriptis refertur ad martyrium et ad mortem, iuxta illud (Ioan. 21, 19.): « Significans, qua morte clarificaturus esset Deum ». Durat autem haec pars per totum capitulum primum.

2. Secunda vero pars est *reserativa futurorum* et eruditiva respectu novissimorum temporum.

Et primo agit de die iudicii, praedicens, quod nec ita cito veniet nec sic instat, ut illi credebant. Et ideo monebat, ne terrerentur ex hoc aut moverentur (c. 2, 1.): « Rogamus autem vos, fratres ».

Secundo agit de adventu antichristi, praecipue ostendens, quod ille praeveniet diem iudicii, ibi (v. 3.): « Quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati ».

Tertio agit de adventu cuiusdam antichristi praevii, scilicet Neronis impii, et de destructione imperii romani, ibi (v. 6. 7.): « Et nunc quod detineat scitis ».

Quarto regreditur ad modum et qualitatem adventus magni antichristi, ibi (v. 8.): « Et tunc revelabitur ille magnus (iniquus) ».

Quinto praedicit, qualiter et quomodo per adventum ipsius seducentur Iudaei, ibi (v. 10.): « Et in omni seductione ».

Sexto concludit, qualiter et ipsi Thessalonicenses et ceteri ad fidem conversi tenentur Deo regratiari, quia non erunt per illum seducti, ibi (v. 12.): « Nos autem debemus gratias agere Domino Deo ». Durat ergo haec pars per totum capitulum secundum.

3. Tertia pars et ultima est *informativa bonorum morum* et durat per totum capitulum tertium et ultimum.

Ubi primo implorat eorum suffragia, ibi (v. 1.): « De cetero, fratres, orate pro nobis ».

Secundo vero monet et orat, ut habeant corda in obedientia et in caritate Dei ac patientia directa, ibi (v. 4.): « Confidimus autem de vobis, fra-

tres in Domino... Dominus autem dirigat corda vestra ».

Tertio monet, ut abstineant et separent se a quorundam societate perversa et inordinata, scilicet a societate pseudoapostolorum. Et hoc facit ibi (v. 6.): « Denuntiamus autem vobis, fratres, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate ». Et ibidem describit deordinationem talium, quiá sunt inquieti et otiosi et aliorum panem gratis manducantes, cuius oppositum fecerat inter eos.

Quarto monet eos, ut tales inordinatos non reputent inimicos, sed quod eos corripiant in caritate vera, ibi (v. 15.): « Nolite quasi inimicum existimare ».

Quinto terminat suam epistolam in salutatione manu sua conscripta et in supplicatione et oratione devota, quam pro ipsis ad Deum facit, ibi: « Ipse autem Deus pacis det vobis pacem sempiternam » etc.

Incipit epistola prima ad Timotheum.

Nunc accedit prima epistola ad Timotheum. Et intendit unam conclusionem describere, scilicet *qualiter se debeat habere episcopus* et maxime superior, utpote archiepiscopus vel primas in regimine suo. Timotheus namque fuerat ab Apostolo ordinatus episcopus Ephesinus, quae erat civitas metropolis Asiae. Et idcirco instruit ipsum, qualiter se debeat habere in regendo. Et quia episcopale officium est:

1. Officium propugnantis respectu infidelium; et est

2. Officium exhortantis et supplicantis pro populo in ordine ad Deum; et est

3. Officium determinantis universum ecclesiasticum grădum et statum; et est

4. Officium exemplantis et aedificantis in ordine ad populum, qui habet exemplar illius imitari; et est

5. Officium dispensantis et providentis respectu pauperum, quia bona Ecclesiae sunt bona pauperum per episcopum dispensanda, prout unusquisque fidelium opus habet, ut patet Actuum cap. 2, 45.; et est

6. Officium iudicantis et condemnantis reum quantum ad exterius forum; et est

7. Officium praedicantis et docentis veritatem morum; ideo Apostolus in hac epistola Timotheum informat quantum ad istos 7 actus, et secundum hoc *dividitur in septem partes.*

PRIMA PARS.

Primo namque Apostolus Timotheum docet, qualiter debeat resistere et *impugnare errores infidelium*, maxime Iudaeorum, qui volebant fideles inducere ad observantiam literarum legalium (c. 1.).

Ubi praemittit salutationem, dicens: « Paulus apostolus » etc.

Deinde subdit intentam exhortationem. Hortatur enim ipsum, ut denuntiet pseudoapostolos et Iudaeos, ne doceant fabulas et genealogias et quaestiones interminatas et talia quae pertinent ad legalia, ibi (v. 3.): « Sicut rogavi te ».

Deinde istius exhortationis subiungit rationem primam, quia tota lex non aliud intendit, nisi caritatem, purum cor, bonam conscientiam et fidem

non fictam; nec ad aliud legalia ordinantur nisi ad figurandum ista. Et quia falsi fratres praedicti hoc non intelligunt, idcirco in praefatum vaniloquium convertentur. Et hanc rationem ponit ibi (v. 5.): « Finis autem praecepti ».

Secundam rationem subdit ibi, dicens (v. 8.): « Scimus autem, quia bona est lex », quod licet lex bona sit, non tamen posita est propter iustos, sed peccatores. Et narrat diversa peccata, quae repugnant legi, quae quidem pari modo repugnant evangelio. Et sic patet, quod lex illud idem intendit, quod evangelium, scilicet bonos mores. Et idcirco qui moralia legis observant, totam legem observant, quia aliud non intendit. Qui autem servant evangelium, servant legem, dato quod caeremonialia non observent.

Deinde ponit Apostolus de sua vocatione a Christo devotissimam gratiarum actionem hac occasione, quia Iudaeos visus est vituperare et increpare, tamquam de se ipso superbiendo, cum illos contemneret. Et idcirco confitetur, se prius fuisse blasphemum, persecutorem et contumeliosum et peccatorem, sicut et Iudaei nunc sunt. Et quod ipse in illis non remansit, non est sibi imputandum, sed misericordiae Dei. Et ideo super hoc regratiatur Regi saeculorum immortali et invisibili, ibi (v. 12.): « Gratias ago ei, qui me confortavit ».

Deinde resumit suam exhortationem praecipiens Timotheo, ut bene militet contra praefatos Iudaeos et maxime cum bona conscientia, ibi (v. 18.): « Hoc praeceptum commendo tibi ».

Deinde vero ostendit casum aliquorum et deviationem a fide propter defectum praedictae bonae

conscientiae, ibi (v. 19-20.): « Quam quidam repellentes ».

SECUNDA PARS.

Secundo principaliter docet eum *orationi insistere* et iugiter orare Deum. Et durat pars per totum capitulum secundum.

Ubi primo docet, qualiter et pro quibus debeat orare *per se ipsum;* quia pro regibus et omnibus hominibus. Pro regibus quidem, ut sub eorum regimine vitam quietam et honestam agamus in omni virtute. Pro omnibus autem hominibus, quia Salvator noster vult omnes homines salvos fieri et pro redemptione omnium se obtulit, et ipsemet Apostolus, gentium praedicator et doctor, ita statuendum decrevit, ibi (c. 2, 1-7.): « Obsecro vos », usque: « Volo ergo ».

Deinde vero Timotheum instruit, qualiter debeat *informare populum orantem.* Nam viri possunt in omni loco orare, levando puras manus ad Deum. Mulieres autem orare debent in habitu ornato cum verecundia et sobrietate et in silentio; nec debent in publico mulieres docere aut dominari viris, quod probat per Adam et Evam, ibi (v. 8-15.): « Volo ergo viros orare ».

TERTIA PARS.

Tertio vero docet eum, disponere et *ordinare omnem gradum ecclesiasticum.* Et durat haec pars per totum capitulum tertium.

Ubi primo docet, qualem *episcopum* debeat ordinare, cum ait: « Si quis episcopatum desiderat,

bonum opus desiderat; oportet ergo » etc. Deinde vero, qualem non debeat in episcopum ordinare, quia non illum, qui prius nescivit semetipsum aut domum suam regere, nec neophytum nec de crimine diffamatum, ibi (v. 5.): « Si quis autem domui suae praeesse nescit ».

Deinde vero docet, qualem debeat ordinare in *diaconum*, ibi (v. 8.): « Diaconos similiter ».

Deinde vero agit de uxoribus eorum, ibi (v. 11.): « Mulieres similiter pudicas ».

Deinde reddit rationem Apostolus, quare sic diligenter circa illam materiam informet eum. Facit autem hoc, tum quia forsitan tardabit venire ad eum, tum quia Ecclesia est columna Dei vivi et firmamentum veritatis et continet Christi dignissimum et sacratissimum sacramentum, et ideo oportet, omnem gradum ecclesiasticum esse bene dispositum, ibi (v. 14-16.): « Et haec tibi scribo, fili » etc.

QUARTA PARS.

Quarto docet eum, *honeste vivere* et exhibere sibi subditum populum. Et durat pars illa per totum capitulum quartum.

Ubi primo monet *ad vitae austeritatem*. Sed quia aliqui abstinent a cibis et ieiunant et sunt austeri intentione haeretica et prava, credentes, quod sit peccatum, aliquos cibos comedere et similiter in matrimonio vivere; ideo detegit errores istorum, ne suadens per poenitentiam et austeritatem videatur errorem istum approbare. Sciebat enim, quod futuri essent haeretici Manichaei, qui ista

dicerent et ex dictis ipsius se communire vellent. Et hoc dicit ibi (c. 4, 1.): « Spiritus autem manifeste dicit » etc.

Deinde monet *ad misericordiam et pietatem,* quae multo plus valet secundum eum, quam austeritas et poenitentia, quae est exercitatio corporalis, ibi (v. 7.): « Exerce te ipsum ad pietatem ».

Deinde vero occasionaliter ponit quorundam hominum *caecitatem,* qui fidem Christi ex hoc vituperant, quia aspicimus in laboribus nostris ad vitam futuram. Et hoc facit occasione accepta, quia dixerat, pietatem habere promissionem vitae futurae; propter hoc enim subdit (v. 9.): « Fidelis sermo, in hoc maledicimur, quia speramus in Deum vivum ».

Deinde vero monet *ad gravitatem doctrinae* et auctoritatem, ibi (v. 11.): « Praecipe », hoc est doce. « Nemo adolescentiam tuam contemnat ».

Deinde vero monet ad omnium *virtutum exemplaritatem,* ibi (v. 10.): « Sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione » etc.

Monet *ad studium* et lectionem et ad contemplationis veritatem et sinceritatem, ibi (v. 13.): « Dum venio, attende lectioni » etc.

Deinde vero, quia studium ordinatur ad doctrinam, monet *ad eruditionis diligentiam* quantum ad sibi subiectos et sedulitatem. Docet autem cavere modum increpativum et habere modum obsecrativum in erudiendo, ibi (v. 16.): « Attende tibi et doctrinae insta » etc.

QUINTA PARS.

Quinto docet eum *providere et bene dispensare bona Ecclesiae* respectu indigentium; incipit

(c. 5.): « Viduas honora ». Considerandum autem, quod in hac parte quinta accipitur honorare secundum Augustinum pro subvenire. Tunc autem episcopus ex introductione Ecclesiae primitivae ministrabat bona Ecclesiae mulieribus viduis, quibus hodie succedunt mulieres religiosae pauperes; similiter et presbyteris ac praedicantibus, qui alios informabant, unde et de viduis habetur Actuum (c. 6, 1.): « In ministerio quotidiano viduae eorum », et de praedicantibus Lucae (c. 10, 7.): « Dignus est enim operarius mercede sua ».

Primo igitur docet Timotheum, *quibus viduis* debeat providere, dicens: « Viduas honora » etc. Deinde gratia huius ostendit, quales debent esse viduae, quae debent eligi, ut de communibus sumtibus Ecclesiae provideatur eis. Nam debent esse prius approbatae in regimine domus suae. Et hoc ostendit ibi (v. 5.): « Quae autem vere vidua » etc. Et idem debent esse abstinentes a superflua delectatione, quod ostendit ibi (v. 6.): « Nam quae in deliciis » etc. Et iterum debent esse annosae, quod dicit ibi (v. 9.): « Vidua eligatur non minus sexaginta annorum ». Et iterum debent esse bonae famae et in virtutibus exercitatae, quod ostendit ibi: « Quae fuerit unius viri uxor ». Deinde vero ostendit, quod non debent eligi in viduas, ut illis provideatur de communibus sumtibus Ecclesiae, quia non iuvenes et adolescentulae, quae prius fuerunt fornicatae; nec etiam verbosae, curiosae et vanae, sed tales iuvenes debent nubere et filios procreare. Et tunc concludit, quod si quis habet in domo sua viduas, nutriat eas, ne gravetur Ecclesia. Possunt autem omnia ista ad mulieres religiosas referri.

Deinde vero ibi (v. 17.): « Qui bene praesunt presbyteri » docet, quibus *praedicantibus* maxime debeat providere, quia illis, qui bene laborant in verbo et doctrina; illis enim in duplo providendum est, quam aliis, et hoc intelligit, cum dicit: « Quia presbyteri duplici honore sunt digni maxime » etc.

SEXTA PARS.

Sexto vero docet eum *punire et iudicare quantum ad exterius forum,* ibi (c. 5, 19-25.): « Adversus presbyterum accusationem noli accipere ».

Nam primo docet, quomodo accusatores aut testes recipiendi sunt contra presbyterum.

Deinde vero, coram quibus debet aggravare et punire reum; quia coram omnibus, ibi: « Peccantes autem coram omnibus argue ».

Deinde docet, in punitionibus debere praecedere inquisitionem et diligens scrutinium, ibi: « Testor coram Deo et Iesu Christo ».

Deinde docet, in iudicio non debere esse levem, aut voluntarium, sed iustum, ibi: « Manus cito nemini imposueris », et potest intelligi vel de condemnatione vel de ordinatione.

Deinde docet, iudicem debere esse irreprehensibilem et honestum, ne in eo, in quo alium iudicat, se ipsum condemnet: « Te ipsum castum custodi ». Et quia Timotheus amore castitatis se nimis macerabat, subiungit: « Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere ».

Deinde vero ponit differentiam peccatorum, quia quaedam sunt publica, quaedam occulta; ut ex hoc doceat, quae sunt illa, quorum examinatio

diligens debet praecedere iudicium, ibi: « Quorundam hominum peccata manifesta sunt ».

SEPTIMA PARS.

Septimo docet eum *praedicare et erudire et instruere* in veritate morum subiectum sibi populum; et durat per totum cap. 6.

Ubi primo docet, qualiter instruendi sunt *servi*, scilicet ut dominos honorent et eis fideliter obsequantur; propter quod reprobat errorem quorundam, qui dicebant, quod servus ex hoc ipso, quia baptizatus est et fidelis effectus, non tenebatur dominos revereri nec ipsis obedire, quia tales erant eorum fratres et pares in fide. Docentes autem talia Apostolus dicit esse superbos et nihil scientes, et describit eorum multiplicia vitia, ibi (v. 1.): « Quicumque sunt sub iugo », usque ibi (v. 6.): « Est autem quaestus magnus ».

Deinde vero docet, qualiter instruendi sunt *domini;* et quia tales consueverunt esse avari et plurimum studere divites fieri, ideirco eos monet ad sufficientiam et ad vitandam avaritiam et appetitum divitiarum, et ad quaerendum divitias virtutum, scilicet iustitiam et pietatem, et divitias praemiorum caelestium, videlicet vitam aeternam; et dicit, quod istae divitiae decent hominem Dei. Et ut illa confiteatur coram divitibus, praecipit Timotheo. Et hoc facit ab illo loco: « Est autem quaestus magnus », usque ibi (v. 20.): « O Timothee, depositum custodi », alloquens Timotheum, monet eum, ut veram fidem custodiat et gratiam Dei sibi imploret. Et sic epistolam istam finit.

Incipit epistola secunda ad Timotheum.

Nunc accedit secunda epistola ad Timotheum. Ratio autem scribendi hanc secundam epistolam fuit, quia Apostolus Romae vinctus secundam confessionem coram Nerone fecerat et de proximo mortem suam et suum sacrum martyrium exspectabat. Et idcirco Timotheo sibi carissimo, quem prae ceteris suis discipulis tenerrime diligebat, negotium fidei et sacrae praedicationis, quod super omnia cordi habebat, in fine suo voluit commendare. Intendit ergo Apostolus in hac epistola conclusionem istam: recommendare videlicet cum summa efficacia Timotheo *praedicationem fidei* et divulgationem Christi per ipsum, quia ipse amplius super hoc per se ipsum certare non poterat, passioni propinquus. Dividitur ergo praesens epistola in *novem partes.*

Primo namque ipsum inducit ad zelum fidei et sacrae praedicationis amorem *ex sua intima et speciali amicitia*: quoniam enim ipsum prae ceteris diligebat, ideo opportebat ipsum insistere illi ministerio et officio, cui Apostolus semper institerat, cap. 1, 1., ubi vocat eum carissimum filium suum et reducit ad memoriam lacrymas eius et fidem matris et aviae suae et fidem puram, quae habitat in eo, usque ibi (v. 5.): « Propter quam causam moneo te ».

Secundo inducit ipsum *ex sua excellentia* et gratia a Deo accepta, quia prae ceteris discipulis acceperat gratiam a Deo per impositionem manuum ipsius, propter quod non debet erubescere testimonium Christi nec ipsum Romae vinculatum, sed collaborare in evangelio, pro quo ipse patiebatur nec

tamen erubescebat, quia certus erat de bono depósito sibi in die iudicii reservato. Et hoc facit ab illo loco (v. 6.): « Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei » etc., usque ibi (v. 13.): « Formam habere sanorum verborum ».

Tertio vero inducit ipsum *ex aliorum inconstantia* et perfidia, dicens, quomodo duo ex discipulis Pauli, imo fere omnes, qui erant in Asia, aversi erant a fide, excepto quodam dicto Onesimo et domo sua. Et propter hoc magis debebat esse sollicitus ad praedicandum, ex quo ceteri excidebant, ibi (v. 13-18.): « Formam habes sanorum verborum », usque in finem cap. primi.

Quarto vero inducit eum *triplici similitudine, exemplo et metaphora :* exemplo scilicet militis, qui debet esse strenuus in pugnando, et exemplo agonistae, qui debet esse sollicitus in certando, et exemplo agricolae, qui debet esse sollicitus in laborando et primus in percipiendo fructum, ibi (c. 2, 1-7.): « Tu ergo, fili mi », usque: « Memor esto Dominum Iesum Christum ».

Quinto vero ipsum inducit *ex gloria repromissa nobis* et finaliter exspectanda. Unde dicit, quod, quia Christus resurrexit a mortuis, si commorimur sibi, convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus, ibi (v. 8-14.): « Memor esto », usque: « Noli verbis contendere ».

Sexto vero inducit ipsum *ex loquacitate haeretica* et vanitate fabulosa. Si enim haeretici sunt solliciti pro sua vanitate et suis fabulis, quanto magis nos pro fidei veritate ? Et idcirco docet eum non contendere verbis cum talibus, sed eorum profana et vana verba devitare. Et ostendit rationem,

quare Deus permittit in Ecclesia aliquos talibus erroribus implicari per similitudinem, qua videmus, in magna domo non solum esse vasa aurea in honorem, imo et fictilia vasa in contumeliam et turpitudinem recipiendam, ibi (c. 2, 14-26.): « Noli verbis contendere », usque in finem cap. secundi.

Septimo vero inducit eum *ex multiplicatione malorum hominum* temporibus et diebus novissimis. Et hoc facit cap. 3, ubi

Praemittit, quomodo in diebus novissimis pessimi homines futuri sunt multis criminibus irretiti, ibi (c. 3, 1.): « Hoc autem scito, quia in novissimis » etc.

Deinde ostendit, quod iam actu in illis diebus erant tales multi, ibi (v. 6.): « Ex his enim sunt, qui penetrant domos » etc.

Deinde ex hoc concludit Timotheo, quod ipse debet esse in omnibus modo contrario iuxta exemplum sui, ibi (v. 10.): « Tu autem assecutus es meam doctrinam » etc.

Deinde infert, quod ex hoc debent esse virtuosi praepositi, ut per sacras literas et scripturas, quas didicit, corripiat et arguat errores praedictorum et instruat omnem hominem in iustitia et perfectione Christi, ibi (v. 14-17.): « Tu vero permane » etc., usque in finem capituli.

Octavo ipsum inducit *ex appropinquatione sui martyrii* et sua passione cito ventura; cap. 4, 1-8: « Testificor coram Deo et Christo Iesu » et deinceps ibi: « Ego enim iam delibor... Festina ad me venire cito ».

Nono vero et ultimo pro epistolae complemento scribit sibi et aperit quaedam *familiaria*. Rogat

etiam eum, cito venire ad se et apportare libros et suas membranas et alia multa; quae patent ab illo loco (v. 8-12.): « Festina ad me venire cito », usque in finem epistolae.

Incipit epistola ad Titum.

Nunc accedit epistola ad Titum, quem fecerat Apostolus Cretensem archiepiscopum. Et intendit unam conclusionem, scilicet erudire ipsum, qualiter exerceat bene suum officium. Dividitur autem praesens epistola in *quinque partes.*

Praemissa namque salutatione, primitus ipsum docet, qualiter se ipsum debet habere *in institutione presbyterorum.* Et hoc facit ab illo loco (c. 1, 5-10.): « Huius rei gratia », usque ibi: « Sunt enim multi inobedientes ». Docet namque, quales debent esse presbyteri simplices, cum ait: « Et constituas per civitates presbyteros ». Deinde quales debent institui presbyteri maiores, qui vocantur episcopi, ibi: « Oportet enim episcopum sine crimine esse »; vel forte eosdem nominat presbyteros et episcopos secundum Hieronymum.

Secundo vero docet ipsum, qualiter se debet habere *in confutatione Iudaeorum,* qui erant falsi christiani, inducentes fideles ad observantiam legalium. Et hoc ab illo loco (c. 1, 10-16.): « Sunt enim multi inobedientes », usque in finem primi capituli.

Ubi primo ostendit, quomodo Iudaei effecti falsi christiani erant ad decipiendum valde voluntarii, dicens: « Sunt enim multi seductores, maxime qui de circumcisione sunt ». Deinde ostendit, quod Cretenses erant valde inertes et valde cito poterant

decipi, ibi (v. 12.): « Dixit quidam ex illis: Cretenses semper mendaces ». Deinde vero ostendit, qualiter Titus et ceteri praelati ad resistendum istis debebant esse valde solliciti et parati, ibi (v. 13.): » Quam ob causam increpa illos » etc.

Tertio vero docet eum, qualiter se debet habere *in eruditione fidelium* singulorum secundum status diversos. Et hoc facit per totum cap. secundum, ubi docet ipsum, qualiter debeat erudire et informare homines antiquos et *senes,* dicens (v. 2-6.): « Tu autem loquere quae decent sanam doctrinam: senes ut sobrii sint ». Deinde, qualiter antiquas *mulieres,* ibi: « Anus similiter in habitu sancto ». Deinde qualiter *adolescentulas* et mulieres iuvenes, ibi: « Adolescentulas, ut viros suos ament ». Deinde qualiter homines *iuvenes* et adolescentes, ibi: « Iuvenes similiter ».

Et quia in moralibus magis movent facta quam verba, ideo monet eum, ut istas eruditiones faciat non tam verbo, quam exemplo, ibi (v. 7.): « In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum ». Deinde docet eum, qualiter debeat erudire *subditos* et servientes, ibi (v. 9.): « Servos dominis suis subditos esse ».

Deinde vero subdit rationem omnium praedictorum per *exemplum Christi,* qui ad hoc in hoc mundo apparuit, ut ipsum renovaret in virtutibus et vita sancta et omnes homines erudiret, saecularia desideria abiicere et virtuosam vitam ac mundam sectari. Et hoc facit ibi (v. 11.): « Apparuit enim gratia Dei » etc.

Quarto docet ipsum, qualiter se debet habere respectu *alienorum a fide* et exteriorum. Docet

enim, ut moneat fideles, subditos esse principibus et potentatibus saecularibus, de quibus constat, quod tunc erant infideles, quia pagani et gentiles, et quod moneat eos, ne litigent cum alienis a fide, nec eos blasphement neque vituperent. Et hoc facit ibi (c. 3, 1.): « Admone illos » etc. Deinde reddit huius rationem, quare non sunt infideles et gentiles a fidelibus blasphemandi. Et huius ratio est, quia nos aliquando fuimus similes illis et increduli et servientes desideriis et errantes. Nec ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, magis sumus salvi facti, quam illi, sed hoc fecit sola benignitas et humanitas Salvatoris. Et hoc facit ibi (v. 3.): « Eramus et nos aliquando insipientes » etc. Durat ergo ista pars quarta a principio capituli secundi usque ad locum ubi scriptum est (v. 8.): « Fidelis sermo » etc.

Quinto et ultimo docet eum, qualiter sese debeat habere *in evitatione haereticorum* et dogmatum perversorum. Debet enim evitare stultas quaestiones superfluas et suadere bona opera et virtutes. Debet enim hominem haereticum post unam et secundam correptionem totaliter evitare. Durat autem haec pars a praefato loco: « Fidelis sermo est et de his volo te confirmare alios », usque in finem epistolae, quam iuxta suam consuetudinem terminat in salutatione et postulatione gratiae Iesu Christi.

Incipit epistola ad Philemonem.

Nunc accedit epistola ad Philemonem, quae intendit unam conclusionem, *gratiam* scilicet *procurare Onesimo,* qui servus exsistens Philemonis ab

eo fugerat et tandem Romam veniens ab Apostolo in vinculis exsistente fuerat baptizatus. Et in hac epistola

Primo ipsum salutat dicens (v. 1-3.): « Paulus vinctus ».

Secundo vero ipsius fidem et caritatem et pietatem in sanctos commendat. Et durat pars illa ab illo loco (v. 4-7.): « Gratias ago », usque ibi: « Propter quod multam fiduciam ».

Tertio vero sibi aperit, quantam fiduciam et spem de ipso habeat, ab illo loco (v. 8-9.): « Propter quod multam », usque ibi: « Obsecro te ».

Quarto vero pro Onesimo deprecatur, ut illi indulgeat pro eo, quod ab eo aufugerat, et quod ipsum devote suscipiat, ab illo loco: « Obsecro te pro meo filio », usque ibi (v. 10-14.): « Forsitan enim ideo discessit ad horam a te » etc.

Quinto vero Onesimum fidelem effectum multum illi commendat, a loco illo (v. 15-16.): « Forsitan enim ideo a te discessit », usque ibi: « Si ergo habes me socium ».

Sexto vero pro nocumentis, si forte aliquod damnum illi dederat in fugiendo, fideiubet et promittit restituere, et hoc manu sua propria scribendo confirmat, ab illo loco (v. 17-21.): « Si ergo habes me socium », usque ibi: « Nam spero per orationes vestras ».

Et ultimo in salutatione devota et postulatione orationum, ut iterum ad eum veniat, epistolam totam consummat, ab illo loco (v. 22-25.): « Nam spero per orationes vestras », usque in finem epistolae.

Incipit epistola ad Hebraeos.

Nunc accedit epistola ad Hebraeos, in qua Apostolus unam conclusionem intendit, scilicet quod *fidei Iesu Christi est immobiliter adhaerendum* et multo magis obediendum, quam unquam fuit legi veteri, nec ab ipsa fide propter persecutionem aliquam est discedendum. Est enim sciendum, quod fideles ex Iudaeis conversi, qui appellantur Hebraei in titulo huius epistolae — non enim dirigitur ad Hebraeos illos, qui in perfidia remanserant, sed potius ad Hebraeos ad fidem conversos — sciendum, inquam, quod isti Hebraei erant magis zelatores legis et cum hoc multa erant passi et patiebantur pro fide Christi, sicut legitur in Actibus. Ad ipsos ergo confirmandum in fide et consolandum in tribulationibus et reverendam Christi legem potius, quam legem veterem, scripsit Apostolus epistolam praesentem.

Concipiebant autem Iudaei ad legem magnam reverentiam propter duodecim rationes:

Reverentia Iudaeorum erga legem.

Primo namque propter *angelorum frequentiam;* unde ad Galatas (c. 3, 19.): « Lex propter transgressionem posita est, ordinata per angelos »; in legislatione quidem occurrit frequentia angelorum loquentium cum Moyse.

Secundo vero propter *mediatoris,* scilicet Moysi, *amicitiam cum Deo.* Fuit enim Moyses mediator in legislatione, ut Apostolus dicit ad Galatas (c. 3, 19.).

De quo Moyse scriptum est (Exod. 33, 11.), quod « loquebatur Dominus cum eo facie ad faciem, sicut consuevit loqui vir ad amicum suum ». Et propter hoc gloriando dixerunt Iudaei ad caecum natum (Ioan. 9, 28.): « Tu discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus ».

Tertio propter *primi pontificis,* scilicet Aaron, *gloriam,* quam exprimit Ecclesiasticus (c. 45, 7. 8.): « Excelsum fecit Aaron, fratrem suum, et dedit illi sacerdotium gentis et beatificavit illum in gloria ».

Quarto propter *succedentis sacerdotis permanentiam* continuam secundum generationem successivam. Unde et ibidem Ecclesiasticus subiungit (c. 45, 16. 17. 19.): « Non est indutus illa alienigena aliquis, sed tantum filii ipsius soli et nepotes eius... Factum est enim illi in testamentum aeternum et semini eius sicut dies caeli, fungi sacerdotio et habere laudem... in nomine eius ».

Quinto vero propter *legis in se consideratae et ipsiusmet testamenti excellentiam,* de qua dixerat Moyses in laudem gentis hebraeae (Deut. 4, 7-8.): « Nec est alia natio tam grandis... ut habeat caeremonias iustaque iudicia et universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros ».

Sexto propter *tabernaculi mirabilem et singularem fabricam:* habebant namque tabernaculum factum ad exemplar et similitudinem ostensam a Deo, sicut Moysi dictum est (Exod. 25, 40.): « Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est ».

Septimo propter *contentorum in tabernaculo sanctimoniam.* Erant enim sancta sanctorum, altare

aureum et virga Aaron et tabulae testamenti et multa alia ad sanctitatem pertinentia, sicut patet in Exodo.

Octavo propter *sacrificii et oblationum efficaciam.* Offerebantur enim hostiae, quibus credebant tolli peccata populi et principum et aliorum, ut in Levitico patet.

Nono propter *sponsionem divinam et dedicationem legis perpetuam, per sanguinis effusionem firmatam,* de qua scriptum est (Exod. 24, 8.): « Lecto omni mandato, dixit Moyses: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his ».

Decimo propter *oblationum et sacrificiorum replicationem continuam;* reputabant enim valde iuge sacrificium et frequentationem hostiarum in tantum, quod Daniel cessationem sacrificii appellat desolationem dicens (c. 9, 27.): « In dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium et erit in templo abominatio desolationis ».

Undecimo propter *parentum et seniorum, qui fuerunt observatores legis, auctoritatem et sanctitatem nimiam.* Fuerunt enim patriarchae et prophetae sanctissimi in veteri testamento, propter quod insultabant Christo (Ioan. 8, 53.): « Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et prophetae mortui sunt. Quem te ipsum facis »?

Duodecimo et ultimo propter *multiplicem mirandam circumstantiam, quae concurrit in ipsa legislatione totali,* de qua scriptum est in Exodo (cap. 19.), quod iam advenerat dies tertius et coeperunt audiri tonitrua, micare fulgura, totusque mons Synai fumigabat, eo quod descendisset Domi-

nus super eo in igne. Eratque mons terribilis et sonitus buccinae prolixius intendebatur.

Ex his ergo duodecim rationibus, quibus Iudaei ad legis reverentiam et observantiam movebantur, procedit Apostolus in praesenti epistola, ostendens ex omnibus illis rationibus, quod multo fortius debent ad reverentiam et observantiam fidei inclinari. Et secundum hoc *dividitur* praesens epistola in *partes duodecim principales:*

PRIMA PARS.

Christus melior angelis.

Primo namque procedit *ex angelorum frequentia,* per quam lex fuit data, et arguit sic: Lex antiqua fuit observanda et reverenda, maxime quia fuit data per ministerium angelorum. Sed lex Christi et evangelium ac fides data est per illum, qui excellentior est cunctis angelis; ergo multo fortius evangelium observandum est et sibi adhaerendum.

1. Hanc autem rationem deducit Apostolus (c. 1-2.), ubi minorem proponit et exponit, scilicet quod Christus est melior angelis, quia *filius* et *haeres* universorum et splendor gloriae paternae (c. 1, 1-4.): « Multifarie », usque ibi: « Cui enim dixit aliquando » etc.

2. Deinde vero *probat minorem* ex collatione eorum, quae leguntur in scripturis dicta de Christo, ad ea quae loquuntur de angelis. Nam de uno filio David expresse legitur dictum in psalmo: « Ego ero illi in patrem »; et « Filius meus est tu » et

« adorent eum omnes angeli eius ». De angelis autem non legitur, quod vocentur filii, sed potius ministri. Legitur etiam in psalmis de uno filio David, quod ipse sit Deus oleo exsultationis a Deo suo inunctus et quod sedeat a dextris Dei, donec inimici sui ponantur scabellum pedum suorum, quod de nullo angelo legitur.

Et sic probata est minor, quod Christus de semine David nasciturus esset excellentior cunctis angelis, quia verus Dei filius et Deus (c. 1, 5-14.). Et facit hoc Apostolus ab illo loco: « Cui enim dixit aliquando angelorum »? Et deinceps usque in finem primi capituli et principium secundi, usque ibi: « Propterea abundantius oportet ».

3. Deinde probatam format rationem enthymematis, dicens: Quod si sermo legis per angelos factus est firmus et sibi obedientia debebatur, et omnis praevaricator et inobediens puniebatur; multo fortius punientur, qui erunt inobedientes evangelio salutari, quod est narratum per Dominum Iesum Christum et multis signis et prodigiis confirmatum (c. 2, 1-4.). Et hoc facit a loco illo: « Propterea abundantius » usque ibi: « Non enim angelis subiecit Deus ».

4. Deinde vero quia tota vis rationis erit in probatione minoris, scilicet quod Christus sit maior angelis, idcirco regreditur super eam inducendo auctoritatem illam Psalmi, in qua dicitur de quodam homine (Ps. 8, 6.): « Minuisti eum paulo minus ab angelis » et ostendit, quod primae duae particulae auctoritatis impletae sunt de Christo, quia et minoratus est per passionem, et gloria et honore coronatus per resurrectionem. Sed secunda particula

quae dicit: « Omnia subiecisti sub pedibus eius », nondum est impleta, sed implebitur, et per consequens angeli sunt subiecti, quia dicendo *omnia* nihil dimisit non subiectum (c. 2, 5-18.). Et hoc facit ab illo loco: « Angelis subiecit Deus orbem » usque: « Decebat enim eum » usque in finem capituli secundi.

5. Incidentaliter ostendit, quare decuit Christum primo per passionem minorari, quia ut esset similis per omnia hominibus, qui per ipsum debebant gloria et honore in patria coronari. Unde sicut et nos per multas passiones habemus ad coronam gloriae pervenire, sic et ipse debuit in passionibus huiusmodi nobis assimilari; et etiam, ut esset magis compassivus, tamquam similia nobis passus.

SECUNDA PARS.

Christus excellentior Moyse.

In secunda vero parte procedit ex ratione secunda, videlicet *ex Moysis fidelitate et amicitia cum Deo,* et arguit sic[1]: Lex antiqua merito debuit observari propter excellentiam Moysis, qui fuit mediator et promulgator ipsius legis; sed Iesus Christus fuit excellentior et maior Moyse: ergo evangelium per ipsum promulgatum debet cum maiori diligentia observari (c. 3, 1-4, 13.). Hanc autem rationem deducit Apostolus per duo capitula 3. et 4. usque prope finem 4. cap., ubi scribitur: « Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit » etc.

[1] Syllogismus.

Ubi primo assumit minorem, scilicet quod Christus est amplioris gloriae et excellentioris, quam Moyses (c. 3, 1-3.): « Unde fratres » usque ibi: « Omnis namque domus ».

Deinde vero probat omnia per scripturam, quae dicit, quod Moyses erat fidelis famulus Dei in omni domo eius [1]. Assumit ergo Apostolus quatuor circa domum Dei. a) Primo quidem ipsam domum, quae non est aliud quam civitas Dei et congregatio omnium electorum. b) Secundo fabricantem ipsam domum, qui est Deus, qui omnia creavit. c) Tertio filium cohaeredem istius domus. d) Quarto famulum, conservum fidelem in illa domo. Probat ergo dupliciter, quod Christus sit in ista domo excellentior Moyse: primo quidem, quia ipse est fabricator istius domus, cum sit verus Deus, ut ex superioribus probatum est; secundo, quia ipse est sicut filius in hac domo et Moyses sicut servus (c. 3, 4-6.); ab illo loco: « Omnis namque domus » usque ibi: « Quapropter sic dicit Spiritus sanctus ».

Deinde infert conclusionem, scilicet quod perseverandum est firmiter in fide Christi et in sua credulitate, ad hoc inducendo admonitionem Psalmistae, qui ait (Ps. 94, 8.): « Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra » etc. (c. 3, 7-13.). Et facit hoc ab illo loco: « Quapropter sicut dicit Spiritus sanctus » usque ibi: « Participes enim Christi effecti sumus ».

Deinde vero exponit illum *versum Psalmistae,* ostendendo, quod refertur secundum verum intelle-

---

[1] Num. 12, 7: « At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est »?

ctum ad tempus Christi, et exponit primo, quid importetur per *hodie,* ab illo loco: « Participes enim Christi effecti » usque ibi (v. 14, 15.): « Quidam enim autem audientes ». Deinde exponit quid importetur per *exacerbationem* et per *offensam,* ab illo loco (c. 3, 16-19.): « Quidam enim audientes » usque ibi: « Timeamus ergo » in principio quarti capituli. Deinde vero ostendit, similem offensam et exacerbationem esse in tempore Christi quantum ad incredulos, ab illo loco (c. 4, 1-2.): « Timeamus ergo » usque ibi: « Ingrediemur enim in requiem ». Deinde exponit, quid importetur per requiem Domini, ostendendo, quod non intelligitur per illam requiem, quam habuerunt in terra promissionis, quia David post obtentam illam requiem dicebat adhuc: « Hodie si vocem eius » etc., tamquam aliam requiem exspectans, videlicet caelestem de qua scriptum est (Gen. 2, 2.): « Et requievit Deus die septimo » etc., ab illo loco (c. 4, 3-10.): « Ingrediemur enim in requiem » usque ibi: « Festinemus igitur ingredi ». Deinde vero concludendo monet, ut conemur ingredi in requiem illam caelestem, quae non est aliud, quam requiescere ab omnibus operibus suis, sicut et Deus requievit a suis. Et per consequens cavendum est, ne simus increduli et exacerbantes. Et hoc facit in illo versu (11.): « Festinemus ingredi ».

Ultimo vero commendat sermonem et eloquium Dei, quod ita efficaciter et luminose nobis loquitur propheta David in illo versu: « Hodie si vocem » etc. Et penetrat corda nostra ab illo loco (v. 12-14.): « Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti » usque ibi: « Habentes ergo pontificem magnum ».

TERTIA PARS.

Christus excellentior pontifex quam Aaron.

In tertia vero parte procedit *ex ipsius Aaron,* qui fuit sacerdos legalis, *gloria et reverentia,* unde intendit sic arguere[1]: Pontifex legis antiquae, scilicet Aaron fuit in magna gloria et reverentia apud populum universum, quoniam offerebat sacrificium pro toto populo, et ad ipsum populus accedebat pro remissione peccatorum et pro discretione inter lepram et lepram et pro multis aliis necessitatibus suis. Sed Iesus Christus est multo excellentior pontifex et nobilior quam Aaron. Igitur ad ipsum est accedendum pro omni auxilio optimo et in ipso est maxime sperandum et confidendum. Hanc autem rationem deducit Apostolus ab illo loco: « Habentes pontificem magnum » usque circa finem cap. 5., ubi scribitur (v. 11.): « De quo vobis grandis sermo et interpretabilis ad dicendum ». Circa quam partem sic procedit, quod primo ponit conclusionem suam, scilicet quod adhaerendum est Christo Iesu tamquam magno pontifici, et ad thronum eius pro omni gratia et misericordia est recurrendum (c. 4, 14-16.). Et hoc a principio: « Habentes ergo pontificem » usque ad principium cap. 5: « Omnis namque pontifex ».

Deinde vero volens probare minorem, assumit *conditiones pontificis,* quia debet esse ex hominibus assumtus et ad offerendum dona et sacrificia con-

[1] Syllog.

stitutus, et debet esse infirmitatibus circumdatus, ut errantibus magis compatiatur. Assumtio autem sua non debet esse a se ipso, sed ex vocatione et ordinatione Dei, sicut et Aaron fuit vocatus (c. 5, 1-4.). Et hoc facit ab illo loco: « Omnis namque pontifex » etc., usque ibi: « Sic et Christus ».

Deinde vero ostendit, has conditiones excellentiori modo fuisse in Christo quam in Aaron. Et primo quod excellentiori modo fuit a Deo *vocatus,* sibi dicente: « Filius meus es tu» : et « Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech ». Aaron enim nec fuit filius Dei nec habuit ita excellentem ordinem ministrandi sicut Melchisedech (c. 5, 5-6.). Et hoc facit ab illo loco: « Sicut Christus » usque ibi: « Qui in diebus carnis suae ».

Deinde vero ostendit, quod in eo fuit secunda conditio excellentior, quia obtulit Deo melius sacrificium, mortem scilicet et lacrymas et clamorem validum, pro quibus exstitit exauditus, imo etiam alia conditio, videlicet compati et misereri infirmis et errantibus. Magis enim didicit obedire et compati infirmis, quam Aaron, propter experientiam passionis, quam non est expertus ille; et hoc facit in illo versu (v. 8.): « Et quidem, cum esset filius Dei ».

QUARTA PARS.

Sacerdotium Christi excellentius legali sacerdotio.

In quarta vero parte procedit *ex legalis sacerdotii* per generationem continuam succedentis *permanentia* et *praeeminentia,* unde intendit sic ar-

guere: Non solum lex antiqua fuit observanda a filiis Israel et habenda in reverentia propter Aaron, primum pontificem et sacerdotem; imo et propter excellentiam sacerdotii legalis per totam generationis lineam in eius filiis conservatam. Sed sacerdotium Iesu Christi est multo excellentius sacerdotio illo, testimonio illius versus Prophetae dicentis (Ps. 109, 5.): « Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech ». Igitur fides Christi et lex nova, in qua est tantum sacerdotium, multo magis est observanda (c. 5, 11-7.).

Hanc autem rationem deducit Apostolus a fine 5. cap., ubi scriptum est: « De quo vobis grandis sermo », usque ad principium 8. cap. exclusive. Et quia expositio illius verbi: « Tu es sacerdos in aeternum » etc., est valde difficilis et alta, nec Hebraei, quibus scribebat, erant bene capaces; idcirco Apostolus primo ponit Hebraeorum quandam *obiurgationem* dicens, quod de Melchisedech et suo sacerdotio haberet facere grandem sermonem, quem non potest eis interpretari pro eo, quod sunt intellectu imbecilles, cum tamen deberent esse magistri eorum, qui pertinent ad Christum, propter instructionem in lege, et tamen adhuc quasi parvuli indigent lacte, et quod eis exponantur fidei elementa et rudimenta (c. 5, 11.). Et hoc facit in principio: « De quo nobis » etc.

Secundo ponit respectu ipsorum quandam *admonitionem*. Hortatur enim, ut omittant elementa et rudimenta et principia fidei illa, quae supponant doctrinam scilicet trium sacramentorum, scilicet baptismi, poenitentiae et confirmationis, quae est manuum impositio, et duorum articulorum, scilicet

resurrectionis mortuorum et aeterni iudicii, scilicet poenae damnatorum, feranturque ad sermonem perfectum (c. 6, 1-3.). Et hoc facit ab illo loco: « Quapropter intermittentes » in principio 6. cap. usque ibi (v. 4.): « Impossibile ».

Tertio vero ponit istius inquisitionis *utilitatem* et rationem dicens, quod talis illuminatio et degustatio verborum divinorum, quae transcendit fidei rudimenta, valet ad duo: primo quidem, quia tales sic illuminati de difficili prolabuntur; quod si contingat illos prolabi in incredulitatem aut peccatum, difficilius resurgunt. Et hanc difficultatem vocat impossibilitatem. Secundo vero, quia talis illuminatio est quasi quaedam fecundatio. Nam verba caelestia faciunt sicut imber, qui herbam germinat et terram fecundat. Talis autem terra a Domino benedicitur, sicut et illa, quae profert spinas et tribulos, reprobatur (c. 6, 4-8.). Et hoc facit ab illo loco: « Impossibile est tamen eos » usque ibi: « Confidimus autem de vobis, dilectissimi ».

Quarto vero ponit quandam cautam *excusationem*. Forte enim ex his verbis indignarentur Hebraei, cum videtur innuere, quod ipsi essent talis terra reprobata, et ideo dicit, quod non ita ipse tenet, imo confidit de ipsis multo meliora et viciniora saluti (c. 6, 9.). Et hoc facit ab illo versu: « Confidimus autem » etc.

Quinto vero assignat rationem, quare confidit, et ita praesumit, quia propter eorum altam conversationem in fide Christi; nam et sanctis ministraverunt in Ierusalem et pro Christo passiones et tribulationes ac persecutiones toleraverunt (c. 6, 10-12.). Et hoc facit ab illo loco: « Non enim in-

iustus est Deus », usque ibi: « Abrahae namque promittens Deus ».

Sexto vero inducit pro alia ratione immobilem promissionem, quae facta est Abrahae; nam sibi promisit Dominus, et promissionem iuramento firmavit, quod multiplicaret eum; quam promissionem ipse longamiter exspectavit, et sic per istas duas res immobiles, propter quas impossibile est, Deum mentiri, scilicet iuramentum et promissionem, concludit pro Hebraeis, longanimiter exspectantibus et tenentibus fidem Christi, quod introibunt usque ad interiora velaminis sancti sanctorum, hoc est in ipsum caelum, quod figurabatur per illam partem tabernaculi, quae appellabatur sancta sanctorum, ante quam pendebat velamen. Et hoc facit ab illo loco: « Abrahae namque promittens Deus », usque in finem cap. 6. Et sic ostendit ab illo loco (v. 5-11.): « De quo vobis grandis sermo », ubi incipit pars quarta usque ad principium 7. capituli difficultates mysterii latentis in illo versu: « Tu es sacerdos in aeternum ».

Deinde vero per totum cap. 7. ostendit, quod sacerdotium Christi est excellentius sacerdotio legali ipsius Aron et filiorum eius per expositionem illius versus:

Expositio versus: « Tu es sacerdos » etc.

Et primo exponit *dignitatem* Melchisedech: nam et quia interpretatur rex iustitiae et quia rex pacis et quia sine patre et sine genealogia, et quia non legitur in scriptura finis vitae suae nec principium, et quia accepit decimas ab ipso Abraham et per consequens ab omnibus filiis, qui erant

in lumbis eius, et ita ab ipso Levi et ab Aaron, et quia benedixit Abrahae; constat autem, quia minor benedicitur a maiori.

Si igitur futurus erat sacerdos secundum ordinem Melchisedech, patet, quod debebat esse maior Abraham et omnibus filiis eius, qui fuerant postea sacerdotes. Item debebat esse rex iustitiae et rex pacis et immortalis et aeternus, quae omnia competunt Iesu Christo; et per consequens patet, quod sacerdotium suum excedit Leviticum sacerdotium et legale (c. 7, 1-10.). Et hoc facit a cap. 7. usque ibi: « Si ergo consummatio ».

Deinde vero ponderat aliud vocabulum, quod ponitur in illo versu: « Sacerdos in aeternum *secundum ordinem Melchisedech* ». Ex quo arguit dupliciter:

Primo quidem, quia, translato sacerdotio in quacumque lege, lex illa transfertur et mutatur. Sed hic facta est *translatio sacerdotii*. Nam sacerdotium legale debebatur solum tribui Leviticae et filiis Aaron. Dominus autem in hoc versu cum ait: « Tu es sacerdos in aeternum », loquitur alteri tribui. Nam tribui Iuda et stirpi David: alicui enim filio David dirigitur illud verbum in psalmo. Dirigitur namque ipsi Christo. Igitur necesse est, ut lex antiqua translata sit, sicut et sacerdotium, et quod substituta sit nova lex et novum sacerdotium (c. 7, 11-13.).

Secundo vero arguit, quod si ordo antiqui sacerdotii immutatus est, qui quidem ordo erat secundum successionem carnalem, ut succedat sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, qui non legitur in scriptura fuisse mortuus, et per conse-

quens accipitur, quasi vitam habuerit insolubilem et fuerit immortalis, propter quod dicitur « sacerdos in aeternum »: evidenter concluditur, quod propter hoc primum sacerdotium evacuatum est, quia infirmum erat, corruptibile et inutile et nihil ducens ad perfectum. Istud autem, quod introducitur immortale est et perfectum. Durat autem prima deductio (c. 7, 14-18.): « Si igitur consummatio » usque ibi: « Introductio vero melioris ».

Deinde vero ponderat illud verbum: « *Iuravit* Dominus et non poenitebit eum »; ex hoc probans, quod multo excellentius est sacerdotium Christi, cum sit introductum sub iuramento Dei, nec cadat super ipsum poenitudo, quam sacerdotium Aron, quod sub iuramento non legitur introductum (c. 7, 19-22.). Et hoc facit ab illo loco: « Introductio vero » usque ibi: « Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes ».

Deinde vero ponderat illud verbum: « *In aeternum* ». Nam in sacerdotio Levitico plures sacerdotes sibi invicem successerunt propter hoc, quod per mortem prohibebatur unus permanere. In isto autem sacerdotio non ponitur nisi unus, qui permanere permittitur in aeternum, et talis est Christus, qui excellentior aliis factus, semel se ipsum per mortem obtulit et ex tunc in caelis remanet sacerdos perpetuus et aeternus. Et hoc facit ab illo loco (c. 7, 23-28.): « Et alii quidem plures » usque in finem capituli totalis.

QUINTA PARS.

Tabernaculum Christi excellentius antiquo.

In quinta vero parte procedit ex tabernaculi praecellentia. Unde arguit sic[1]: Lex antiqua et eius pontificium reverebatur propter sanctuarium et tabernaculum, quod per Moysen iubente Domino legitur constitutum in Exodo. Sed in lege nova pontifex noster Iesus Christus habet multo excellentius tabernaculum et sanctuarium, quam fuerit illud: ergo multo plus lex nova debet observari et in reverentia haberi. Durat autem haec pars a principio cap. 8. usque circa medium, ubi scribitur (v. 5.): « Nunc autem sortitus est ministerium ».

Primo namque per modum cuiusdam summae replicans ea, quae dicta sunt, ponit minorem. Ait enim: « Capitulum super ea, quae dicuntur: Talem habemus Pontificem... Sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Deus et non homo ». Deinde vero ibi: « Omnis enim pontifex ». Probat istam minorem dupliciter:

Primo quidem ratione quia iam non oporteret introduxisse alium sacerdotem, si tabernaculum, in quo offert sacerdos aeternus, de quo hic dicitur: « Tu es sacerdos in aeternum », esset super terram. Sufficerent enim sacerdotes legales ad offerendum munera in isto tabernaculo terreno, quod non est nisi quaedam umbra sive similitudo extracta, quare relinquitur, quod illud tabernaculum sacerdotis aeterni sit tantum super caelum.

---

[1] Syllog.

Secundo vero ibi (v. 5.): « Sicut responsum est Moysi », probat idem per scripturam: quod praecepit Moysi, ut faceret tabernaculum iuxta exemplum sibi in monte monstratum; ex quo colligitur duplex tabernaculum: unum exemplatum corporale, quod fecit Moyses, et aliud exemplans et spirituale, quod fixit Deus. Et cum omni tabernaculo deserviat aliquis minister, necesse est, quod in illo exemplante tabernaculo spiritualis sit minister, de quo dictum est supra, quod est sacerdos in aeternum.

SEXTA PARS.

Christus excellentior Moyse in lege et testamento.

In sexta vero parte Apostolus procedit ex ipsius legis in se consideratae et testamenti excellentia. Unde arguit sic[1]: Nunquam quaeritur aut quaeri debet lex aut aliud testamentum a primo, nisi ipsum insufficiens sit, defectuosum et incompletum, et per consequens ratione defectus aliqualiter vituperandum. Sed Dominus (Ierem. c. 21.) introducit novam legem et novum testamentum cum quadam reprobatione prioris testamenti, dati per Moysen: ergo necesse est, quod illud defectuosum fuerit et imperfectum, et quod secundum fuerit multo melius et excellentius et per consequens diligentius observandum. Durat autem haec pars ab illo loco (c. 8, 6-13.): « Nunc autem melius » etc. usque in finem cap. 8.

---

[1] Syllog.

1. Nam primo ponit conclusionem dicens: « Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto et melioris testamenti mediator est ».

2. Secundo format rationem ibi: « Nam si illud prius a culpa vacasset ».

3. Tertio probat minorem, inducens auctoritatem Ieremiae dicentis: « Ecce dies venient, dicit Dominus ». Et ponit auctoritatem longam et claram, in qua Deus promittit, se daturum novum testamentum, non secundum formam illius testamenti, quod datum est in exitu Israel de Aegypto.

4. Quarto vero Apostolus ex abundanti elicit ex praedicta auctoritate unum aliud argumentum, ponderando illud verbum: « Novum ». Et hoc facit ibi (v. 13.): « Dicendo autem novum ». Unde arguit sic: Novum dicitur per respectum ad antiquum et vetus. Sed propheta introducit Dominum promittentem, se daturum testamentum novum, non secundum formam prioris: ergo innuit Dominus, quod testamentum prius ille tunc debuit reputari vetus et antiquum et per consequens prope interitum. Nam si remaneret in vigore, iam non diceretur antiquatum.

SEPTIMA PARS.

Christus excellentior summus Pontifex in tabernaculo.

In septima vero parte Apostolus procedit ex contentorum in tabernaculo caeremonia et sanctimonia. Unde arguit sic[1]: In tabernaculo prius facto

[1] Syllog.

per Moysen erant duae partes. Et in prima quidem parte, quae dicebatur sancta, erant tria: scilicet candelabrum, mensa et praepositio panum. In secunda vero parte, quae dividebatur a prima per unum velamen, quae dicebatur sancta sanctorum, erat thuribulum aureum et arca testamenti. In primo autem tabernaculo omnes sacerdotes quotidie introibant. In secundo vero nullus intrabat nisi summus pontifex, et ille tantum semel in anno cum sanguine, quod pro sui et populi ignorantia offerebat. Et haec erat caeremonia et sanctimonia eorum, quae fiebant in tabernaculo, propter quam a toto populo summus timor et reverentia concipiebatur et ad legem et ad tabernaculum ipsum.

Sed constat, quod omnia illa erant significativa. Non apparet, quare existendo in illo ritu sic esset agendum magis quam aliter. Sed tota ratio illius ritus erat, quia Spiritus sanctus signabat, quod duplex erat Ecclesia Dei, quae est verum tabernaculum et verum templum ipsius.

1. Prima quidem, quae militat et peregrinatur in via, et haec significatur per primam partem tabernaculi, quae dicitur sancta; et in ista potuerunt intrare sancti patres in veteri testamento; erant enim de Ecclesia et civitate Dei, in cuius figura sacerdotes quotidie intrabant.

2. Secunda vero est illa, quae in caelis triumphat et regnat, et hoc significatur per sancta sanctorum. In hanc autem nullus potuit introire, nec erat via aperta aut propalata, donec summus pontifex Christus per proprium suum sanguinem introivit et viam aperuit. Igitur ex his, quae nullo tabernaculo gerebantur, patet, quod multo excel-

lentior est lex Christi et per consequens maxime reverenda (c. 9, 1-8.). Deducit autem rationem Apostolus a principio noni capituli, quod incipit: « Habuit quidem et prius iustificationes culturae »... usque ibi: « Quae parabola est temporis instantis ».

OCTAVA PARS.

Christus excellentior summus Pontifex in sanguine suo.

In octava vero parte procedit ex oblati sacrificii efficacia. Unde arguit sic[1]:

Lex antiqua a filiis Israel observabatur quam maxime propter spem, quam habebant in efficacia sacrificiorum, quae auctoritate divina iussa fuerant afferri pro peccatis. Sed sacrificia illa, quantum erat ex natura ipsorum, nullo modo hanc efficaciam habuerunt. Constat enim, quod sanguis hircorum aut vitulorum aut ritus ciborum aut potuum, aut lotio aquae, cum sint quaedam corporalia, nullam habent efficaciam respectu peccati.

Sanguis vero Iesu Christi, effusus per mortem, cum esset immaculatus et esset plenus Spiritu sancto, habuit de sui ratione hanc efficaciam. Meretur namque apud Deum ille, qui omnino immaculatus existens et cum hoc plenus est gratia et Spiritu sancto, dum exponit se morti, ut obediat Deo, gratiam non solum sibi, sed aliis, et per consequens, ut aliis dimittentur peccata. Igitur multo excellentior est lex nova, quae habet sacrificium continens veram

[1] Syllog.

efficaciam respectu deletionis peccatorum, quam lex antiqua, cuius sacrificia nullam habebant efficaciam de natura sua, sed tantum in quantum erant figura et parabola sive similitudo huius sacrificii. Haec autem ratio durat ab illo loco (c. 9, 9.): « Quae parabola est temporis instantis » usque ibi (v. 15.): « Et ideo novi testamenti ».

Continentur autem tres clausulae in hac parte: In prima namque, quae incipit: « Quae parabola est temporis instantis », dicit, quod sacrificia, quae erant in lege veteri, non habebant efficaciam nisi in quantum erant parabola et figura praesentis temporis gratiae (c. 9, 9-10.).

In secunda autem, quae incipit (v. 11.): « Christus autem existens pontifex », ostendit, qualiter Christus proprium scilicet sanguinem intra sancta sanctorum offerens ad modum summi sacerdotis aeternam redemptionem invenit.

In tertia vero clausula, quae incipit (v. 13.): « Si enim sanguis hircorum aut taurorum », rationem format et deducit per locum a minori: quia, si sanguis hircorum aut taurorum aliquo modo potuit sanctificare etiam carnaliter, multo fortius proprius sanguis Christi potuit spiritualiter.

NONA PARS.

Christus excellentior ex testamenti dedicatione.

In nova vero parte procedit Apostolus ex testamenti dedicatione et sponsione firma et per consequens immobiliter observanda, quia sic fuerat sanguine dedicata, sicut patet Exodi 24. Sed lex

novà multo excellentiori sanguine est dedicata, quia sanguine Iesu Christi; ergo multo firmior est lex nova. Et confirmat hoc ex consuetudine humana; quia nullum testamentum est firmum nisi post mortem testatoris, potest enim ipsum revocare testator, quamdiu vivit. Sed primum testamentum legis antiquae non fuit confirmatum per mortem testatoris, qui est Deus; sed solum per mortem hircorum et vitulorum, sicut Moyses dixit: «Hic est sanguis testamenti, quem mandavit ad nos Deus». Novum autem testamentum est confirmatum per mortem Christi et testatoris Dei, quia mortuus est in natura assumta. Igitur testamentum immobile et per consequens potius observandum (c. 9, 15-23.). Durat autem ista deductio ab illo loco: «Et ideo novi testamenti» usque ibi: «Non enim in manufacta sancta Iesus introivit».

DECIMA PARS.

Christus excellentior Pontifex in sui oblatione.

In decima vero parte procedit ex oblatione continua et assidua. Unde arguit sic [1]:

Lex antiqua reputabatur efficax et per consequens observanda propter iuge sacrificium et propter indesinentem oblationem hostiarum, quae fiebant per annos singulos in sancta sanctorum a summo sacerdote. Sed multo excellentiori modo in nova lege obtulit se summus pontifex Iesus Christus. Non enim fecit nisi unam oblationem sangui-

[1] Syllog.

nis sui in fine saeculi ad destructionem omnis peccati, qua facta introivit in ipsa sancta sanctorum, non quidem manufacta, sed in ipsum caelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis; secundum quandam imaginem summus pontifex in sancta sanctorum cum hostiis introivit, ut assisteret ibi pro populo. Ergo multo fortius excellentior est modus oblationis in nova lege quam in veteri: tum quia in nova lege non est facta ista oblatio nisi semel, in veteri vero frequenter; tum quia in lege veteri fiebat coram Deo non faciliter apparente, in nova vero lege nunc offert se Christus vultui Dei faciliter sibi obsecrando. Durat autem ista deductio a fine noni cap., ubi scribitur (v. 24.): « Non enim in manufacta » usque in finem cap. decimi.

1. Primo namque ponit minorem quantum ad illa, quae dicta sunt de Christo, scilicet quod semel suum sanguinem obtulit et non frequenter, et quod illo oblato introivit in sancta vera, non autem figuralia aut manufacta (c. 9, 24-28.). Et hoc ibi: « Non enim in manufacta » usque in finem 9. cap.

2. Secundo vero ponit maiorem quantum ad illa, quae dicta sunt de lege veteri, scilicet quod oportebat per singulos annos indesinenter oblationem summi pontificis replicari, et rationem subdit pro eo, quod illa oblatio perfecte non poterat emundare (c. 10, 1-3.). Et hoc facit a principio 10. cap., quod incipit: « Umbram enim » usque ibi: « Impossibile est enim, sanguine taurorum auferri peccata ».

3. Tertio vero incidentaliter probat hoc, quo usus fuerat in ratione ista et in aliquibus praecedentibus, scilicet quod sanguis animalium oblato-

rum in lege non poterat ex natura sua auferre peccata, sed quia omnis ablatio peccati erat ex adimpletione divinae voluntatis, quam Christus adimplevit, cum ait (Luc. 22, 42.): « Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu ».

Adducit autem auctoritatem prophetae dicentis in ipsa persona Christi in psalmo (Ps. 39, 7.): « Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi », vel secundum aliam translationem; « aures autem », accipiendo partem pro toto.

Sequitur: « Holocaustum pro peccato non postulasti, tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam » etc., ac si vellet dicere Christus secundum adaptionem Apostoli, ut loquitur filius ad patrem: quia voluisti nec placuerunt tibi holocausta unquam veteris legis; idcirco aptasti mihi aures et corpus et fecisti me incarnari, et ecce ego veniens in carne assumta faciam voluntatem tuam, tibi obediens usque ad mortem. Et tunc concludit Apostolus, quod in hac sola voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi, quasi dicere velit, quod solo merito istius voluntatis deletum esset peccatum (c. 10, 4-10.). Et hoc facit ab illo loco: « Impossibile est enim » usque ibi: « Et omnis quidem sacerdos ».

4. Quarto vero probat idem alia auctoritate psalmi, quia illi eidem, cui dictum est: « Tu es sacerdos in aeternum », dictum est in eodem psalmo: « Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum ». Quod non posset esse, si oporteret eum frequenter sacrificare. Non enim sacrificando sederet ad dexteram, sed potius administraret. Et ideo convincitur, quod non habuit,

nisi semel offerre (c. 10, 11-14.). Et hoc facit ab illo loco: « Et omnis siquidem sacerdos »... usque ibi: « Contestatur autem vos et Spiritus sanctus ».

5. Quinto vero probat idem auctoritate Ieremiae superius introducta, in cuius fine dicit Deus loquens de novo testamento: « Propitius ero iniquitatibus eorum et peccatorum ipsorum non recordabor amplius ». Constat autem, quod ubi peccata remissa sunt, iam non oportet esse ulteriorem oblationem, quia peccata oblivioni sunt data, ut testatur propheta (c. 10, 15-18.). Et hoc facit ab illo loco: « Contestatur » usque ibi: « Habentes itaque, fratres ».

6. Sexto vero concludit principalem intentionem, scilicet quod summe perseverandum est in hac Dei lege et tangit multa *media* ex praecedentibus. a) Primum, quia sancta sanctorum per Christi sanguinem sunt aperta et initiata est nobis via ad intrandum per velamen, et ideo debemus intrare abluti corpore et corde, et fidem istam indeclinabiliter observare. Et hoc membrum ponit ibi (c. 10, 19.): « Habentes itaque, fratres ». b) Secundum ponit ibi: « Voluntarie enim peccantibus nobis ». Dictum est enim, quod iam amplius non est offerenda aliqua hostia pro peccato, quia iam oblata est et ideo multum debemus timere, ne voluntarie peccemus. c) Tertium ponit ibi: « Terribilis namque est », quia sub duobus vel tribus testibus movebatur ille, qui legem Moysi non servabat; multo ergo fortius in die iudicii et ignis, quando verificabitur illud verbum: « Mihi vindicta, et ego retribuam », et illud: « Iudicabit Dominus populum suum », punientur transgressores novae legis. d) Quartum ponit

ibi (v. 32.): « Rememoramini pristinos dies », scilicet quod multum debent perseverare in fide, quia pro ea tribulationes multas sunt passi et rapinas bonorum suorum.

UNDECIMA PARS.

Christus excellentior in sanctitate.

In undecima vero parte procedit Apostolus ex observatorum legis antiquae sanctitate nimia et ex parentum seniorum exemplari forma, unde arguit sic[1]:

Lex antiqua in summa reverentia est habenda propter sanctissimos patres, qui ipsam observarunt. Sed illi idem patres magis sancti effecti sunt et potius iustificati ex hoc, quia ambulaverunt in fide Iesu Christi, quam ex hoc, quod legem servaverunt. Igitur fidei exemplo ipsorum est potius adhaerendum quam legi. Durat autem haec ratio a principio cap. 11. usque circa medium 12, ubi scribitur (c. 11, 1- c. 12, 17.): « Non enim accepistis ad tractabilem montem ».

1. Primo definiens fidem ponit minorem, scilicet quod omnes patres sancti placuerunt Deo ex eo, quod ambulaverunt per fidem. Et hoc facit ibi (c. 11, 1.): « Est autem fides ».

2. Deinde vero minorem istam probat et deducit per patres, qui fuerunt ante legem, utpote per Abel, Enoch et Noë, Abraham, Isaac et Iacob et Ioseph, ostendens, quod isti septem ambulave-

---

[1] Syllog.

runt per fidem, et per eam solum placuerunt Deo. Et hoc facit ab illo loco (c. 11, 3-22.): « Fide intelligimus aptata esse », usque ibi: « Fide Moyses natus ». Patent autem particulae septem in praedicta deductione secundum numerum septenarium.

3. Deinde vero eandem minorem deducit in Moyse legislatore et in his, quae acciderunt tempore legis datae sub Moyse et Iosue. Et hoc facit ab illo loco (c. 11, 23-31.): « Fide Moyses natus est », usque ibi: « Et quid adhuc dicam, deficiet enim me tempus ».

4. Deinde per modum summae et epilogi deducit idem in iudicibus et prophetis, qui fuerunt post datam legem. Et hoc ab illo loco (c. 11, 32-38.): « Et quid adhuc dicam », usque ibi: « Et hi omnes testimonio fidei probati inventi sunt », ubi minorem probatam concludit.

5. Deinde vero in principio cap. 12., quod incipit: « Ideoque et vos tamquam habentes oppositam nubem testamentum ». Probata minore infert conclusionem principaliter intentam, videlicet quod debemus perseverare in fide et certare pro illa ac passiones sustinere exemplo Christi.

6. Deinde vero, sicut cum ait (v. 4.): « Nondum enim usque ad sanguinem restitistis » obiurgat Iudaeos super inobservantiam huius conclusionis. Videbantur enim taedio affici, deficere et fatigari ex persecutionibus et passionibus, quas tolerabant pro fide. Et adducit contra eos auctoritatem sapientis. Et hoc facit ab illo loco: « Nondum enim », usque ibi (v. 12.): « Propter quod remissas manus et soluta genua erigite ».

7. Denique vero modum describit, quo debeant in fide perseverare, quia cum rectitudine operum et sanctitate morum. Et hoc facit ab illo loco: « Propter quod remissas » usque ibi (v. 18.): « Non enim accessistis ad tractabilem ».

DUODECIMA PARS.

Christus excellentior in legis datione.

In parte vero duodecima et ultima procedit Apostolus ex multiplici apparitione miranda et stupenda, quae facta legitur, quando lex fuit data. Unde arguit sic[1]:

Lex antiqua habita fuit in magna et summa reverentia et studiose debuit observari propter signa et mirabilia, quae fuerunt in ipsa legis datione, quae ponitur Exodi cap. 19. Sed multo excellentiora et nobiliora sunt illa, quae concurrerunt in lege nova. Igitur nova lex et fides Christi diligentius est observanda et reverentius suscipienda. Durat autem illa deductio ab illo loco (c. 12, 18-29.): « Non enim accessistis », usque in finem totius epistolae.

1. Ubi primo volens probare minorem narrat mirabilia, quae contigerant in legis datione, ibi: « Non enim accessistis ».

2. Deinde vero ostendit meliora esse et excellentiora, quae concurrerunt in legis novae datione et fidei promulgatione, ibi (v. 22.): « Sed accessistis ».

---

[1] Syllog.

3. Deinde vero ex minore probata rationem deducit, dicens: Quod si antiqui legem non observantes poenam non effugerunt, multo minus effugient, qui fidem non recipient et Deum de caelo vocantem contemnent, ibi: « Si enim non effugerunt », usque in finem cap. 12.

CONCLUSIO.

Deinde vero in principio capituli decimi tertii, quod incipit: « Itaque regnum », ponit conclusionem istius rationis et totius epistolae, quae iam probata est per duodecim rationes, videlicet, quod in fide Christi immobiliter standum est cum omni metu et cum omni reverentia. Et hoc facit ab illo loco (in Vulgata c. 12, 28.): « Itaque regnum », usque ibi (c. 13, 1.): » Caritas fraternitatis ».

Deinde a praedicto loco: « Caritas fraternitatis » usque ibi: « Orare pro vobis », ponit *octo circumstantias* virtuosas, quibus debet praefata conclusio observari. Qui enim vult digne perseverare usque in finem in ea perseverare debet cum octo virtutibus:

Primo cum fraterna caritate, ibi: « Caritas fraternitatis ».

Secundo cum interna pietate, et hoc docet ibi: « Mementote vinctorum tamquam simul vincti ».

Tertio cum perfecta castitate, ibi: « H orabile connubium et torus immaculatus ».

Quarto cum sufficientia et contenta paupertate, ibi: « Sint mores sine avaritia, contenti praesentibus ».

Quinto cum sincera veritate et stabilitate in

orthodoxa fide, contemptis omnibus doctrinis aliis peregrinis, ibi: « Mementote praepositorum vestrorum ».

Sexto cum abstinentia ab escis carnalibus et cum sobrietate, ibi: « Optimum enim est gratia stabilire cor ».

Septimo cum oblatione devota et hostiarum puritate, hostiarum quidem laudis, beneficentiae et communionis, ibi: « Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis ».

Octavo cum obedientia et humilitate, ibi: « Obedite praepositis vestris ».

Finis epistolae.

Postremo epistolam complet et finit in *quinque:*

1. In sui recommendatione; recommendat namque se omnibus eorum, ibi (v. 18.): « Orate pro nobis ».

2. In sui deprecatione pro ipsis. Obsecrat enim Deum, ut aptet voluntates eorum ad bonum, ibi: « Deus autem pacis ».

3. In sui excusatione. Ex hoc enim, quod non erat Apostolus eorum, sed gentium, potuissent forsitan indignari et praesumtioni alicui imputare, quod eis praesentem epistolam destinasset; et ideo excusat se ibi (v. 22.): « Rogo autem vos fratres, ut sufferatis verbum veritatis, verbum solatii ».

4. In Timothei latoris epistolae recommendatione. Recommendat enim eum tamquam eorum discipulum, ibi: « Cognoscite fratrem vestrum Timotheum ».

5. Quinto vero in mutua salutatione et gratiae imploratione, ibi: « Salutate omnes praepositos ve-

stros; salutant vos omnes fratres. Gratia cum omnibus vobis. Amen ».

Et in hoc finitur liber decimus quartus epistolarum Pauli apostoli gentium.

Incipit Liber Actuum Apostolorum.

Nunc accedit liber Actuum Apostolorum. Et intendit unam conclusionem, hanc scilicet quod *Ecclesia* primitiva et fides *Iesu Christi miraculose introivit in orbem* et per Spiritum sanctum, non per humanam industriam, aut per humanum modum. Et ad conclusionem hanc totalem rationem inducere intendit [1]:

Illa congregatio, quae fuit mirabili modo per Spiritum sanctum corroborata; deinde vero post corroborationem per eundem Spiritum sanctum multiplicata; deinde vero post multiplicationem per eundem Spiritum sanctum disseminata; deinde vero post disseminationem per eundem Spiritum sanctum intitulata; deinde vero post intitulationem a Iudaeis in universas gentes per eundem Spiritum sanctum translata: et in his omnibus per eundem Spiritum sanctum a cunctis volentibus eam extinguere mirabiliter liberata.

Illa inquam congregatio, manifestum est, quod fuit per Spiritum sanctum in orbem introducta, et per consequens in ea est perseverandum tamquam in secta Dei vera et salutari.

---

[1] Syllog.

Sed talis est et fuit congregatio fidelium et Ecclesia Christi: ergo ipsa fuit introducta per Spiritum sanctum, et per consequens in ea est perseverandum, tamquam in secta salutari et vera.

Minorem ergo istius rationis intendit Lucas inducere et probare in toto libro, distincte quidem quantum ad illas *quinque partes:* 1. de corroboratione, 2. et de corroboratae multiplicatione, 3. et de multiplicatae disseminatione, commixtim autem et coniunctim, 4. quantum ad quartam partem de liberatione et 5. de custoditione.

Nam et in ipsa multiplicatione et in ipsa disseminatione et in omnibus aliis ostendit, eam fuisse a Spiritu sancto praeservatam de manu persecutorum. Et secundum hoc ergo liber iste dividitur in quinque partes principales.

I. Ecclesia a Spiritu sancto mirabili modo corroborata.

In prima namque probat primam partem minoris, videlicet, quod congregatio fidelium primitiva fuit per Spiritum sanctum mirabili modo corroborata; et durat pars ista per totum cap. 1. et 2. usque ad locum ubi scriptum est (c. 2, 36.): « His auditis compuncti sunt corde ». Circa corroborationem autem istam sic procedit, quod

1. Primo ostendit, qualiter fuit a Christo *repromissa.* Et hoc facit a principio, ubi continuat Lucas librum istum cum libro evangelii sui dicens: « Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile », et postea subdens: « Praecepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed exspectarent pro-

missionem Patris... quia vos baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies »; et deinde concludens: « Accipietis virtutem Spiritus sancti in vos supervenientis ».

2. Secundo vero ostendit de ista roboratione, quáliter fuit *inchoata* per ocularem aspectum ascensionis Domini Iesu in caelum et per attestationem duorum virorum, qui apparuerunt induti vestibus albis, duorum scilicet angelorum. Ex his enim fuit ista congregatio confirmata. Et hoc facit ab illo loco (c. 1, 9-12.): « Et cum hoc dixisset, videntibus illis », usque ibi: « Et cum introissent in coenaculum ».

3. Ostendit de ipsa congregatione, quae erat corroborata, qualiter fuit in loco idoneo *collocata* et adunata. Et hoc facit ab illo loco (c. 1, 13-14.): « Et cum introissent », usque ibi: « In diebus illis exsurgens Petrus » etc.

4. Ostendit de illa congregatione, qualiter fuit *reintegrata*. Fuerat enim truncata per mortem et suspendium Iudae proditoris et per ipsius praevaricationem. Fuit autem reintegrata per Mathiae electionem et substitutionem (c. 1, 15-26.).

5. Ostendit, qualiter ipsa roboratio fuit *consummata* in die Pentecostes per adventum Spiritus sancti. Et hoc facit a principio cap. 2. (c. 2, 1-11.): « Et cum complerentur dies Pentecostes », usque ad illum locum, ubi scribitur: « Stupebant autem omnes ».

6. Ostendit, qualiter in hoc casu fuit praedicta congregatio *impugnata* a quibusdam irridentibus et dicentibus: « Quod musto pleni sunt ». Et hoc facit ab illo loco (c. 2, 12-13.): « Stupebant autem omnes », usque ibi: « Stans autem Petrus ».

7. Ostendit, qualiter ab impugnatione praedicta per Spiritum sanctum exstitit *liberata*, quia Petrus repletus Spiritu sancto calumniam impositam de ebrietate repulit per prophetas, adducens tres auctoritates: primam quidem Ioëlis (c. 2, 28.): « Sed hoc est quod dictum est per Ioëlem prophetam: Et erit in novissimis diebus », per quam probat, prophetatam fuisse Spiritus sancti missionem; secundam vero David prophetae, David enim dicit (Ps. 15, 8.): « Praevidebam Dominum coram me », per quam probat resurrectionem Domini fuisse prophetatam; tertiam vero eiusdem David (Ps. 109, 1.): « Non enim David ascendit in caelum; dixit autem ipse: Dixit Dominus Domino meo », per quam probat ascensionem Domini Iesu Christi in caelum et eius dominationem per totum mundum fuisse prophetatam. Durat autem pars ista ab illo loco (c. 2, 14-36.): « Stans autem Petrus », usque ibi: « His auditis ».

Et sic probavit evidenter a libri principio usque ad illum locum, quod congregatio fidelium primitiva fuit per Spiritum sanctum miraculose roborata.

II. Ecclesia a Spiritu sancto mirabiliter multiplicata.

In secunda parte autem principali, quae incipit: « His auditis », et durat per tria sequentia capitula usque ad sextum (c. 2, 37-c. 6.), probat secundam partem minoris, scilicet quod dicta congregatio post sui corroborationem per Spiritum sanctum fuit multiplicata. Ubi considerandum, quod ponit trinam multiplicationem fidelium in Hierusalem fa-

ctam: primam quidem trium millium personarum, secundam vero quinque millium, tertiam autem sub numero incerto quasi innumerabilium. Fecit autem Spiritus sanctus has tres multiplicationes:

1. Primam quidem ministerio *Petri,* adiuncto sibi *toto Apostolorum collegio.* Et hanc scribit Lucas ab illo loco (c. 2, 37-47.): « Iis auditis compuncti sunt corde », etc. usque in finem cap. 2. Et in hac multiplicatione primo narrat a) Petri sermonem et praedicationem, ibi: « Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum ». b) Deinde trium millium personarum compunctionem et contritionem, ibi: « Qui ergo receperunt ». c) Deinde vero miraculosam confirmationem, ibi: « Multa quoque signa et prodigia per Apostolos in Hierusalem fiebant ». d) Deinde narrat conversionem ad Christum devotam et sanctam conversationem, ibi: « Omnes etiam, qui credebant, erant pariter ». e) Et ultimo concludit primam multiplicationem, ostendens, quod erat in continuo augmento, ibi: « Dominus autem augebat, qui salvi fiebant quotidie ».

2. Secundam vero multiplicationem fecit Spiritus sanctus ministerio *Petri,* adiuncto sibi Apostolo specialiter condilecto, videlicet *Ioanne.* Et narrat Lucas multiplicationem istam et in ipsa multiplicatione liberationem per Spiritum sanctum factam. A principio cap. 3. usque ad illum locum (c. 5, 11.): « Per manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe ». Narrat namque:

a) quoddam factum prodigiosum, quod fuit causa istius multiplicationis, videlicet consolidationem claudi, qui sedebat ad speciosam portam tem-

pli (c. 3, 1-11.): « Petrus et Ioannes ascendebant », usque ibi: « Videns autem Petrus respondit ad populum ».

b) Narrat vero efficax Petri verbum et eloquium virtuosum, quod protulit facto praedicto miraculo populo universo. Et hoc facit a praedicto loco (v. 12-26.): « Videns autem Petrus » usque in finem cap. 3.

c) Narrat incarcerationem Petri et Ioannis et ea non obstante conversorum ad Christum numerum copiosum. A principio cap. 4. (v. 1-4.): « Loquentibus illis ad populum ».

d) Narrat liberationis modum gloriosum, ab illo loco (c. 4, 5-22.): « Factum est autem » usque ibi: « Dimissi autem venerunt ad suos ».

e) Narrat super praedicta liberatione gaudium victoriosum et profectum conventuum continuum per omnia virtuosum credentium in Christum, ita ut omnia, quae possiderent, venderent et ponerent ante pedes Apostolorum; ab illo loco (c. 4, 23-37.): « Dimissi autem » usque in finem quarti cap.

f) Narrat cuiusdam alterius liberationis, non quidem a corporali incarceratione, sed potius a spirituali simulatione modum luminosum per mortem Ananiae et Saphirae, uxoris suae, qui voluerunt Spiritum sanctum decipere et in Ecclesia simulationem hypocrisimque inducere (c. 5, 1-11.): « Vir autem quidam nomine Ananias », usque ibi: « Per manus autem Apostolorum ».

3. Tertiam autem multiplicationem fecit Spiritus sanctus ministerio *Petri*, adiuncto sibi rursum *Apostolorum toto collegio*. Et hanc narrat Lucas ab illo loco (c. 5, 12-42.): « Per manus autem »

usque in finem 5. cap. Nam a) ponit multiplicationem fidelium per multiplex signum et prodigium, quod per Apostolos fiebat et maxime ad Petri umbram et occursum. b) Deinde vero narrat persecutionem suscitatam ex zelo Saducaeorum et reclusionem Apostolorum in carcere, ibi: « Exsurgens autem Petrus ». c) Deinde vero liberationem factam per Angelum, ibi: « Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas ». d) Deinde vero ponit disputationis conflictum inter Apostolos et principem sacerdotum, ibi: « Adveniens autem quidam annuntiavit eis ». e) Deinde vero narrat definitionem et sententiam latam ore Gamalielis pro ipsis Apostolis per Spiritus sancti instinctum, in quo fuit completa ipsorum liberatio. Et hoc facit ibi (c. 5, 34-42.): « Surgens autem quidam in concilio », usque in finem cap. 5.

III. Ecclesia a Spiritu sancto mirabiliter diffusa.

In tertia vero parte principali, quae incipit in principio 6. cap., ubi scribitur (c. 6, 1- c. 11, 18.): « Crescente autem numero discipulorum », et durat usque ad illum locum 11. cap., ubi scribitur: « Illi quidem qui dispersi » etc., probat Lucas *minorem* quoad partem tertiam, videlicet, quod congregatio primitiva fuit fidelium per Spiritum sanctum, post multiplicationem factam in Hierusalem, circumquaque diffusa per Iudaeam, Samariam, sicut praeceperat Dominus Apostolis dicens: « Eritis mihi testes in Hierusalem et in omni Iudaea et Samaria ». Pro-

cedit autem Lucas circa istam disseminationem in hunc modum, quod

1. Primo tangit ipsius occasionem et motivum, videlicet *Stephani* mortem et martyrium. Et hanc narrat capite sexto et septimo. Haec enim mors suscitavit in ecclesia, quae erat Hierosolymis, timorem magnum et persecutionem, propter quam omnes discipuli praeter Apostolos sunt dispersi. Illi autem sic dispersi disseminaverunt circumquaque unitatem fidei. Et hoc est, quod concluditur a principio capituli [1], ubi scribitur: « Saulus autem erat consentiens », usque ibi (c. 8, 5.): « Philippus autem descendens in civitatem Samariae ».

2. Secundo narrat huius disseminationis miraculosum modum et processum et ostendit, quod hanc disseminationem fecit primo *Philippus,* qui unus erat ab Apostolis inter septem primos diaconos electus et constitutus; ab illo loco (c. 8, 5-13.): « Philippus autem descendens », usque ibi: « Cum autem audissent Apostoli ».

3. Tertio narrat, qualiter disseminationem hanc magnam fecerunt *Ioannes* et *Petrus,* ibi (c. 8, 14-25.): « Cum autem audirent Apostoli, qui erant Hierosolymis ».

4. Quarto narrat, qualiter ad disseminandum ulterius processit *Philippus,* ibi (c. 8, 26-40.): « Angelus autem Domini locutus est ad Philippum », usque in finem cap. 8.

5. Quinto narrat, qualiter disseminationem hanc fecit *Saulus,* ad fidem miraculose conversus; a principio cap. 9. (v. 1-31.): « Saulus adhuc spirans

[1] Sec. Correct. Clem. Rom. c. 7, 60.

minarum », usque ibi: « Factum est autem, dum Petrus transiret ».

6. Sexto iterum redit ad narrandum, qualiter hanc disseminationem fecit apostolorum praecipuus et primus, scilicet *Petrus,* et hoc *inter Iudaeos,* ibi (c. 9, 37-43.): « Factum est autem, ut Petrus »... usque in finem cap. 9., ubi duo miracula ponit, scilicet curationem paralytici Aeneae et suscitationem Tabithae mortuae.

7. Septimo narrat, qualiter disseminationem hanc fecit *Petrus inter Gentiles* et paganos, agens de Cornelio et Gentilibus, qui conversi sunt cum eo ad praedicationem Petri (c. 10.).

8. Octavo narrat, qualiter disseminationem istam sustinuit ac defensavit *Petrus* contra Iudaeos, qui illam reprehendebant, ibi (c. 11, 1-18.): « Audierunt autem Apostoli » etc. usque ibi: « Illi quidem, qui dispersi fuerant a tribulatione ».

IV. Ecclesia a Spiritu sancto digne intitulata.

In quarta vero parte principali, quae incipit in loco praefato (c. 11, 19.): « Illi quidem, qui dispersi fuerant », et protenditur usque in finem capituli sequentis, probat Lucas *minorem* quantum ad quartam partem, videlicet, quod fidelium congregatio primitiva post sui disseminationem fuit per Spiritum sanctum *digne intitulata.* Non enim habebant fideles nomen proprium et condignum, sed appellabantur discipuli, donec in Antiochia post disseminationem multiplicem ibi factam dicti sunt *Christiani.* Unde meruit illa civitas ratione multitudi-

nis fidelium ac sanctitatis, devotionis et pietatis eorum imponere credentibus hoc nomen sanctissimum et famosum. Et hoc Lucas ostendit a loco praedicto: « Illi quidem », usque in finem capituli 11.

Deinde narrat, qualiter post hanc intitulationem christianitas passa est persecutionem in morte *Iacobi* et incarceratione *Petri* (c. 12, 1-5.): « Eodem autem tempore misit Herodes », usque ibi: « Cum autem producturus eum esset Herodes ».

Deinde narrat liberationem miraculosam Petri a loco praedicto: « Cum autem producturus eum esset », usque ibi: « Herodes autem, cum requisisset eum ».

Deinde narrat Dei iustam punitionem et mortem illatam *Herodi* propter mortem Iacobi et incarcerationem Petri et propter cordis sui superbiam; a loco praedicto (c. 12, 6-23.): « Herodes autem », usque ibi: « Verbum autem Domini ». Ultimo redit ad narrationem illius intitulati collegii christiani, ab illo loco: « Verbum autem Domini » usque in finem capituli.

V. Ecclesia a Spiritu sancto mirabiliter translata.

In quinta vero parte principali, quae incipit (c. 13-28.): « Erant autem in ecclesia, quae erat in Antiochia », usque in finem libri per 16 capitula, probat Lucas *minorem* quantum ad quintam partem, videlicet, qualiter illa congregatio iam intitulata fuit per Spiritum sanctum *translata* et transportata a Iudaeis in Gentiles, ne remaneret arctata ad unam nationem et unum israeliticum populum,

sed potius diffunderetur in omnes gentes per universum mundum.

Et quia istius transportationis potissimum minister fuit beatissimus Paulus, sicut ipse testatur ad Romanos (c. 11, 13.): « Quamdiu gentium sum apostolus, ministerium meum honorificabo »; et ad Galatas (c. 2, 8.): « Qui operatus est et mihi inter gentes ». Et ipse solus saepe dixit Iudaeis: « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quia repellitis illud, ecce convertimur ad gentes ».

Quia igitur huius translationis minister et apostolus exstitit Paulus, idcirco ab isto loco usque in finem libri AGITUR DE ACTIBUS PAULI. Et *primo* narrat Lucas, qualiter Paulus et Barnabas ad apostolatum gentium sunt vocati et per Spiritum sanctum electi (c. 13, 1-3.). *Secundo* vero narrat qualiter iniunctum officium sunt diligenter exsecuti, ibi (c. 13, 4. sq.): « Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto ».

Ad videndum autem processum libri ab illo loco (c. 13, 4.): « Et isti quidem missi a Spiritu sancto » usque in finem, sciendum, quod narrat Lucas SEPTEM MAGNAS PEREGRINATIONES atque itinera et discursus, quos fecit per gentium conversionem ad fidem Iesu Christi.

I. Primum namque fecit ad *plantandum et seminandum fidem* in gentibus vicinioribus, utpote in *Cypro, Iconio, Lystris* et aliis regionibus circa Antiochiam situatis. Et hunc discursum narrat Lucas per capitulum 13. et 14. inclusive, in quibus explicat regiones et loca, per quae praedicaverunt Paulus et Barnabas, ex quo egressi sunt de Antiochia, donec ad ipsam redirent.

II. Secundum vero viagium fecit Paulus apostolus *ad defendendum* et ad manutenendum in libertate fidem Christi iam plantatam in gentibus, quam aliqui ex Iudaeis credentibus videbantur in servitutem redigere, asserentes, quod oportebat gentiles ad fidem Christi conversos circumcidi et ceremonias legis Moysi observare, et aliter non poterant salvi fieri, quibus resistens Paulus pro ista libertate accessit ad *primum concilium generale,* super ista quaestione Hierosolymis congregatum auctoritate Petri et Iacobi. Et hunc discursum narrat Lucas et qualiter Paulus obtinuit, usque ibi (c. 15, 1-35.): « Post aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus: Revertentes visitemus fratres ».

III. Tertium vero viagium fecit Apostolus ad plantandum fidem in gentibus magis distantibus, utpote in *Macedoniam et Graeciam.* Et hunc discursum narrat Lucas a loco praefato (c. 15, 36-c. 18, 22.): « Post aliquos autem dies », usque ibi: « Et facto ibi aliquanto tempore profectus est ».

Narrat enim 1. quod assumpsit in socium quendam gentilem fidelem, nomine *Timotheum* quoniam dimiserat eum Barnabas, qui consueverat ire secum, usque ibi (c. 15, 36-c. 16, 5.): « Transeuntes autem Phrygiam » etc.

2. Deinde narrat, qualiter prohibitus est per Spiritum sanctum, ne praedicaret in Asia et Bithynia, sed transiret ad magis distantem locum, videlicet ad regnum Macedonium, usque ibi (c. 16, 6-10.): « Navigantes autem a Troade ».

3. Deinde vero narrat, qualiter praedicavit in quatuor locis principalibus illius regionis: a) primo quidem *Philippensibus,* et hoc ab illo loco (c. 16,

10-40.): « Navigantes » usque in finem; b) secundo vero qualiter praedicavit *Thessalonicensibus,* usque ibi (c. 17, 1-15.): « Paulus autem cum Athenis »; c) tertio autem narrat, qualiter praedicavit *Atheniensibus,* a praedicto loco (c. 17, 16-34.): « Paulus autem » usque in finem cap.; d) quarto qualiter praedicavit *Corinthiis* et hoc facit a cap. 18. (v. 1-17.): « Post hoc egressus », usque ibi: « Paulus vero cum adhuc »; e) ultimo vero narrat, qualiter tertio viagio consummato Antiochiam est regressus, et hoc facit a praefato loco (c. 18, 18-22.): « Paulus vero » usque ad locum, ubi incipit narrare quartum viagium, ubi scribitur: « Et facto ibi aliquanto temporis ».

Est autem considerandum, quod in quolibet viagio ex tribus praedictis incipiebat viam et iter ab Antiochia et in fine ad Antiochiam redibat.

IV. Quartum vero viagium fecit Paulus apostolus ad plantandum fidem in gentibus vicinioribus, a quibus prius prohibitus erat, videlicet Asianis. Unde ivit ad praedicandum *Ephesum,* ubi primo Apollo fuerat et inde recesserat versus Corinthum. Et hoc narrat Lucas a praefato loco in fine 18. cap. situato (v. 23.): « Et facto ibi » usque in finem 19. cap. inclusive.

V. Quintum vero viagium fecit Paulus apostolus ad confirmandum fidem iam plantatam in *Macedonibus,* donec iterum rediret prope *Ephesum* ad confirmandum etiam fidem eorum. Vocavit enim Ephesios apud Miletum, ubi consolatus est episcopos illius ecclesiae et seniores (c. 20.).

Est autem sciendum, quod in his quinque viagiis multae persecutiones suscitatae sunt contra

Paulum, a quibus narrat Lucas fuisse per Spiritum sanctum liberatum, ut sic semper probetur intersecaliter et commixtim sexta pars *minoris,* quam in toto libro intendit.

VI. Sextum vero viagium fecit Paulus versus *Hierusalem* ad tolerandum pro fide, quam plantaverat et portaverat in gentibus. Ex hoc enim odiosus erat Iudaeis. Et hoc narrat Lucas a 21. cap. usque ad 27. exclusive per 6 capitula. Nam

1. In 21. capitulo narrat, quod quamvis esset per prophetas prohibitus, nihilominus Hierosolymam ascendit, ubi exstitit captus.

2. In 22. cap. narrat, qualiter iam captus Iudaeorum populum fuit allocutus, permittente tribuno, et qualiter fuit a flagellis liberatus, quia protestatus est, quod esset civis romanus.

3. In cap. 23. narrat, qualiter fuit in concilio constitutus, ubi posuit dissensionem inter Saducaeos et Pharisaeos, propter quam fuit expeditus. Narrat etiam coniurationem quadraginta virorum contra ipsum, propter quam fuit ad praesidem in Caesarea destinatus.

4. In cap. 24. narrat, qualiter fuit coram praeside ab Arculio oratore, quem princeps sacerdotum et seniores adduxerant, accusatus, et qualiter post suam responsionem fuit adhuc in custodia mancipatus, quamvis libera, in qua per biennium stetit.

5. In cap. 25. narrat, qualiter post biennium Festus praeses, qui Felici successerat, vellet eum Iudaeis tradere, appellavit ad Caesarem, et qualiter coram Herode Festus inquisivit, an deberet ad Augustum destinari vinctus, cum non esset de aliquo crimine notabili accusatus.

6. In cap. 26. narrat, qualiter coram rege Agrippa praedicavit fidem Christi et excusavit se in depositis a Iudaeis, et qualiter adiudicavit Agrippa, quod erat omnino sicut innocens, nisi appellasset ad Caesarem dimittendus.

VII. Septimum vero viagium et ultimum fecit ad plantandum fidem in gentibus nobilioribus et excellentioribus, videlicet *Romanis,* et hoc narrat Lucas a cap. 27. ad 28, in quibus enumerat civitates et portus, per quos transierunt navigando a Caesarea usque Romam. Haec per se patent.

VIII. Est autem sciendum, quod hic innuit Lucas *octavum viagium,* quod creditur, Paulum apostolum fecisse ad plantandum fidem in Hispania et occidentalibus partibus, de quo ipsemet loquitur ad Romanos dicens (c. 15, 23. 24.): « Ex multis iam praecedentibus annis spero, cum in Hispaniam proficiscar, videre vos ». Unde et in Narbona dicitur reliquisse Sergium Paulum archiepiscopum, cum de Hispania rediret. Hoc autem viagium innuit Lucas fecisse in ultimo versiculo huius libri, cum ait, quod mansit toto biennio in conducto suo. Constat autem, quod iste fuit quartus annus Neronis [1]. Nam in secundo anno eius ductus est Romam ad Caesarem, ad quem appellaverat, et sic duobus annis ab eodem permissum est, sub libera custodia in conducto proprio praedicare. Imperavit autem Nero praedictus quatuordecim annis, et ultimo anno Petrus et Paulus interfecti sunt ab eodem. Cum igi-

[1] In sequenti chronologia auctor aperte erravit et conclusionem, quod Paulus adhuc per decem annos praedicasset, « maxime in Hispania », frustratus est. *(Editor).*

tur Lucas testetur, Paulum praedicasse biennio Romae, innuit quod per novem aut per decem annos sequentes profectus est ad praedicandum alibi. Et ideo rationabiliter convincitur, quod praedicaverat in partibus occidentalibus, maxime in Hispania, ut sic impleret Deus eius propositum et intentum.

Et in hoc liber Actuum Apostolorum finitur.

INCIPIUNT VII EPISTOLAE CANONICAE.

Prologus.

Nunc accedit liber septem Canonicarum, qui editus est a quatuor Apostolis: Iacobo scilicet, quantum ad unam epistolam; Petro, quantum ad duas; Ioanne, quantum ad tres; Iuda, quantum ad unam.

Intendunt autem omnes isti Apostoli unam conclusionem, videlicet Christi *Ecclesiam* et quemlibet fidelem *informare* respectu agendorum et credendorum.

Dividitur autem liber iste in *quatuor partes* principales secundum numerum quatuor scribentium.

I. Prima namque pars, quae continuatur per canonicam *Iacobi* Apostoli, est informativa respectu moralium virtutum quantum ad omnem statum in generali.

II. Secunda vero pars, quae continet duas canonicas beati *Petri* Apostoli, est informativa respectu moralium virtutum secundum diversum tempus et statum, providendo cuilibet in speciali.

III. Tertia vero pars, quae continet tres canonicas *Ioannis,* est informativa respectu theologicarum virtutum, scilicet fidei, spei et caritatis modo singulari.

IV. Quarta vero pars, quae continet canonicam beati *Iudae,* est confirmativa omnium praecedentium et doctrinae Apostolorum verorum, et pseudoapostolorum confutativa modo virtuali et rationali.

Incipit canonica beati Iacobi.

Incipit ergo epistola canonica beati Iacobi apostoli, et praemittitur salutatio secundum modum epistolarem. Unde introducit personam salutantem dicens: « Iacobus », et personam instigantem ad scribendum, subdens: « Dei et Domini nostri Iesu Christi », cuius amor et obsequium ad scribendum excitabat; et coetum salutatum, subdens: « Duodecim tribubus, quae sunt in dispersione »; et bonum optatum, concludens: « Salutem ».

Tunc sequitur narratio ibi: « Omne gaudium existimate, fratres ». *Et dividitur in viginti partes* secundum viginti doctrinas morales, quas in praesenti canonica beatus Iacobus ponit.

1. Primo namque monet ad virtutem *patientiae et stabilitatis* respectu adversorum, et hoc facit ibi (c. 1, 2-4.): « Omne gaudium » usque ibi: « Si quis vestrum indiget sapientia ». Circa autem virtutem patientiae describit modum, quia verus patiens non solum debet sustinere, imo in sustinendo debet gaudere, et ideo dicit: « Omne gaudium existimate ». Et describit obiectum, subdens: « In tentationibus variis ». Et describit fructum et pro-

fectum sub quadam concatenatione, concludens: « Scientes, quod probatio fidei vestrae patientiam operatur ».

2. Secundo vero monet ad virtutem *confidentiae et firmitatis.* Docet enim confidere et firmiter postulare a Deo omnia, quibus homo indiget et in nullo haesitare de Deo. Et durat haec doctrina ab illo loco (c. 1, 5-8.): « Si quis autem », usque ibi: « Glorietur autem frater humilis ». Circa virtutem autem confidentiae docet, quoniam confidendum est in tempore indigentiae, tunc enim Deus assistit, et ideo promittit: « Si quis autem vestrum indiget sapientia vel alio dono ». Deinde docet, in quo solo est fons affluentiae, videlicet in solo Deo. Unde subdit: « Postulet a Deo ».

Et ponit *quinque rationes,* quare in solo Deo est confidendum tempore indigentiae. Nam quia dat faciliter, sufficit quod homo postulet; et quia dat communiter, unde subdit: « Qui dat omnibus »; et quia liberaliter, unde subdit: « Et non improperat »; et quia infallibiliter, unde addit: « Et dabitur ei », quasi dicat, quod nullum fallit nec frustrat.

Deinde docet, quod est confidendum, quia si accedatur ad Deum cum firmitate et dono adhaerentiae; unde subdit: « Postulet a Deo in fide nihil haesitans ». Et adducit ad probandum istum modum exemplum naturae, ibi: « Vir duplex animo inconstans est ».

3. Tertio vero monet ad virtutem *aequanimitatis,* quae multum vicinatur patientiae, non tamen est eadem. Nam patientia respicit solum adversa; aequanimitas respicit tam prospera quam adversa.

Est enim aequanimis, qui in quadam lance rectae rationis consistit, ut nec extollatur in prosperis, nec deiiciatur in adversis, sed ad modum boni quadrati, ut dicit Philosophus in primo Ethicorum, et boni tetragonismi sine vituperio in quocunque latere plane cadit. Ad David dictum est (II. Reg. 14, 17.), quod « sicut Angelus Domini » esset, qui nec maledictione nec benedictione moveretur.

Durat autem ista doctrina de aequanimitate ab illo loco (c. 1, 9-11.): « Glorietur autem frater humilis » usque ibi: « Beatus vir, qui suffert ». Circa istam virtutem describit

a) primum actum, qui est in prosperis non erigi, cum dicit: « Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua »;

b) et actum secundum, qui est in adversis non deiici, cum subdit: « Dives autem in humilitate sua ».

Et rationem utriusque assignat, cum subdit: « Quia sicut flos foeni transibit », ubi quandam similitudinem assumit et deinde ad propositum adaptat et inducit, ibi: « Ita et dives in muneribus suis marcescit ».

4. Quarto monet ad virtutem *pudicitiae et castitatis*. Unde docet, tentationes carnis cum magna fortitudine et resistentia sustinere. Durat autem haec doctrina ab illo loco (c. 1, 12-18.): « Beatus vir », usque ibi: « Fratres mei dilectissimi » etc. Circa autem virtutem istam sic procedit, quia

a) primo ostendit, ipsam esse maximi meriti, dicens: « Beatus vir, qui suffert tentationem », resistendo scilicet concupiscentiis, « quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae ».

b) Deinde vero respondet cuidam dubitationi, quae posset suboriri. Posset enim aliquis credere, quia dixerat, quod resistere tentationi est probatio hominis quaedam, ut recipiat coronam vitae, — quod Deus mitteret huius tentationes carnis: qui removens dicit, quod cum talis tentatio mala sit, Deus neminem tentat de peccato carnis, sed quisque a propria concupiscentia tentatur. Et hoc facit ibi: « Nemo cum tentatur ».

c) Deinde ostendit, hanc virtutem inter ceteras esse singulariter et praecipue donum Dei, sicut et Sapiens ait (Sap. 8, 21.): « Non possum esse continens, nisi Deus det ». Et hoc facit ibi: « Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est ».

d) Deinde vero probat istud ex assimilatione genitoris et geniti. Deus enim generat quemlibet fidelem per verbum veritatis, iuxta illud Ioannis (c. 1, 12.): « Dedit eis potestatem, filios Dei fieri ». Genitus autem debet assimilari genitori. Cum ergo Deus mundus et sanctus sit, secundum illud (Lev. 19, 2.): « Sancti estote, quoniam ego sanctus sum », argumentum est, quod ipse in nobis initiat munditiam et castitatem [1]. Et hoc facit ibi: « Voluntarie enim genuit vos », vel forte ab illo loco: « Omne datum optimum » usque in finem huius doctrinae, ubi ostendit, qualia sunt Dei dona, quia perfecta et optima occasione accepta ex hoc, quod dixerat, quod carnis tentatio a Deo non erat.

---

[1] Deest conclusio auctoris: « Ergo genitus sanctus esse debet ».

5. Quinto monet ad duas virtutes simul, scilicet ad virtutem *mansuetudinis et docilitatis.* Et durat haec doctrina ab illo loco (c. 1, 19-27.): « Scitis, fratres mei dilectissimi » usque in finem cap. 1. Ibi coniungit has duas virtutes, quia ostendit discentem credere et mansuetum esse.

Ponit autem a) documentum primo quantum ad utramque virtutem in principio; b) deinde vero exponit ipsum quantum ad hoc quod dictum est de virtute mansuetudinis, ibi: « Ira enim viri »; c) deinde vero quantum ad hoc quod dictum est de virtute docilitatis, ibi: « Estote autem factores verbi ». Et quia docilitati practice duo repugnant, scilicet otiositas ab operatione (dicit enim Philosophus primo Ethicorum, quod moralis doctrinae non est proprius auditor sectator passionum, qui opere non implet quod audit) et garrulitas in locutione, cum quis antequam didicerit, loqui vult et docere; idcirco loquens de virtute docilitatis prohibet otiositatem ab operatione, dicens: « Estote factores verbi », et garrulationem in locutione, subdens: « Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam ».

6. Sexto monet ad virtutem *iustitiae,* maxime distributivae, et invehitur contra vitium sibi oppositum, quod est acceptio personarum. Et incipit haec doctrina in principio cap. 2. (v. 1-11.): « Fratres mei », duratque usque ibi, ubi scribitur: « Sic loquimini et sic facite ». In hoc autem documento sic procedit:

a) quod primo ipsum proponit. Prohibet enim acceptionem personarum;

b) secundo ipsum exponit, ibi: « Etenim si in-

troierit in conspectu vestro »; ostendens, in quo casu est personarum acceptio, quia dum praeponitur dives pauperi sola contemplatione divitiarum;

c) tertio vero vitium illud redarguit et ex divina auctoritate confirmat, ibi: « Audite, fratres mei: Nonne Deus eligit pauperes »? Et ex divitum crudelitate, ibi: « Nonne divites per potentiam opprimunt vos »? Et ex eorum infidelitate, ibi: « Nonne ipsi blasphemant bonum nomen »?

d) quarto vero temperamentum opponit; forte autem posset aliquis credere, quod moneret nos, ut odiremus divites et diligeremus tantum pauperes, et hoc removens dicit: « Cum legem perficitis legalem, bene facitis ».

7. Septimo monet nos ad virtutem *misericordiae et pietatis*. Et incipit haec doctrina circa medium secundi capituli ibi (v. 12-17.): « Sic loquimini et sic facite ». Et finitur ibi: « Sed dicet aliquis ». Probat autem, quod virtus pietatis et misericordiae maxime congruit Christiano propter tria:

a) primo ratione caritatis et mititatis animorum, quia lex christiana lex est caritatis et libertatis, propter quod unus debet alteri compati et misericors esse. Et hanc rationem tangit, dicens: « Sic loquimini et sic facite, sicut per legem libertatis »;

b) secundo ratione iustitiae et aequitatis fiendorum in die iudicii, quia tunc misericordes misericordiam consequentur, ibi: « Iudicium sine misericordia »;

c) tertio ratione veritatis credendorum; quia non vere credit, sed habet fidem mortuam, qui non

habet ad proximum misericordiam, maxime ad fratrem suum christianum, ibi: « Quid proderit, fratres mei, si fidem dicat quis se habere ».

8. Octavo monet ad virtutem *vigilantiae et strenuitatis,* ibi (c. 2, 18-26.): « Sed dicet aliquis », et durat usque in finem cap. 2. Tangit enim quatuor rationes, propter quas debet quilibet pervigil esse in bonis actibus, strenuus et operosus.

a) Primam quidem, quia operositas est perfectionis declarativa, sicut dicit Salvator: « A fructibus eorum cognoscetis eos ». Et hanc rationem tangit ibi: « Sed dicet aliquis », ostendens, quod perfectio et fides bona hominis non manifestatur nisi ex operibus.

b) Secundam vero, quia est perfectionis consummativa et completiva. Nam fides sine operibus otiosa sive mortua est, carens suo complemento. Et inducit ad hoc exemplum Abrahae et auctoritatem scripturae, ibi: « Vis autem scire, o homo inanis ».

c) Tertiam quoque, quia virtus haec est perfectionis acquisitiva. Disponit enim et promeretur acquisitionem perfectionis exemplo Raab, ibi: « Similiter et Raab meretrix ».

d) Quartam vero, quia est perfectionis adornativa; sicut enim corpus ornatur per animam, sic et perfectio hominis per operationem multiplicem virtuosam, ibi: « Sicut enim corpus sine spiritu ».

9. Nono monet ad virtutem *taciturnitatis et refrenationem linguae.* Et incipit haec doctrina a principio cap. 3: « Nolite plures magistri fieri, fratres mei ». Durat quoque usque prope finem, ibi: (c. 3, 1-12.): « Quis sapiens et disciplinatus inter

vos »? Describit autem vitium linguae et loquacitatis quantum ad sex conditiones, propter quas omnis homo debet fugere istud vitium. Ostendit namque

Primo, quod est vitium declarativum praesumtionis. Ex praesumtione namque cordis et appetitu apparentiae loquacitas procedit. Et hoc est, quod in principio dicit: « Nolite plures magistri fieri ».

Secundo ostendit, quod est vitium conturbativum communionis, subdens: « Quia in multis offendimus omnes unus alterum ».

Tertio vero ostendit, quod est vitium enervativum perfectionis, ibi: « Si quis in verbo non offendit » etc.

Quarto ostendit, quod est vitium, quamvis modicum quantum ad instrumentum, quod est lingua, tamen maximum in virtute, quia introductivum multae confusionis et turbationis. Et ponit ad hoc exemplum animale de freno equi, ibi: « Potest autem cum freno circumducere ». Et exemplum artificiale de nave et gubernaculo, ibi: « Et ecce naves ». Et exemplum naturale de modica scintilla ignis, quae comburit totam domum vel unam silvam, sic ergo lingua magna pericula inducit, ibi: « Ecce quantus ignis ».

Quinto ostendit, quod est vitium contentivum rebellionis, quia linguam nemo domare potest: « Omnis enim natura bestiarum ».

Sexto ostendit, quod est vitium contentivum multiplicis offensionis et in Deum et in proximum, ostendens, quod tales loquaces, qui detrahunt proximo, etsi lingua benedicant Deo, nihil utile sibi

faciunt, adducens exemplum de dulci aqua et amara, quae nunquam de eodem foramine fontis emanat, et de ficu et uva, quae non procedunt ex eadem arbore: « In ipsa benedicimus Deum patrem ».

10. Decimo monet ad virtutem *sapientiae et caelestis prudentiae,* ibi (c. 3, 13-18.): « Quis sapiens et disciplinatus » usque in finem cap. 3.

Et a) primo monitionem suam proponit de caelesti sapientia et prudentia, dicens: « Quis sapiens et disciplinatus ».

b) Deinde vero monitionem exponit, ibi: « Quod si zelum animarum habetis ». Et primo declarat, quae sit prudentia et quae prudentiae contraria: quia terrena et diabolica, zelo et contentione plena. Secundo ibi: « Quae autem desursum est »... ostendit, quae sit prudentia caelestis et vera. Tertio autem ibi: « Fructus autem iustitiae ». Concludit de sapientia, quod est multum fructuosa.

11. Undecimo monet ad virtutem *humilitatis et subiacentiae* et detestatur elationem ac vitium superbiae. Et incipit haec doctrina in principio 4. cap. ibi (v. 1-7.): « Unde bella et lites » etc., durat autem usque ibi: « Appropinquate Domino ». In monitione autem ista de virtute humilitatis detestatur oppositum vitium, scilicet superbiam propter mala, quae inde oriuntur: et in ordine ad Deum et in ordine ad proximum et in ordine ad se ipsum. Et secundum hoc habet quatuor partes:

a) Primo namque ostendit, quod in ordine ad proximum oriuntur ex superbia lites et bella, mortes et scelus.

b) Secundo ibi: « Et non habetis », ostendit malum, quod sequitur in ordine ad se ipsum. Nam

ex superbia oritur in corde mala confidentia, et ex hoc non postulat nec recurrit ad divinum auxilium propter praesumtionem cordis, et si postulat, non accipit, eo quod male petat.

c) Tertio ibi: « Adulteri nescitis, quia amicitia », ostendit malum, quod sequitur in ordine ad Deum. Nam pullulat ex superbia, ambitione et vanitate odium Dei et amor huius saeculi.

d) Quarto ibi: « An putatis », hortatur ad humilitatem, quod est principale intentum. Et adducit duplicem scripturam: primam, quae dicit: « quod spiritus noster humanus superbus est et inflatus et ad invidiam provocat ». Secundam, quae dicit, quod Deus superbis se opponit et humilibus gratiam donat. Et ex hoc concludit propositum de virtute humilitatis: « Subditi estote Deo » etc.

Posset autem dici, quod in praedicta doctrina detestatur invidiam et monet ad benignitatem et pacem. Sed quia invidia oritur ex superbia, melius est, ut exponatur, sicut dictum est.

12. Duodecimo vero monet ad *austeritatem et virtutem poenitentiae,* ibi: « Appropinquate Domino, et appropinquabit vobis ». Et ponit tria, secundum quod poenitentia habet tres partes: scilicet

a) contritionem, per quam quis Deo appropinquat, et ad istam monet dicens: « Appropinquate Domino, et appropinquabit vobis »;

b) et confessionem, per quam purificatio cordis et emundatio manus est, et ad istam monet subdens: « Et mundate manus, peccatores »;

c) et punitionem sive vindictam et satisfactionem, et ad hanc monet docendo vindicare peccatum conceptum, ibi: « Miseri estote », scilicet in

corde, et lugete; et peccatum ostensum per signum narium, scilicet risum, ibi: « Risus vester in luctum convertatur »; et peccatum patratum etiam perfectum per actum, ibi: « Humiliamini in conspectu Dei ».

13. Decimo tertio monet ad virtutem *benignitatis et benevolentiae,* cui opponitur detractio et murmuratio. Et incipit haec doctrina ibi (c. 4, 11.): « Nolite detrahere alterutrum, fratres mei ». Et primo detestatur ipsum vitium; secundo ibi: « Qui detrahit fratri », inducit ad hoc rationem et triplex medium: a) legis transgressionem, dicens: « Qui detrahit fratri, detrahit legi et iudicat legem »; b) sui condemnationem, subdens: « Unus est legislator, qui potest perdere et liberare »; c) sui praesumtionem, subdens: « Tu autem, quis es, qui iudicas proximum tuum »? Ex his enim tribus debet homo vitare detractionem, sive iudicium proximi sui, quia in iudicando fratrem venit contra legem de caritate proximi, et quia usurpat officium iudicis, qui potest eum condemnare, et quia ad ipsum non pertinet alium iudicare.

14. Decimo quarto monet ad virtutem *timorationis internae* ac reverentiae in ordine ad Deum, cui opponitur audacia temeraria et exsultatio vana. Et incipit haec doctrina ibi (c. 4, 13.): « Ecce nunc quid dicitis »?

a) Exponit vitium temeritatis, quae opponitur timorationi divinae, dicens: « Ecce nunc quid dicitis: Hodie aut crastino ibimus in civitatem illam ».

b) Contra illud vitium rationabiliter opponit, ibi: « Qui ignoratis quid sit vobis in crastino ».

c) Virtutem oppositam et modum debitum docet et proponit, ibi: « Pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit ».

d) Modum oppositum esse in visu, ostendit ibi: « Nunc autem exsultatis in superbiis vestris ».

e) Illud ipsum reprehendit maxime in Christianis, qui sciunt, qualiter est agendum, et non agunt; et hoc facit ibi: « Scientes igitur bonum facere ».

15. Decimo quinto monet ad virtutem *contentationis et sufficientiae,* quae opponitur cupiditati et avaritiae. Et incipit haec doctrina in principio 5. cap. « Agite nunc, divites », ubi detestatur avaritiam propter quinque rationes:

a) primo quidem, quia causat oblivionem et immemoriam proprii status. Non enim cogitant tales, quae evenient eis. Et hoc facit in principio dicens: « Plorate in miseriis vestris, quae advenient vobis »;

b) quia excaecat internam prudentiam, quae dictat, divitias et vestimenta et omnem ornatum esse contemnendum, sicut res putrefactioni subiectae, ibi: « Divitiae vestrae putrefactae sunt »;

c) quia causat indebitam animae adhaerentiam et superfluam curam. Unde generat ignem et aeruginem sollicitudinis intentae, et ideo subdit: « Aurum et argentum vestrum aeruginavit »;

d) quia claudet in die iudicii Dei misericordiam, cum dicet (Matth. 25, 35.): « Esurivi, et non dedistis mihi manducare ». Et ideo subdit: « Thesaurizastis autem vobis iram in novissimis diebus »;

e) quia facit avaritia multiplicem iniustitiam et multam pauperum oppositionem, quorum clamor

provocat divinam iram, et ideo subdit: « Ecce merces operariorum suorum quam messuerunt ».

16. Decimo sexto monet ad virtutem *castitatis et sobrietatis et temperantiae,* opposita vitia detestando, scilicet peccatum gulae et peccatum luxuriae. Et incipit haec doctrina ibi (c. 5, 5.): « Epulati estis », ubi

a) Primo detestatur gulam dicens: « Epulati estis super terram ».

b) Illud, quod oritur ex gula, scilicet luxuriam, ibi: « Et in luxuriis vestris enutristis corda vestra ».

c) Deinde illud, quod oritur ex utroque, videlicet ignaviam et crapulam, ibi: « Enutristis corda vestra ».

d) Deinde quartum, quod oritur ex his tribus, videlicet malitiam in viros honestos et iustos. Nam tales consueverunt contra sanctos homines machinari. Unde subdit: « In die occisionis occidistis iustum ».

Convenienter autem ponit istam doctrinam de detestatione luxuriae et gulae post doctrinam, in qua divitias et avaritiam fuerat detestatus, quoniam istud vitium plerumque sequitur illud.

17. Decimo septimo monet ad virtutem *longanimitatis et perseverantiae.* Et hoc rationabiliter. Egerat namque de avaritia divitum et voluptatibus eorum, qui consueverunt opprimere virum iustum. Et ideo nunc iustos et pauperes ad longanimitatem exhortatur, ut exspectent adventum Domini, in quo divitibus reddentur mala pro peccatis et ipsis bona pro patientia et actibus meritoriis. Et incipit haec doctrina ibi (c. 5, 7.): « Patientes igi-

tur estote, fratres ». Monet autem ad hanc doctrinam triplici via:

Primo namque per quandam similitudinem de agricola exspectante fructum terrae.

Secundo ibi: « Pacifici estote vos, quoniam adventus Domini propinquabit », procedendo per repromissionem et promittendo certitudinem dominici adventus et propinquitatem.

Tertio ibi: « Exemplum accipite », proponendo sanctorum praecedentium vitam et formam exemplarem. Omnes enim per patientiam et longanimitatem ad regnum pervenerunt.

18. Decimo octavo monet ad virtutem *religionis et latriae,* prohibendo actum sibi contrarium, videlicet periurium et assuefactionem iuramenti. Et incipit haec doctrina ibi (c. 5, 12.): « Ante omnia, fratres mei », ubi

a) primo prohibet iuramenti frequentiam et assuefactionem et pronitatem, dicens: « Nolite iurare neque per caelum neque per terram ».

b) Monet ad verbi simplicitatem: « Sit autem sermo vester: Est, est ».

c) Monet ad illum actum religionis a iuramento, videlicet ad actum laudis et orationis, ibi: « Tristatur autem aliquis vestrum ».

d) Monet ad alium actum, qui est suscipere reverenter et debite sacramentum, maxime ultimum, quod est extrema unctio, quod ipse solus inter alios Apostolos promulgavit. Et hoc facit ibi: « Infirmatur aliquis ex vobis ».

19. Monet ad virtutem *caritatis et mutuae amicitiae,* maxime spiritualis. Et hoc facit ibi: « Confitemini ergo alterutrum peccata vestra », ubi

primo ponit admonitionem de caritate et spirituali amicitia, quae consistit in secretorum revelatione, maxime peccatorum, et mutua oratione, ut possint evitari peccata. Secundo ibi: « Multum enim valet », ostendit orationem mutuam multae esse efficaciae per exemplum Eliae prophetae.

20. Vigesimo et ultimo monet ad virtutem *correptionis fraternae,* in ultima particula: « Fratres, si quis autem ex vobis erraverit ». Et posset reduci haec particula ad praecedentem, quia fraterna correptio procedit ex caritate.

Et in hoc finitur epistola Iacobi.

Incipit prima canonica beati Petri Apostoli.

Prologus.

Nunc accedit prima canonica Petri et secunda, quae sic distinguuntur. Postquam enim tractavit beatus Iacobus de virtutibus moralibus in generali, non considerata aliqua conditione singularis personae vel temporis; nunc beatus Petrus in his duabus canonicis tractat de virtutibus diversis secundum diversitatem temporum et personarum.

In *prima* enim tractat de diversis virtutibus secundum diversitatem personarum, unde refert se *ad diversos status.*

In *secunda* vero, quae incipit: « Simon Petrus », secundum *diversas conditiones temporales,* unde refert se ad novissimum et finale tempus *antichristi.*

Prima autem canonica *dividitur in tres partes: Exordium, Processum* et *Terminum,* sive

inchoationem, narrationem et conclusionem; secunda incipit ibi: « Benedictus Deus »; tertia ibi: « Ipsi gloria ».

I. EXORDIUM.

Exordium ergo sive salutatio dividitur in quatuor partes:

Quia primo introducitur salutantis *persona*, cuius exprimitur vocabulum « Petrus », et officium « apostolus », et obsequium « Iesu Christi ».

Secundo introducitur salutata *Ecclesia*, cuius tangitur aeternalis dilectio, cum dicitur: « Electis a Deo », supple ab aeterno; et temporalis vocatio, ibi: « Advenis »; et poenalis perpessio et persecutio passa pro Christo, quia « dispersis »; et localis descriptio, quia « Ponti, Galatiae » etc.

Tertio introducitur salutationis *causa;* ideo enim eos salutat, quia sunt electi secundum praescientiam Dei. Unde tangit aliquid electionem praecedens, dicens: « Secundum praescientiam Dei patris », et aliquid succedens ex tempore. Ostendit enim eos electos ad participationem flaminis, cum dicit: « In sanctificationem Spiritus »; et ad subiectionem propriae voluntatis voluntati Dei patris, cum subdit: « In obedientiam »; et ad efficaciam sanguinis, ad meritum passionis Christi, cum subdit: « Et aspersionem sanguinis Iesu Christi ». Ex quibus causa et ratio sufficiens colligitur, quare salutatur.

Quarto introducitur salutationis *forma*. Optat enim eis bonum in ordine ad Deum, cum ait: « Gratia vobis »; et in ordine ad mundum, in quo

possint vivere tranquille, cum subdit: « Et pax multiplicetur »; vel bonum praesens, quod est gratia, et bonum futurum, quod est pax et gloria.

II. PROCESSUS.

Deinde sequitur narratio et processus, ibi (c. 1, 3.): '« Benedictus Deus », et habet *tres partes* principales.

PRIMA PARS.

Prima continet *gratiarum actionem* super susceptis beneficiis a Christo. Docet enim gratias agere de SEX BENEFICIIS *per fidem* Christi nobis collatis.

Et primum quidem est *ablutio baptismalis,* per quam regeneramur. Et de isto beneficio ait: « Qui secundum misericordiam suam regeneravit nos ».

Secundum est *tuitio virtualis,* per quam conservamur ab omni malo in praesenti, donec perveniamus ad salutem, et de isto subdit: « In vobis, qui in virtute Dei custodimini ».

Tertium est *perpessio martyrii* corporalis, per quam probamur atque purgamur et tentamur. Et de isto subdit: « Modicum nunc, si oportet contristari ».

Quartum est *dilectio visceralis,* per quam copulamur et unimur Christo, ceteris gentibus excaecatis. Et de illo subdit: « Quae tamen non videntes diligitis ».

Quintum est *praeparatio prophetalis,* per quam informamur. Est enim magna gratia, quia praemisit Deus prophetas ad informationem nostram, et

de hoc beneficio subdit: « De qua salute exquisierunt ».

Sextum est *impletio salutaris,* per quam honoramur, etiam plus quam prophetae, quia quod ipsi praedixerunt, completum est in nobis, et ipsi laboraverunt, et nos in labores eorum introivimus; et de hoc beneficio subdit: « Quibus revelatum est, quia non sibimetipsis ».

SECUNDA PARS.

Secunda vero pars principalis continet generalem informationem in moribus, sive quandam utilem conclusionem ex praecedentibus. Concludit enim, ex tot receptis beneficiis nos conari debere ad omnem sanctitatem et fugere omne peccatum et iniquitatem; et ponit per ordinem *septem,* quae ad sanctitatem et perfectionem debent inducere quemlibet Christianum.

Primum quidem inductivum est *status* quidam *gratiosus,* ac si ita argueret: quoniam ad talem statum et ad tantam gratiam estis vocati, ad sex enim praecedentia. Idcirco ad fugam omnis mali debetis conari et ad acquisitionem omnis perfectionis et omnis virtutis. Et hoc inductivum tangit in principio huius partis, cum dicit: « Propter quod succincti ».

Secundum inductivum ponit ibi: « Quasi filii *obedientiae* ». Et est illud: « Iussus quidam virtuosus », ac si ita argueret, debemus esse filii obedientiae et ei magis parere, quia vocavit nos et tot gratias nobis fecit. Sed ille imperat et dicit:

« Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum ». Igitur ad sanctitatem oportet conari.

Tertium inductivum ponit ibi: « Et si patrem ». Et illud est *nexus* quidam *amorosus,* ac si ita argueret: nexus et proportio debet esse inter patrem et filium; sed nos invocamus patrem illum, qui personam non accipit. Igitur toto tempore incolatus nostri conari debemus ad bonam conversationem et sancta opera.

Quartum ponit ibi: « Scientes, quod non corruptibilibus ». Et illud est *contractus* quidam *pretiosus;* ac si ita argueret: qui non parvo pretio est redemptus, non debet se dare pro parvo pretio. Sed quilibet Christianus redemptus est non auro vel argento, aut aliquo corruptibili pretio, sed potius sanguine Agni immaculati. Ergo habendo respectum ad illum actum pretiosum, quo Christus se ipsum tradidit, ut nos redimeret a vana conversatione, nullo modo pro uno parvo pretio nos dare debemus nec ad primam conversationem debemus regredi, sed ad sanctitatem conari.

Quintum ponit ibi: « Animas nostras sanctificantes ». Et est illud *modus* quidam *speciosus* nostrae generationis, ac si ita argueret: unaquaeque res suo principio debet conformari et modo suae generationis, quia ex eodem sumus et nutrimur; quilibet Christianus renatus est non ex semine corruptibili, sed per verbum divinum, quia per verbum sancti evangelii, quod verbum manet in aeternum, cum tamen omnis caro exarescat ut foenum, ut dicit Isaias. Ergo quilibet Christianus debet fugere carnem et conari debet ad castitatem, caritatem et fraternitatem et omnem sanctitatem.

Sextum ponit in principio cap. secundi: « Deponentes igitur ». Et est *gustus* quidam *christianus;* ac si ita argueret: gustato spiritu desipit omnis caro. Sed vos Christiani estis illi, quibus praecipitur: « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus ». Ergo si gustastis, quam dulcis est malitia et omnis dolus et simulatio, et velociter omnis mundana conversatio debet vobis desipere, et illam debetis deponere; lac quoque mundum et nitidum sanctitatis assumere, ut in illo crescatis.

Septimum et ultimum ponit ibi: « Ad quem accedentes ». Et est *gradus* quidam *gloriosus,* in quo positus est quilibet Christianus. Positus est namque super lapidem vivum per Christum Iesum tamquam spiritualis domus et tamquam sacerdos sanctus, qui debet in domo illa offerre Deo mundum sacrificium et acceptabile sacrarum operationum. Tangit autem contra hunc gradum gloriosum:

Primo quidem ubi fundatur, quia in Christo lapide, dicens: « Ad quem accedentes lapidem vivum ».

Secundo in quo consistit et in quo consummatur, quia in sacerdotali ordine, ibi: « Et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini ». Iste est enim gradus, ad quem erectus est quilibet Christianus, ut sit sacerdos et templum Dei.

Tertio prophetatur et est praedictus prophetice gradus iste. Et hoc facit ibi: « Propter quod continet scriptura »; iudicium namque, auctoritatem Isaiae, dicentis: « Ecce ponam in Sion ». Et David prophetae, subdens: « Non credentibus autem, lapis in quem reprobaverunt », et auctoritate Osee prophetae, concludens: « Et aliquando non populus Dei ».

TERTIA PARS.

Tertia vero pars principalis continet spiritualem *eruditionem in moribus secundum conditionem personarum et diversos status.* Et incipit circa medium cap. 2. (v. 11-c. 5, 11.): « Carissimi, obsecro vos », duratque usque in finem epistolae, ubi concludit. *Dividitur* ergo haec pars, quae principalem intentionem epistolae continet, in *quatuor partes,* sive in quatuor status, quos informat.

1. Primo namque informat constitutos *in statu infimo servili,* quoniam in primitiva Ecclesia pauci erant domini, et pauci nobiles ad fidem conversi; plures autem erant ignobiles et subiecti; et idcirco non curando de principibus et superioribus, qui tunc erant infideles, informat subditos et subiectos quantum *ad sex virtutes.*

a) Monet enim eos primo in ordine *ad se ipsos,* ut habeant virtutem *temperantiae,* dicens: « Obsecro vos, abstinete a carnalibus desideriis ».

b) In ordine vero *ad proximum,* ut habeant virtutem *exemplaritatis,* et ut studeant aedificationi fraternae, subdens: « Conversationem vestram inter gentes habentes bonam ».

c) In ordine vero *ad principatum* et saeculare dominium, ut habeant virtutem *obedientiae, observantiae et reverentiae,* ne scandalizarentur infideles propter inobedientiam Christianorum, ibi: « Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum ».

d) In ordine vero *ad Deum* monet, ut habeant virtutem *religionis* et *latriae,* per quam serviant

Deo, et omnes honorent ac Deum timeant, ibi: « Quare liberi ».

e) In ordine vero *ad dominum iniquum* et praesidentem discolum, monet, ut habeant virtutem *patientiae,* ibi: « Servi, subditi estote in omni timore ».

f) In ordine vero *ad Christum* monet, ut habeant virtutem *iugis memoriae* et *meditationis continuae.* Haec enim est, quae dabit eis virtutem patientiae, si iugiter memorentur Christum passum pro nobis, ut sequamini vestigia eius, ibi: « In hoc enim vocati estis », ubi circa meditationem dominicae passionis tangit aliquid gloriosum et nobile, dicens: « In hoc vocati estis », quasi dicat: ad istum honorem vocavit nos Deus aliqualiter dolorosum et flebilem, « passus est pro nobis »; aliqualiter luminosum et imitabilem « vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius ».

Explicat autem lumen virtutis, quod illuxit in Christi passione, quod debet a nobis imitari. Fuit enim Christus in sua passione exemplar:

α. omnis sanctitatis et innocentiae, ideo ait: « Qui peccatum non fecit »;

β. omnis veritatis et iustitiae, unde subdit: « Nec inventus est dolus in ore eius »;

γ. omnis mititatis et patientiae, ideo subdit: « Qui cum malediceretur, non maledicebat »; omnis humilitatis et subiacentiae, ideo subdit: « Cum pateretur, non comminabatur », scilicet superbe et arroganter;

δ. omnis magnanimitatis, strenuitatis et confidentiae, ibi: « Quia tradebat se »;

ε. omnis longanimitatis et sufferentiae usque

ad tempus: « Quia iudicanti se iniuste », cum tamen ipse posset iudicare, sicut et in fine iudicabit;

ζ. omnis caritatis et amicitiae: « Qui peccata nostra ipse pertulit super lignum »;

η. omnis honestatis et prudentiae, unde subdit: « Ut peccatis mortui iustitiae vivamus ».

Ultimo autem tangit circa huius meditationem aliquid fructuosum et utile, ibi: « Cuius livore sanati estis ».

2. Secundo vero informat constitutos *in statu domestico, oeconomico et civili*, cuius partes sunt vir et uxor. Et incipit pars illa in principio capituli tertii: « Similiter mulieres », ubi primo informat *sexum femineum*, monendo eas a) ad humilitatem et obedientiam, dicens: « Subditae sint viris suis »; b) ad operositatem et diligentiam bonorum operum, subdens: « Ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant »; c) ad congruitatem ornatus et modestiam, subdens: « Quarum non sit extrinsecus capillatura »; d) ad spiritualem thesaurum et ornatus sanctimoniam, subdens: « Sed qui absconditus est cordis homo ». Et ducit etiam in exemplum omnium istorum matrem omnium fidelium Saram, subdens: « Sicut Sara obediebat Abrahae, Dominum eum vocans ».

Deinde vero informat *sexum masculinum*, viros scilicet in ordine ad uxores, quod debent studere ad *quatuor* respectu ipsarum: a) ad complacendum, dicens: « Viri similiter cohabitantes secundum scientiam »; b) ad sufferendum, subdens: « Quasi infirmiori vasculo muliebri »; c) ad reverendum, subdens: « Impartientes honorem tamquam et coheredibus gratiae »; d) ad continendum, de-

bet enim taliter cohabitare et debitum reddere, ut aliquando vacent orationi. Et ideo subdit: « Ut non impediantur orationes vestrae ».

3. Tertio vero informat constitutos *in statu politico et communi,* cuius partes sunt vir et proximus, Christianus et Christianus. Unde intendit informare communiter Christianos in statu politico existentes. Et incipit pars haec ibi (c. 3, 8.): « In fine autem omnes unanimes ». Et quia comparari potest Christianus ad alterum et ad corpus proprium et ad finem ultimum et ad Deum ac Dominum Iesum Christum, idcirco ponit *quatuor informationes.*

Primam quidem unius hominis in comparatione *ad alterum.* Et haec continet *sex virtutes,* quas debet unusquisque ad alterum observare. Et ideo monet a) ad conservandam identitatem et conformitatem, dicens: « In fine omnes unanimes »; b) et ad conservandam dulcedinem et benignitatem, subdens: « Compatientes, fraternitatis amatores, misericordes »; c) et ad conservandam sobrietatem et tranquillitatem, ibi: « Modesti, humiles, non reddentes... »; d) et ad observandam, imo ad inducendam in alterum securitatem, maxime ut non timeat pati pro fide, ibi: « Et quis est, qui vobis noceat, si boni aemulatores fueritis »? e) et ad servandam studiositatem circa ea quae sunt fidei, ibi: « Dominum autem Iesum Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper... »; f) et ad habendam stabilitatem in fide ac virtutibus, dato etiam, quod homo patiatur pro eis. Et hoc ostendit exemplo Christi, qui cum esset iustus, pro iustitia passus est; et ad iustitiam praedicandam venit evan-

gelizare etiam incredulis, quos adhuc per patientiam exspectat, sicut exspectavit Deus incredulos in diebus Noe, cum fabricaretur arca, ibi (c. 3, 17-22.): « Melius est enim benefacientes, si... velit », usque in finem cap. III.

Secundam informationem hominis in comparatione *ad corpus proprium*, et hoc in principio 4. cap.: « Christo igitur passo in carne ». Unde monet ad fugiendum peccata carnalia: a) ex imitatione regali, dicens: « Christo igitur in carne passo, vos eadem cogitatione armamini », quia qui passus est in carne, desiit a peccatis. b) Et ex conversatione brutali, quam habuimus, subdens: « Sufficit enim praeteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam ». c) Et ex segregatione morali et virtuali, qua segregati sumus a ceteris, addens: « In quibus nunc obstupescunt, in quo admirantur, non concurrentibus vobis in eandem luxuriae confusionem ». d) Et ex retributione finali, concludens: « Propter hoc enim mortuis evangelizatum est ».

Tertiam vero informationem hominis in ordine *ad finem ultimum* ponit ibi: « Omnium autem finis appropinquabit ». Ubi primo finem praestituit, dicens: « Omnium finis appropinquabit »; secundo ad finem praestitutum ea quae sunt ad finem ordinat et disponit, ibi: « Estote itaque prudentes ». Et docet, ad finem ultimum ordinare ea quae sunt hominis: a) primo quidem labium, dicens: « Estote ergo prudentes et vigilate in orationibus »; b) secundo autem addens: « Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes »; c) tertio ad propriam substantiam et proprium hospitium, ibi: « Hospitales invicem »; d) quarto esse

spirituale et temporale donum a Deo receptum: « Et unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum »; unde quantum ad donum spiritualis eloquentiae subdit: « Si quis loquitur quasi sermones Dei »; e) ultimo autem docet, quis sit ille, qui connectit omne quod est ad finem debitum: quia Iesus Christus. Et ideo concludit: « Ut in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum ».

Quartam vero informationem hominis in ordine *ad nomen christianum* ponit ibi: « Carissimi, nolite... ». Requirit autem nomen christianum *sex conditiones:*

a) Primam quidem *stabilitatem in loco,* quae opponitur levitati et discursui, quae quidem levitas oritur ex fervore tentationis. Prohibens ergo levitatem, qua aliqui discurrunt de loco ad locum, imaginantes aliquid novi semper reperire, dicit: « Carissimi, nolite peregrinari... quasi aliquid novi vobis contingat ».

b) Secundam vero *conformitatem* cum Christo, maxime in passionibus, et ideo subdit: « Sed communicantes Christi passionibus gaudete ».

c) Tertiam vero *iucunditatem* in animo respectu adversorum, et ideo subdit: « Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis ».

d) Quartam vero sanctam inverecundiam sive *frontositatem* in bono. Non debet enim Christianus verecundari, si patiatur pro nomine christiano, sed si patitur ut homicida vel latro. Et ideo subdit: « Nemo autem vestrum patiatur quasi homicida vel latro ».

e) Quintam vero *aequanimitatem* in iudicio divino. Debet enim iudicia divina aequanimiter to-

lerare. Et ideo subdit: « Quoniam tempus est suscipere [1] iudicium a domo Dei ».

f) Sextum vero *stabilitatem in martyrio,* in quo commendant Christiani animas suas Deo. Et ideo subdit: « Itaque et hi, qui patiuntur ».

4. Quarto vero informat constitutos *in principatu ecclesiastico et spirituali,* cuius partes sunt praelatus, etiam subditus, episcopus et populus. Et incipit illa pars in quinto capitulo: « Seniores ergo qui in vobis sunt ». Ubi

Primo informat *gradum pastoralem,* appellando sacerdotes et episcopos « seniores ». Et praemittit suam auctoritatem et excellentiam, ut magis doctrina authentica reddatur, dicens: « Christi seniores, obsecro ego consenior et testis Christi ». Subiungit vero doctrinae continentiam, ibi: « Pascite ». Et monet *episcopos ad quinque* habenda respectu gregis sui, videlicet:

a) ad *diligentiam,* cum ait: « Pascite qui in vobis est gregem Dei ».

b) Et ad *benevolentiam* et spontaneam curam, cum subdit: « Providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum ».

c) Et *ut fugiatur avaritia,* nec serviant in ecclesia propter eam, cum subdit: « Neque turpis lucri gratia ».

d) Ut fugiant *superbiam,* cum subdit: « Neque ut dominantes in cleris ».

e) Et ut studeant ad *exemplarem vitam,* cum addit: « Sed formam facti gregis ex animo ».

---

[1] Clementina, « ut incipiant ».

Et pro his omnibus repromittit immarcescibilem coronam, cum concludit: « Et cum apparuerit princeps pastorum » etc.

Secundo vero principaliter informat *coetum popularem,* ut obediant gradui pastorali, ibi: « Similiter adolescentes ». Monet autem:

a) ad virtutem obedientiae, cum dicit: « Similiter adolescentes, subditi estote senioribus ».

b) Et ad virtutem humilitatis mutuae ac reverentiae, non solum in ordine ad praelatos, imo ad invicem, unde dicit: « Omnes enim invicem humilitatem insinuate ».

c) Et ad virtutem timorationis internae in ordine ad Deum, unde subdit: « Humiliamini igitur sub potenti manu Dei ».

d) Et ad virtutem spei et confidentiae, quae tota collocanda est in Deo, et ideo subdit: « Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum ».

e) Et ad virtutem prudentiae et vigilantiae contra diabolum, ibi: « Sobrii estote et vigilate ».

f) Et ad virtutem tolerantiae passionum in ordine ad mundum, unde subdit: « Scientes eandem passionem ».

Et demum promittit eis a Deo sibi dandam virtutem longanimitatis et perficientis ac consummantis perseverantiam. Et ideo concludit: « Deus autem omnis gratiae ».

TERMINUS.

Ultimo ibi: « Ipsi gloria et imperium », post exordium et tractatum ponit finem epistolae et imponit terminum IN GRATIARUM ACTIONE.

Ponit namque gratiae exhibitionem:

a) respectu Dei, dicens: « Ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum, amen ».

b) Et gratiarum ostentationem respectu sui. Ostendit enim, se gratiam habere, in quibus scribere voluit, maxime per fratrem valde fidelem eis, undè subdit: « Per Sylvanum fratrem fidelem vobis ».

c) Et gratiae distinctionem et separationem a vita et doctrina pseudoapostolorum. Unde contestatur, hanc esse veram gratiam et veram fidem, in qua stabant, non illam, quam pseudoapostoli docebant; et ideo subdit: « Obsecrans et contestans, hanc esse veram gratiam ».

d) Ponit etiam gratiae oblationem ex parte totius romanae ecclesiae, quam vocat in Babylone collectam. Et ideo subdit: « Salutat vos etiam ecclesia ».

e) Iniungit etiam gratiae signum et declarationem, quae debet esse inter Christianos. Et ideo subdit: « Salutate invicem in osculo sancto ».

f) Et demum ponit gratiae postulationem, concludens: « Gratia vobis omnibus, qui estis in Christo Iesu Domino nostro. Amen ».

Et sic finitur prima canonica Petri.

Incipit secunda canonica beati Petri.

Nunc accedit secunda canonica beati Petri, in qua intendit beatus Petrus *informare Christianos secundum diversas conditiones temporales,* maxime secundum *tempus novissimum* et finale, et habet *tres partes* principales:

PRIMA PARS EXORDIALIS.

1. Prima namque pars est exordialis, quae continet *salutationem,* in qua prima praemittitur *persona* scribentis et commendatur:

a) a sapientia et claritate, cum appellatur « Simon », qui interpretatur agnoscens;

b) ab adhaerentia et firmitate, cum subditur « Petrus », qui interpretatur firmus;

c) a subiacentia et parvitate, cum additur « servus »;

d) a praeeminentia et dignitate, cum adiungitur « et apostolus Iesu Christi ».

2. Deinde subiungitur *ecclesia,* cui scribitur, quam distinguit a congregationibus et ex parte cognitivae, cum ait: « Iis, qui coaequalem vobiscum sortiti sunt fidem »; et ex parte effectivae sive virtuosae vitae, cum subdit: « In iustitia Dei vestri ».

3. Deinde vero concluditur *bonum,* quod optatur: bonum utique a) inchoativum, cum dicitur: « Gratia vobis »; b) et consummativum, cum subditur: « Et pax impleatur »; c) et dispositivum ad utrumque vel promotivum utriusque, cum additur: « In agnitionem Domini nostri Iesu Christi ».

SECUNDA PARS FUNDAMENTALIS.

Secunda vero pars est fundamentalis, quae continet fidei commendationem, quam pro fundamento oportet praeiacere in omni doctrina salutari. Commendat autem *christianam fidem* de *quatuor excellentiis* et praerogativis.

1. Primo namque eam commendat de *summa nobilitate et opulentia,* et ponit divitias fidei christianae,

a) *quae iam habentur in re* a quolibet Christiano sancto et fideli, et sunt istae. Omnia quae sunt necessaria ad vitam sanctam in ordine ad se ipsum et ad pietatem, sive cultum et latriam in ordine ad Deum. Et has divitias tangit in principio huius partis, cum ait (c. 1, 3.): « Quomodo omnia nobis divinae virtutis suae, quae ad vitam et pietatem donata sunt ». Deinde ponit divitias fidei christianae,

b) *quae nondum habentur in se, sed* quodammodo *in spe.* Unde tangit ea, quae nobis sunt promissa et ad quae perveniemus per fidem; et ostendit, quod illa, quae nobis promissa sunt, *elevata sunt in valore,* dicens: « Per quem maxima »; *comparata sunt cum vigore,* quia per sanguinem Christi, subdens: « Pretiosa »; *et praedicta sunt a prophetis et patriarchis cum clangore,* et ideo dicit: « Ea promissa et reserata sunt »; *ac communicata ex amore.* Non enim empta sunt, sed donata, et ideo subdit: « Promissa donavit ».

2. Secundo vero commendat fidem christianam de *summa sinceritate et sanctimonia,* ibi: « Ut per hoc efficiamini ». Et describit sanctitatem christianam

a) et ex parte *termini, ad quem* acceditur. Per eam enim acceditur ad conformitatem divinam. Et sic dicit: « Ut per hoc efficiamini »;

b) et ex parte *termini, a quo* receditur per ipsam. Unde subdit: « Fugientes eam, quae in mundo est, corruptionem ».

3. Tertio ibi: « Vos autem curam omnem subinferentes », commendat fidem christianam de *strenuitate, operositate et efficacia.* Non enim vult fides hominem otiosum aut pigrum, sed per dilectionem operantem. Et idcirco ponit connexionem *omnium virtutum,* quam exigit vera fides. Exigit namque:

a) virtutem *sedulitatis,* et propter hoc ait: « Vos autem curam omnem subinferentes »; et exigit

b) virtutem *stabilitatis,* propter quod subdit: « Ministrate in fide vestra virtutem », i. e. fortitudinem; et exigit

c) virtutem *docilitatis;* et ideo subdit: « In virtute autem scientiam »; et exigit

d) virtutem *sobrietatis et temperantiae,* et ideo subdit: « In scientia abstinentiam »; et exigit

e) virtutem *tranquillitatis et sufferentiae,* et ideo subdit: « In abstinentia autem patientiam »; et exigit

f) virtutem *liberalitatis et misericordiae;* et ideo subdit: « In patientia pietatem »; et exigit

g) virtutem *affabilitatis et amicitiae,* et ideo subdit: « In pietate autem fraternitatis amorem »; et exigit

h) virtutem principalem *divinae amicitiae,* quae omnia perficit et consummat et appellatur hic *caritas,* unde subdit: « In fraternitatis autem amore caritatem ».

Deinde ibi: « Haec enim si vobiscum adsint », probat et ostendit, quod fides exigit hanc virtutum connexionem quadruplici ratione:

Prima est, quia aliter fides carens ceteris virtutibus vana esset et inutilis ac frustratoria; et

hanc tangit, cum ait: « Haec enim omnia, si vobiscum adsint, non vacuos vos constituent ».

Secunda ratio est, quia aliter fides esset sibi ipsi contraria, quae sonat illuminationem et purificationem. Si autem careret virtutibus habens talem fidem, caecus esset et manu tentans et oblitus esset purgationis, quam habuit per fidem. Et hoc tangit ibi: « Cui enim praesto sunt haec ».

Tertia vero est, quia aliter vocatio hominis ad fidem esset multum dubia et momentanea et non videretur esse secundum praedestinationem aeternam, sed secundum praesentem iustitiam. Et hanc tangit ibi: « Quapropter, fratres, magis satagite ».

Quarta vero est, quia propter huius connexionem fides facit vitare peccata et superabundare merita, et hanc tangit ibi: « Hoc enim facientes non peccabitis aliquando ».

4. Quarto ibi: « Propter quod vos incipiam semper commonere ». Commendat fidem christianam de *securitate et confidentia,* ostendens, quod et veritas fidei est summe firma et solida, de qua non est dubitandum.

Et primo quadruplici ratione dicit, se libenter scribere fidelibus, ut perseverent in fide. Et est

a) prima ratio *amor veritatis,* quia diligit veritatem istam cum summo fervore. Et ideo dicit: « Incipiam vos semper commonere de his, volo enim vos confirmatos esse in praesenti veritate ».

b) Secunda est *timor brevitatis viae suae,* quoniam cito et velociter debebat transire ex hoc mundo, sicut significaverat illi Christus. Et hanc tangit ibi: « Iustum autem arbritor ».

c) Tertia est *tenor caritatis,* quia adhuc post mortem intendit tenaciter operam dare, ut permaneant in illa veritate. Et hanc tangit ibi: « Dabo autem operam post obitum meum ».

d) Quarta est *horror falsitatis,* quam continet omnis alia secta, quia omnis alia doctrina fabulosa est et indocta. Et hanc tangit ibi: « Non enim indoctas fabulas ».

Deinde ibi: « Accipiens enim » ponit duas rationes, ex quibus evidenter concluditur, quanta est firmitas et securitas fidei christianae etc. Et est

a) Prima *testimonium apostolicum* firmatum super contemplationem et evidentiam facti; quia in monte exsistentes viderunt faciem Christi gloriosam, sicut sol resplendentem, et audiverunt vocem Patris dicentem: « Hic est filius meus dilectus ». Et hanc tangit ibi: « Accipietis enim a Deo Patre honorem ».

b) Secunda est *oraculum propheticum* fundatum super revelationem Dei; quia sancti prophetae non voluntate humana, sed Spiritu sancto inspirati testimonium perhibent fidei christianae, et habet se sermo propheticus quasi lucerna et lucifer diem verae fidei introducens. Et hanc tangit ibi: « Et habemus firmiorem propheticum sermonem ».

TERTIA PARS INFORMATIVA.

Tertia vero pars est principalis, quae continet informationem in moribus, maxime in ordine ad *tempus futurum.* Et incipit cap. 2. « Fuerunt vero et pseudoprophetae ».

Informat autem respectu duorum temporum futurorum.

Primo quidem respectu temporis, in quo erat futurum *dissidium haereticorum* et monuit, quod iam pro parte transiit, quamvis nondum ad plenum. Et hoc facit in toto capitulo secundo.

Deinde vero respectu temporis, in quo erat *iudicium bonorum et malorum*. Et hoc facit in tertio capitulo per totum.

Unde in capitulo secundo agit DE HAERETICIS, instruens Christianos, qualiter se debeant habere ad ipsos. Capitulum enim secundum continet

1. Primo haereticorum *hypocrisim et futuritionem* eorum, et ostenduntur esse futuri per quoddam exemplum similium, quia inter filios Israel statim a principio falsi prophetae fuerunt.

Deinde vero ibi: « Qui introducent sectas perditionis », ostenduntur habere triplex motivum:

a) primum *appetitum vanitatis,* et ideo dicit: « Et introducent sectas », quod pertinet ad praesuppositionem vanitatum, quae est filia vanae gloriae secundum Gregorium;

b) secundum *appetitum voluptatis,* et ideo subdit: « Multi sequuntur eorum luxuriam »;

c) tertium *appetitum divitiarum et mundanae prosperitatis,* et ideo subdit: « Et in avaritia ».

Et sic ex his tribus ostenditur, quod necesse est, perversos homines et haereticos esse futuros.

2. Praesens secundum capitulum continet haereticorum *poenam et condemnationem,* ibi: « Quibus iudicium », quam probat per tria exempla.

a) Primum de damnatione *Luciferi et daemoniorum,* et hoc tangit ibi: « Si enim Deus angelis ».

b) Secundum de *submersione universorum hominum* impiorum per diluvium facta, ibi: « Et si originali mundo ».

c) Tertium de *subversione et combustione Sodomorum,* ibi: « Et civitates Sodomorum ».

Deinde ex his tribus exemplis concludit unam generalem sententiam, scilicet, quod Deus iustos novit de tentationibus eripere et iniquos ad cruciandum reservare, ibi: « Novit igitur Deus pios ».

Deinde ex hac generali sententia infert conclusionem intentam, arguens per locum a maiori: Quoniam si non pepercit Deus angelis, de quibus magis videretur, multo minus parcet talibus hominibus, qui brutales sunt et quasi pecora irrationabilia, corruptibilia et immunda. Et hoc facit ibi: « Magis autem eos, qui post carnem in mortem » etc.

3. Tertio continet praesens capitulum haereticorum *spurcitias et depravationem,* ibi: « Hi vero velut irrationabilia pecora ». Et ostendit, ipsos esse plenos omni genere vitiorum:

Primo quidem *vitio ignorantiae,* et ideo appellat eos irrationabilia pecora in captionem et perniciem per ignorantiam incidentia.

Secundo *vitio irreligiositatis et irreverentiae* in Deum ac *iniustitiae,* et ideo subdit: « Blasphemantes in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiae ».

Tertio *vitio luxuriae et immunditiae,* subdens: « Voluptatem aestimantes ».

Quarto *vitio gulae et gastrimagiae,* unde subdit: « Deliciis affluentes in conviviis suis ».

Quinto *vitio dissolutionis et impudicitiae* in aspectibus et in gestibus, et ideo subdit: « Oculos habentes plenos adulteriis ».

Sexto *vitio avaritiae,* et ideo sunt similes Balaam, perverso prophetae. Unde subdit: « Cor exercitatum avaritia habentes, secuti viam Balaam ».

Septimo *vitio hypocrisis et inanis gloriae,* subdens: « Hi sunt fontes sine aqua ».

Octavo *vitio malignitatis et curae perversae,* quia non curant nec student nisi ad subversionem bonorum, et ideo subdit: « Superba enim vanitatis loquentes pelliciunt ».

Nono *vitio dolositatis et promissionis mendosae,* ibi: « Qui in errore conversantur, libertatem illis promittentes ».

Decimo *vitio ingratitudinis* respectu divinae gratiae, ibi: « Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiae ».

Tertium vero capitulum tractat DE FINALI IUDICIO et de fine mundi, quod incipit: « Hanc ecce vobis ». Dividitur in *octo partes:*

1. Ostendit namque doctrinam suam, quae est de finali iudicio, esse veram et firmam et valde authenticam, et quia a sanctis prophetis introducta est et ab Apostolis et a Domino Salvatore.

2. « Hoc primum scientes », ostendit, hanc doctrinam a quibusdam in futuro esse negandam, et ponit rationem motivam, ibi: « Ex quo enim patres dormierunt ».

3. Reprobat et repellit istorum opinionem erroneam, ibi: « Latet enim eos ».

4. Respondet ad eorum rationem phantasticam, ibi: « Unum vero hoc non lateat vos, carissimi ».

5. Componit quandam moralem conscientiam, ponens antecedens et consequens, ibi: « Cum ergo haec omnia dissolvenda sint ».

6. Infert quandam suasionem et monitionem fructuosam et eruditionem principaliter intentam, qualiter scilicet debeamus nos habere in exspectando diem iudicii; et hoc facit ibi: « Propter quod, carissimi ».

7. Ostendit in ista doctrina et in omnibus aliis suis cum beato Paulo apostolo plenam concordiam et confirmat epistolas beati Pauli. Pseudo enim apostoli dicebant, illas non esse recipiendas, quia non erat apostolus. De Petro autem hoc dicere non audebant, et hoc facit ibi: « Sicut et carissimus frater meus Paulus ».

8. Ultimo in exhortatione et gratiarum actione finit, et concludit epistolam suam ibi: « Vos igitur fratres, praescientes haec ».

Et in hoc finitur secunda canonica beati Petri.

Incipit prima canonica beati Ioannis apostoli.

Nunc accedit prima canonica Ioannis cum secunda et tertia, in quibus tractat DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS, sicut duo Apostoli praecedentes de virtutibus moralibus tractaverunt.

Et *prima* quidem, abundantius tractans de ipsis, *dividitur* in *novem partes* secundum *tres replicationes*. In quibus tractat primo de fide, deinde de caritate, deinde de spe. In secundo vero tractatu eodem modo replicat. In tertio vero quasi sub alio ordine, quia primo de caritate, deinde de fide et ultimo de spe.

TRACTATUS PRIMUS.

PRIMA PARS.

De virtute fidei.

In prima ergo parte agit de virtute fidei, ostendendo excellentias eius. Et durat per totum cap. 1. et principium secundi usque ibi (c. 1-c. 2, 2.): « Et in hoc scimus, quoniam cognovimus eum ». Circa fidem autem sic procedit, quod

1. Ostendit, ipsam esse virtutem, habentem multam *auctoritatem* et evidentiam, quantum ad testes, qui viderunt, audiverunt et manibus contrectaverunt verba vitae, quae testificati sunt nobis et quae tenemus per fidem; et hoc facit in principio canonicae, cum dicit: « Quod fuit ab initio ».

2. Ostendit, eam habere multam *nobilitatem* et excellentiam, quia facit homines habere societatem cum sanctis Apostolis, imo etiam cum Patre et filio Iesu Christo, ibi: « Quae ergo vidimus ».

3. Ostendit, eam habere multam *iucunditatem* et cordis exuberantiam ac spiritualem laetitiam, ibi: « Et haec scribimus vobis, ut gaudeatis ».

4. Ostendit, eam habere magnam *puritatem;* non enim est secta tenebrarum et errorum et spurcitiarum et peccatorum, sicut ceterae sectae saracenorum, paganorum et haereticorum; sed sicut Deus est lux sanctitatis et munditiei, et tenebrae non sint in eo ullae, sic societas nostra, quam habemus per fidem, non est in tenebris peccatorum,

sed in luce et veritate morum, ibi: « Et haec est annuntiatio ».

5. Ostendit, ipsam habere summam *utilitatem* et efficaciam et influentiam ad diluendum peccata. Iustificamur enim per fidem, sicut Apostolus ait. Et hoc facit ibi: « Si autem in luce ambulamus, sanguis Iesu emundat nos ab omni peccato ».

6. Ostendit, ipsam habere et in se continere multam *necessitatem* et indigentiam; non quidem, quod ipsa nobis indigeat, sed quia nos ea indigemus. Diceret enim aliquis forte: Quia peccatores bene indigent ea, quia habent emundare peccata. Ego autem non indigeo, quia peccatum non habeo. Et ideo ostendit nullum hominem immunem esse a peccato et per consequens indigere fide iustificante, ibi: « Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus ».

7. Ultimo ipsam habere multam utilitatem et *sufficientiam* ostendit. Sufficientia enim magna advocati Domini nostri Iesu Christi est ad propitiandum peccata nostra, imo totius mundi, ibi: « Filioli mei, hoc scribo vobis ».

SECUNDA PARS.

De virtute caritatis.

In secunda vero parte agit de virtute caritatis et ostendit, quod ex caritate debemus *tria diligere* et amplexari, videlicet Deum et proximum et actum virtuosum; et tria fugere et devitare, scilicet mundum, hominem haereticum et omnem actum vitiosum. Et durat pars illa ab illo loco

(c. 2, 3-29.): « Et in hoc scimus », usque in finem cap. 2.

Et *dividitur* in 6 partes:

1. Ostendit, quod ex caritate debemus Deum diligere docendo, quod non sufficit, Deum per fidem cognoscere, sed necesse est et *mandata servare;* ibi: « Et in hoc scimus, quoniam cognoscimus eum ». a) Et quia debemus mandata servare et caritatis perfectionem habere, ibi: « Qui autem servat verbum eius ». b) Et quod debemus perfectionem habere et similem conversationem in Christo tenere, ibi: « Qui dicit, se in illo manere, debet sicut ille ambulavit ».

2. Ostendit, quod ex caritate debemus etiam *proximum* nostrum diligere. Et hoc ibi: « Carissimi, non mandatum novum », ubi resumit quoddam principium generale pro quolibet Christiano, quod dicitur verbum vetus, quod supra dixerat ipsum, scilicet quod in Christo et in nobis tenebrae nullae sunt aut esse debent, imo tenebrae vitiorum iam transierunt, et verum lumen sanctitatis iam lucet. Et deinde ex isto principio concludit intentum, scilicet proximum esse diligendum, quia qui odit fratrem suum, in tenebris est. Qui vero diligit ipsum, in lumine manet; ibi: « Qui dicit, se in lumine esse ».

3. Ostendit, quod ex caritate debemus omnem actum virtuosum assumere et *virtutem* diligere, ibi: « Scribo vobis, filioli » etc., ubi allicit ad virtutem et puerulos et patres antiquos, ibi: « Scribo vobis patres », et adolescentulos, ibi: « Scribo vobis infantes », et perfectiores ac viros, ibi: « Scribo vobis iuvenes, quoniam fortes estis ».

4. Ostendit, quod ex caritate debemus *mundum* contemnere, ibi: « Nolite diligere mundum, neque ea quae in mundo sunt ». Et tangit duas rationes, propter quas habens caritatem debet fugere mundi amorem. a) primam quidem propter mundi ad Deum contrarietatem. Illa enim tria, quae sunt in mundo, sunt contraria caritati Patris, et hanc tangit ibi: « Si quis diligit mundum »; b) secunda ratio est, propter mundi instabilitatem, quam tangit ibi: « Mundus transit et concupiscentia ».

5. Ostendit, quod debemus ex caritate *haereticum* hominem refugere et devitare, ibi: « Filioli mei, novissima hora est ». Ubi tangit a) haereticorum multiplicationem, quos et vocat antichristos, ibi: « Et sicut audistis, quod antichristus venit »; b) et haereticorum reprobationem, quia licet aliquando videantur ex nobis esse, tamen non sunt secundum Dei praescientiam et praedestinationem aeternam, ibi: « Et ex nobis prodierunt, sed ex nobis non erant ».

Ponit etiam suam excusationem describendo ista. Non enim facit hoc, quia reputet, fideles esse ignorantes; sed ut sollicitet eos tanquam scientes, ibi: « Sed vos unctionem habetis a sancto ».

c) Deinde ponit haereticorum quandam descriptionem et notificationem, ibi: « Et quoniam omne mendacium ex veritate non est ». Ibi enim dicit, quis est haereticus vel antichristus, quia qui negat, quod Iesus non est Christus.

Deinde concludit ex praecedentibus suam informationem, scilicet quod haeretici devitandi sunt, et permanendum est in veritate ab initio audita et

ab Apostolis praedicata, ibi: « Vos autem quod audistis ab initio, in vobis permaneat ».

6. Ostendit, quod debemus ex caritate omnem *actum vitiosum* refugere et devitare, permanendo videlicet in veritate vitae, ad quam inducit unctio Spiritus sancti, quo inunguntur Christiani per sacramenta Iesu Christi. Ista enim unctio excludit omne mendacium peccati et docet omne, quod est verum et iustum. Et hoc facit ibi: « Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis ».

TERTIA PARS.

De virtute spei.

In tertia vero parte principali agit de virtute spei, et incipit illa pars (c. 3, l.): « Videte, qualem caritatem », et durat usque in finem cap. 3. Tractando autem de spe facit *sex* per ordinem.

1. Ostendit namque, quid sit respectu spei potissimum inductivum, quia *Dei adoptio,* quia enim Deus intime nos dilexit, quod voluit nos esse eius filios et vocari. Non mirum, sed debemus in ipsum sperare, et hoc inductivum tangit in principio: « Videte, qualem caritatem » etc.

2. Ostendit, quid respectu spei sit potissimum completivum et finaliter terminativum, quia *Dei fruitio.* Debemus enim sperare pro finali termino nos perventuros ad Dei visionem, per quam similes ei erimus, et hoc tangit ibi: « Carissimi, nunc filii Dei sumus » etc.

3. Ostendit, quid sit spei debitum concomitativum, quia *Dei imitatio* et conformis conversatio

ad Christum. Debent enim spem comitari ceterae virtutes. Alioquin qui cum vitiis et sine imitatione vitae Christi sperat, iam non est spes, sed praesumtio; ibi: « Et omnis, qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut et ille sanctus est ».

4. Ostendit, quid sit respectu spei potissimum erectivum, quia *Christi passio* et meritorum ipsius cumulatio; nam ex meritis passionis Christi potissime erigi possumus ad sperandum; et hoc tangit ibi: « In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli ».

5. Ostendit, quid sit spei potissimum promotivum, quia *fratrum dilectio* et concordia vel unio. Qui enim extra amorem fratris sui est, iam non est ex Deo, nec habet sperare de eo, ibi: « Omnis, qui non est iustus ». Ubi declarat, quod odiens fratrem non debet sperare in Deo propter multa:

a) et quia videlicet non est ex Deo nec filius Dei, ibi: « Non est ex Deo, qui non diligit fratrem suum »;

b) et quia habet Cain pro exemplo, ibi: « Non sicut Cain, qui ex maligno erat »;

c) et quia talis similis est mundo, qui odit Christianos et per consequens caret vita et vitali principio, quod est gratia, et per consequens non habet sperare in Christo, ibi: « Nolite vos mirari, fratres, si odit vos mundus »;

d) et quia, qui fratrem odit, excusare se non potest a mentali homicidio, ibi: « Omnis qui odit fratrem suum, homicida est ».

Deinde dat doctrinam de diligendi modo, docens, quod debemus pro fratre exponere nostram vitam exemplo Christi, ibi: « In hoc cognovimus

caritatem Dei » etc. Et quod debemus pro eo exponere nostram substantiam et facultates, ibi: « Qui habuerit substantiam mundi huius » etc.

Deinde reprobat dilectionem, quae est in solo verbo et manifestatur solum per linguam, ibi: « Filioli mei, non diligamus ».

6. Ostendit, quid sit respectu spei potissimum signum et potissimum ostensivum, et ponit signum:

a) Primum quidem *conscientiae serenatio.* Quem enim in conspectu Dei cor suum et conscientia non reprehendit, in hoc potest cognoscere, se esse ex veritate et in veritate sperare, ibi: « In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus ».

b) Secundum vero signum est *Dei exauditio.* Cum enim Deus exaudit nos, signum est, quod in eo veraciter speramus, ibi: « Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum ».

TRACTATUS SECUNDUS.

PRIMA (IV.) PARS.

Replicatio de fide.

In quarta vero parte principali incipit secundus tractatus et est recapitulatio de fide. Et durat haec pars a principio quarti capituli (c. 4, 1-6.): « Carissimi », usque ibi: « Diligamus nos invicem ». Tangit autem *tria* de fide.

1. Ostendit namque, de dono fidei, *a quo* sit *immissive,* quoniam *a Spiritu sancto.* Spiritus quidem maligni immittunt errores et haereses. Et ideo

non est omni spiritui credendum, sed spiritui, qui ex Deo est; et hoc tangit ibi: « Carissimi, nolite omni spiritui credere ».

2. Ostendit de dono fidei, *de quo* fit *obiective*, quia *de Deitate et humanitate* unita in uno Domino Iesu Christo. Et ideo qui solvit Iesum, non habet veram fidem, ibi: « In hoc cognoscitur spiritus Dei ».

3. Ostendit de dono fidei, *in quo* est et in quo non est *possessive*. Ostendit enim permixtim, quod fides non possidetur ab haereticis, sed *a fidelibus;* illi enim habent spiritum erroris et isti spiritum veritatis, ibi: « Vos ex Deo estis, filioli ».

SECUNDA (V.) PARS.

Replicatio de caritate.

In quinta vero parte, quae incipit: « Carissimi, diligamus nos invicem » etc., rursum tractat de caritate et monet nos ad eam propter *quatuor,* quae ex ipsa proveniunt:

1. Ex caritate provenit in nobis primo *adoptio Dei filialis*. Facit enim hominem filium Dei et ex Deo nasci, et hoc dicit in principio ibi: « Quia caritas ex Deo est, et omnis qui diligit, ex Deo natus est ».

2. Ex caritate provenit in nobis *Dei cognitio* salutaris et salubris, ibi: « Et cognoscit Deum; qui non diligit, non novit eum ».

3. Provenit in nobis *Dei imitatio* virtualis. Ipse enim dilexit nos, et idcirco debemus ipsum diligere et proximum, ut ipsum imitemur, nec alias

debite imitamur, nisi per caritatem diligamus, ibi: « In hoc est caritas, non quia nos dilexerimus Deum ».

4. Provenit in nobis ex caritate *Dei mansio* et connexio singularis, quoniam per caritatem Deus manet in nobis et nos in Deo, ibi: « Deum nemo vidit unquam; si diligamus invicem, Deus in nobis manet ». Probat istam mansionem mutuam:

a) Ex persona Spiritus sancti, qui nobis communicatur et datur in caritate, ibi: « In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, quoniam de Spiritu sancto dedit nobis ».

b) Probat idem ex persona Filii, quae conversata est nobiscum in mundo, ibi: « Et nos vidimus ».

c) Probat idem ex hoc quod est commune toti Trinitati. Est enim Deus caritas et amor, ibi: « Deus caritas est ».

TERTIA (VI.) PARS.

Replicatio de spe.

In sexta vero parte, quae incipit: « In hoc perfecta est caritas Dei vobiscum », tractat rursum de virtute spei et *duo* facit:

1. Ostendit, quod ex caritate virtus spei oritur et gignitur. Qui enim sperat et est sine caritate, praesumit. Sed perfecta caritas debet dare spem et fiduciam in die iudicii, ibi: « In hoc perfecta est caritas, ut fiduciam habeamus in die iudicii ».

2. Ostendit, quod per caritatem oppositum spei tollitur et excluditur, scilicet timor servilis, ibi: « Timor non est in caritate ».

TRACTATUS TERTIUS.

PRIMA (VII.) PARS.

Replicatio de caritate.

In septima vero parte, quae incipit: « Nos ergo diligamus Deum », rursum tractat de caritate. Et quia eius *duo* sunt *actus:* primus potissimus, qui est *respectu Dei;* secundus annexus, qui est *respectu proximi;* et tantum unus est necessario alteri unitus et annexus, idcirco *tria* facit:

Primo namque de caritate tractat quoad actum potissimum, qui est amare Deum.

Secundo ibi: « Si quis dixerit: Diligo Deum, et fratrem suum oderit », et tractat de caritate quoad actum annexum, qui est amare proximum. Et probat, amandum esse proximum triplici ratione: a) *A maiori,* ibi: « Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt » etc.; b) et ab auctoritate, ibi: « Et hoc mandatum habemus a Deo » etc.; c) et *a priori,* ibi: « Quia nati sumus ex eodem patre per fidem ». Et hoc facit in principio cap. 5: « Omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus » etc. Arguit enim sic: Qui diligit gignentem, diligit genitum; omnis autem fidelis genitus est a Deo: ergo omnis qui diligit Deum, diligit fidelem fratrem suum.

Tertio ibi: « In hoc cognovimus, quoniam diligimus natos », tractat de caritate quantum ad utrumque actum, ostendendo connexionem eorum; quia signum est, quod homo diligit proximum, cum diligit Deum, mandata eius custodiendo, et e con-

verso. Addit autem removendo dubium, quod mandata Dei gravia non sunt, quod est intelligendum supposita caritate, quae graviora levia facit, ibi: « Haec est enim caritas Dei sanctificatio vestra ».

SECUNDA (VIII.) PARS.

Replicatio de fide.

In octava parte, quae incipit: « Quoniam omne, quod natum est ex Deo », tractat rursum de fide et ponit *duas* eius excellentias:

Primo namque ostendit, quod fides facit hominem mundi contemptorem, per quem contemptum triumphat fidelis quilibet et vincit mundum, et haec est perfecta *victoria mundi*. Ponit autem istam conclusionem in principio: « Quoniam omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum ». Deinde opponit ad hoc rationem ex ipso Christo, qui est obiectum fidei, dicens, quod qui credit, Iesum esse filium Dei, et ita credit eius Deitatem; et cum hoc credit, ipsum venisse per aquam et sanguinem, tenendo suam humanitatem, nec solum venisse in aqua baptismali, imo in aqua et sanguine, quae fluxerunt pro nobis ex suo vulnere laterali: qui utique tenet hoc propter amorem Christi, faciliter contemnit mundum et per consequens vincit ipsum; et hanc rationem deducit ibi: « Quis est, qui vincit mundum ».

Secundo ostendit, quod fides facit hominem Dei speculatorem; fidei enim non potest subesse falsitas, sicut aliis habitibus intellectivis humanitus acquisitis, ibi: « Et Spiritus est, qui testificatur ». Ubi inducit ad probandum *fidei veritatem*

a) testimonium datum *ab una summa essentia Dei,* quae per opera, quae nullus alius hominum fecit, manifestissime declaravit, se ipsam fuisse in illo homine modo singulari et personali. Et hoc facit in principio, cum dicit: « Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas ». Ibi enim per Spiritum accipitur communis essentia, iuxta illud Ioannis (c. 4, 24.): « Spiritus est Deus ».

b) Inducit testimonium datum *a personarum Trinitate.* A Patre quidem, cum ait de caelo: « Hic est filius meus dilectus ». Et a Spiritu sancto, cum corporali specie descendit sicut columba in ipsum. Et ab ipsomet Verbo et Filio, cum ait: « Ego et Pater unum sumus ». Et hoc facit ibi: « Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in caelo ».

c) Inducit testimonium *de humana natura* ex effusione aquae et sanguinis, et emissione spiritus in ara crucis, quae quidem effusio testatur veritatem humanitatis. Nam si fuisset corpus phantasticum, ista non emanasset. Et si non habuisset animam (ut dixit Apollinaris), iam inclinato capite non emisisset spiritum; et virtutem deitatis, quia posuit animam suam, cum voluit, et aquam miraculose per modum fontis scaturientis effudit corpore mortuo. Et hoc facit ibi: « Et tres sunt, qui testimonium dant in terra » etc.

d) Inducit testimonium internae experientiae et *conscientiae.* Nam quilibet fidelis considerans testimonium operum virtuosorum et miraculorum Christi, quae nulla alia creatura fecit, aut facere potuit, quod quidem testimonium maius est omnibus testimoniis quorumcumque, ex hoc concipit in se ipso testimonium conscientiae. Unde cuilibet di-

cit Spiritus sanctus interius, quod Christus est filius Dei, et sic quilibet fidelis habet testimonium Dei in se, ibi: « Si testimonium hominum accepimus ».

TERTIA (IX.) PARS.

Replicatio de spe.

In nona vero parte et ultima tractat rursum de spe, et incipit ibi: « Et hoc est testimonium, quoniam vitam aeternam dedit nobis ». Ostendit autem, quae sunt ista, quae iam quilibet fidelis tenet per spem, aut tenere debet. Et ponit *septem:*

1. Quilibet enim fidelis debet sperare firmiter, se obtenturum a Deo aeternam perfruitionem, unde concludit: « Haec scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam aeternam habebitis ».

2. Debet sperare, quod obtinebit a Deo benignam exauditionem omnium petitionum suarum, et hoc ponit ibi: « Et haec fiducia, quam habemus ad Deum, quod quaecumque petierimus, audiet nos ».

3. Debet sperare, quod obtinebit a Deo fraternam condonationem. Si enim pro fratre exsistente in peccato oraverimus, sperare debemus, quod obtinebimus et dabitur nobis a Deo. Et hoc si sit peccatum citra mortem, orandum non est; si nobis constet, quod aliquis sic peccaverit. Et hoc ponit ibi: « Qui scit fratrem suum peccare » etc.

4. Debet sperare, quod obtinebit ab eo perfectam custoditionem ab omni peccato et a diabolo, ibi: « Scimus, quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, et malignus non tangit eum ».

5. Debet sperare, quod obtinebit ab eo mundanam debellationem, sicut supra dictum est, quod fides nostra vincit mundum, ibi: « Scimus, quoniam ex Deo sumus, et mundus totus in maligno positus est ».

6. Debet sperare, se iam obtinuisse ab eo internam illustrationem et cognitionem veri Dei, ibi: « Et scimus, quoniam Filius Dei dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum ».

7. Debet sperare, se iam obtinuisse a Deo sacram et immaculatam religionem, oppositam idololatriae et superstitioni simulacrorum, et propter hoc concludit: « Hic est verus Deus et vita aeterna, filioli, custodite vos a simulacris. Amen ».

Et in hoc finitur prima canonica Ioannis.

Incipit secunda canonica beati Ioannis.

Nunc accedit secunda canonica, quam scripsit Ioannes cuidam nobili dominae, quae nuncupabatur *Electa;* quae cum esset magnae auctoritatis et nobilitatis, multos habebat subditos, quos omnes nutriebat in fide. Et ideo Apostolus sibi scribit agens *de tribus virtutibus theologicis,* sicut in praecedenti epistola, breviter tamen et succincte.

Praesens ergo canonica dividitur in *octo* partes:

1. In prima quidem continetur quaedam *salutatio amorosa;* unde dicit: « Senior Electae dominae ».

2. In secunda vero continetur quaedam *exsultatio viscerosa* de profectu et bona fama eiusdem dominae et filiorum suorum, unde subdit: « Gavisus sum valde ».

3. In tertia vero continetur quaedam *exhortatio virtuosa* de impletione mandati antiqui, dati a Christo de caritate et amore fraterno, et de impletione mandatorum ceterorum, et permanentia in fide ab initio audita et Apostolis praedicata, ibi: « Et nunc rogo te, domina ».

4. In quarta vero parte continetur quaedam *consultatio luminosa*, clara et vera. Consulit enim et monet, ut caveat a seductoribus et falsis apostolis ac haereticis, nuntiis antichristi, ibi: « Quoniam multi seductores exierunt in mundum ». Et tangit tres rationes:

a) quia prima est nequitia eorum, et hoc tangit in principio;

b) secunda est amissio iam habitorum bonorum, quae cito perderet, qui ab ipsis non caveret; ibi: « Videte vosmetipsos, ne perdatis, quae operati estis »;

c) tertia est adeptio maximorum donorum. Qui enim permanent in doctrina Apostolorum et cavent sibi a seductionibus haereticorum, habent Patrem et Filium et Deum trinum hic per fidem et spem, et perfectius habebunt in patria per visionem et rem. Et hanc tangit ibi: « Qui permanet in doctrina ».

5. In quinta vero parte continetur quaedam *excommunicatio vigorosa* praedictorum haereticorum, unde praecipit, non communicare cum talibus nec in domo, nec in salutatione, nec in verbo; ibi: « Si quis venit ad vos, nolite eum recipere in domo, nec ave ei dixeritis ».

6. In sexta vero parte continetur quaedam *repromissio gloriosa*, et dicit, hoc se praedixisse, quae

scripta dicta sunt, ut non confundantur, sed potius glorientur in die iudicii; ibi: « Ecce praedixi vobis ».

7. In septima vero parte continetur quaedam *excusatio,* et cum hac est quaedam *oblatio gaudiosa,* nam excusat se de scribendo plura, ibi: « Plura habens scribere vobis », et offert eis suam praesentiam, promittens eis cito se venturum ad eos, ut gaudium eorum sit plenum, ibi: « Spero enim me futurum apud vos ».

8. In octava vero parte et ultima continetur quaedam *conclusio et consummatio gratiosa,* unde dicit: « Salutant te filiae sororis tuae. Gratia tecum. Amen ».

Et in hoc finitur secunda canonica Ioannis.

Incipit tertia canonica beati Ioannis.

Nunc accedit tertia canonica Ioannis, quam direxit cuidam, nomine *Gaio,* de eadem materia, et in *octo* partes dividitur.

Primo namque Gaium salutat, dicens: « Senior Gaio ».

Secundo eius benevolentiam captat, reserans sibi, quod ipse iugiter orat, ibi: « Carissime, de omnibus orationem facio ».

Tertio de ipso exsultat ratione famae et conversationis suae bonae, ibi: « Gavisus sum valde ».

Quarto ipsum de uno singulariter, scilicet de hospitalitate, commendat. Quia ipse libenter recipiebat pauperes, qui discurrebant ad praedicandum, ibi: « Carissime, fideliter agis, quidquid operaris in fratres ».

Quinto ad cautelam ipsum inducit respectu haereticorum et maxime cuiusdam, qui dicebatur Diotropes. Unde praecipit sibi, ut caveat ab illo, et hoc facit ibi: « Scripsissem forsan ecclesiae; sed is, qui amat primatum gerere » etc.

Sexto ad imitandum invitat respectu bonorum et maxime cuiusdam viri, qui dicebatur Demetrius, ibi: « Carissime, noli imitari malum »; sequitur: « Demetrio testimonium redditur ab ipsa veritate ».

Septimo de ampliori scriptura se excusat, ibi: « Multa habeo tibi scribere ».

Octavo et ultimo in salutatione finit epistolam et consummat dicens: « Pax tibi. Salutant te amici ».

Et in hoc tertia canonica Ioannis finitur.

Incipit epistola canonica Iudae.

Nunc accedit epistola canonica Iudae, quae est confirmativa sex praecedentium. Suadet enim permanere in doctrina, quae praedicta est ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, et est confutativa doctrinae pseudoapostolorum et haereticorum, qui iam insurrexerant in Ecclesia primitiva. Licet enim Iacobus, Petrus et Ioannes scripserint contra praedictos, nihilominus magis Iacobus ex intento immoratus est circa informationem fidelium in virtutibus moralibus in generali sine distinctione statuum; Petrus vero in speciali secundum diversos status et diversum tempus; Ioannes vero circa informationem fidelium in virtutibus theologicis. Iste autem de directo invehitur contra doctrinam istorum haereticorum.

Et dividitur praesens epistola in a) salutationem et exordium, b) narrationem seu tractatum, c) conclusionem seu finem et terminum.

I. SALUTATIO ET EXORDIUM.

1. Primo ergo ponit salutationem et exordium, ubi introducit salutantem personam, describendo eam a nomine, cum ait: « Iudas », et a recta fide, cum subdit: « Iesu Christi servus », et a discretivo cognomine, cum subdit: « Frater autem Iacobi ». Quod dicit, ut distinguatur a Iuda Iscarioth, vel ut eius doctrina magis authentica reputetur ratione fratris, et quia cognatus Domini.

2. Introducit etiam salutatam ecclesiam sub triplici praerogativa:

a) Nam et electam aeternaliter, cum dicit: « Qui sunt in Deo patre dilectis »;

b) et aggregatam temporaliter in Christo, cum subdit: « Vocatis »;

c) et custoditam finaliter inter multas tentationes et persecutiones, cum ait: « Conservatis ».

3. Et introducit salutationis formam, optando eis remissionem culpae, cum dicit: « Misericordia vobis »; et tranquillitatem conscientiae, cum subdit: « Et pax adimpleatur ».

II. NARRATIO.

Secundo vero ponit narrationem seu tractatum, ibi: « Carissimi, omnem sollicitudinem faciens », ubi praemittit intentam conclusionem dicens, quod haec est intentio, qualiter scribit pro communi sa-

lute eorum, scilicet quod non immutentur a vera fide eis tradita ab Apostolis, imo pro ea certent. Deinde ibi: « Subintroierunt enim quidam », adducit pro hoc intentam rationem, et est, quia multi haeretici et simulati praedicatores ac christiani illo tempore subintroierant, qui ipsos subvertere nitebantur; et *contra istos haereticos* sic procedit, quod

Primo eos repellit per divinam praescientiam, dicens, quod adhuc praesciti sunt ab aeterno in divina praescientia, ut sint reprobi et Dei gratiam in luxuriam transferant.

Secundo ibi: « Commonere autem vos volo », inducit contra eos multiplicem veteris testamenti figuram, dicens, quod horum typum et figuram gerebant illi qui prostrati et perditi fuerunt in deserto, quoniam Dominus Iesus de terra Aegypti suum populum educebat. Similiter etiam Lucifer et ceteri angeli, qui suum domicilium et principatum per superbiam amiserunt. Et Sodoma et Gomorrha ac civitates finitimae, quae ratione luxuriae et superbiae combustae fuerunt. Isti autem carnales erant et tamquam superbi maiestatem Domini blasphemantes.

Tertio ibi: « Cum Michael archangelus », inducit contra eos archangelorum reverentiam, dicens, quod Michael archangelus non fuit ausus blasphemare diabolum, cum disputaret de corpore Moysi cum eo volente, ut revelaretur filiis Israel locus sepulcri, ad hoc, ut Moysen adorarent et in idololatriam inciderent, sed potius ad Deum recurrit, ut ipse increparet et prohiberet. Isti autem haeretici absque reverentia et timore blasphemabant Dominum Iesum Christum.

Quarto ibi: « Quaecumque autem naturaliter », inducit contra eos brutorum malitiam, quam huiusmodi haeretici imitantur.

Quinto ibi: « Vae illis, qui in via Cain abierunt », inducit contra eos hominum nequitiam, Cain scilicet et Balaam et Core, quam isti imitantur.

Sexto ibi: « Isti sunt nubes sine aqua », et inducit contra eos multiplicem naturalem figuram. Assimilat enim eos nubibus, ventis et infructuosis arboribus et fluctibus marinis spumantibus et stellis errantibus propter multiplex vitium.

Septimo ibi: « Prophetavit autem de his », inducit ergo contra eos Henoch sancti prophetiam.

Octavo ibi: « Vos autem carissimi », inducit contra eos auctoritatem apostolicam et verorum Apostolorum doctrinam.

Nono ibi: « Vos autem carissimi ». Concludit informationem moralem et virtutum disciplinam, monens eos de dilectione et arguitione vitae istorum et miseratione incorrigibilitatis eorum, si aliqui tales inveniantur.

III. CONCLUSIO.

Ultimo in tertia parte principali post salutationem et narrationem ponit conclusionem ac gratiarum actionem, ibi: « Ei autem, qui potens est vos conservare sine peccato... Amen ».

Et sic finitur canonica Iudae.

Incipit quartus liber epistolaris, scilicet Apocalypsis.

Nunc accedit quartus liber epistolaris, videlicet Apocalypsis, in quo Ioannes *unam conclusio-*

nem intendit, videlicet *aperire decursum totius Ecclesiae quantum ad prosperitates et adversitates* notabiles, quae debebant illi contingere a sui fundatione usque in finem. Et dividitur in *duas partes,* videlicet in praefationem, quae continet praeambulum, et in narrationem, quae continet processum. Et incipit secunda capitulo 2: « Et angelo Ephesi », et durat usque in finem libri.

1. PRAEAMBULUM.

Primum ergo capitulum continet per modum praeambuli quaedam generalia respectu libri totius.

1. Continet namque primo huius libri scripturae *excellentiam et auctoritatem.* Non est enim quaecumque scriptura, sed apocalypsis et revelatio, nec revelatio quaecumque, sed summe authentica, quod apparet per auctoritatem quatuor personarum, quae inducuntur, scilicet Iesu Christi et Dei Patris et Ioannis et Angeli.

2. Continet huius scripturae *efficaciam et utilitatem,* quam ostendit Ioannes, cum subdit: « Beatus qui legit et qui audit ».

3. Continet huius scripturae *sufficientiam et universalitatem,* non enim appropriatur uni ecclesiae, sed mittitur septem ecclesiis, quae sunt in Asia; imo et sufficienter continet ea, quae spectant ad universalem Ecclesiam, et ideo subditur: « Ioannes septem ecclesiis, quae sunt in Asia ».

4. Continet personae scribentis *amicitiam et benignitatem,* cum subditur: « Gratia vobis et pax »; ubi implorat eis gratiam a tota Trinitate:

a) a persona prima: « Ab eo, qui est et qui erat »;

b) a persona tertia Spiritus sancti, cum dicit: « Et a septem spiritibus »;

c) a persona media Filii, cum addit: « Et a Iesu Christo ». Commendat autem Dominum Iesum Christum a *sex praerogativis et excellentiis:* attribuit namque sibi α) veritatem eruditionis, cum dicit: « Qui est testis fidelis »; β) primitatem resurrectionis, cum subdit: « Primogenitus mortuorum »; γ) potestatem et universitatem dominationis, cum subdit: « Et princeps regum terrae »; δ) largitatem benedictionis, qua benedixit nos, cum subdit: « Qui dilexit nos et lavit nos »; ε) aequitatem retributionis, quam habebit in mundo, cum subdit: « Et ecce venit cum nubibus »; ζ) entitatem omnimodae comprehensionis et aeternitatem durationis, cum subiungit: « Ego sum alpha et omega ».

5. Continet huius scripturae *congruentiam et idoneitatem* quantum ad locum solitarium, quia in insula Pathmos, et tempus festivum, quia dominica die, et scriptorem idoneum in exilio pro veritatis testimonio relegatum, et mediatorem authenticum angelum, scilicet habentem vocem tanquam tubae. Et haec omnia tanguntur ibi: « Ego Ioannes frater vester vidi » etc.

6. Continet huius scripturae *capacitatem et materiam,* videlicet tribulationem, quam passura est Ecclesia, quae praefigurabatur per septem candelabra aurea; et consolationem, quam receptura est a Christo, quae designatur per hoc, quod Filius hominis erat in medio candelabrorum aureorum, hoc est in medio ecclesiarum ad consolandum. Et

hoc facit ibi Ioannes: « Et conversus vidi septem candelabra ».

Ubi describitur *Filius hominis:*

quantum ad vestimentum, quia erat vestitus podere,

et quantum ad cingulum, quia praecinctus erat ad mamillas zona aurea,

et quantum ad capillos, quia caput et capilli erant tanquam lana alba et tanquam nix,

et quantum ad aspectum, quia oculi eius erant tanquam flamma ignis,

et quantum ad incessum, quia pedes eius erant similes aurichalco,

et quantum ad verbum, quia vox illius erat tanquam vox aquarum multarum,

et quantum ad manum, quia habebat in dextera sua stellas septem,

et quantum ad instrumentum bellicum, quia de ore eius gladius acutus exibat,

et quantum ad vultum, quia facies sicut sol lucens.

Quae *novem* conditiones significabant novem virtutes et excellentias, in Christo existente in Ecclesia, ut eam consoletur in omni tribulatione sua.

7. Continet huius scripturae *praeclaritatem et singularem reverentiam,* quae sibi est exhibenda, in cuius signum Ioannes ad ipsius notitiam accedens cecidit ad pedes magistri ostensi, scilicet Christi, et ab eo confortatus et elevatus est. Et hoc tangit ibi: « Hoc cum vidissem, cecidi ad pedes eius ».

Ergo continet huius scripturae modum et formam, ostendens, quod habet obscuritatem cum aliquali evidentia mixtam, quod colligitur ex hoc,

quod cum figuris et signis aliqua pauca mysteria explicantur, ex quibus tanquam ex clavibus obscuritates figurarum et aenigmatum reserantur; alias totum esset occultum et clausum. Et ideo iubetur Ioanni, quod scribat mysterium septem stellarum et septem candelabrorum, et saepe in isto libro aliquod verbum breve pro expositione figurarum additur, ut est illud « aquae multae », sunt populi multi, et « qui habet intellectum, computet numerum bestiae ».

Hic igitur modus procedendi innuitur nobis ibi: « Scribe ergo, quae vidisti ».

Nunc accedit secundum capitulum, ubi inchoatur

II. TRACTATUS.

Tractatus et processus totius libri, qui *dividitur in partes duas:*

In partem, quae continet inspirationem morum, et respicit Asianam ecclesiam in speciali (c. 2-3.).

Et in partem, quae continet reserationem secretorum futurorum et arcanorum, et respicit totam Ecclesiam catholicam in generali. Et incipit pars illa quarto capite: « Post hoc vidi » etc.

PARS I. ECCLESIA ASIANA.

Informatio morum.

Prima pars, quae continetur in duobus capitulis, secundo et tertio, dividitur in *septem partes,* secundum quod scribit septem episcopis septem ec-

clesiarum existentium in Asia, quod ideo facit, quia regio illa, scilicet Asia minor, erat curae suae commissa et in sortem suae praedicationis advenerat.

1. Timotheo, episcopo Ephesino.

Scribit itaque primo *Timotheo,* archiepiscopo *Ephesino,* hortando ipsum ad caritatem proximi et amorem. Constat enim ex historiis, Timotheum ab apostolo Paulo Ephesinum archiepiscopum constitutum et ibidem supervixisse usque ad primum annum Neronis [1] imperatoris, qui Domitiano successit, sub quo Domitiano Ioannes librum istum scripsit. Et ideo angelus, hoc est archiepiscopus, tunc erat Timotheus. Scribendo igitur illi,

a) praemittit Christi commendationem, dicens: « Haec dicit, qui tenet septem stellas ».

b) Subiungit Timothei et Ephesiorum fidelium quoad aliquam approbationem, cum ait: « Scio opera tua et laborem tuum, quia non potes sustinere malos ». Et ad litteram ita fuit. Nam Ephesini perstiterunt in verbo veritatis nec receperunt pseudoapostolos, nec fuerunt per eos depravati, sicut ex argumento super epistolam ad Ephesios.

c) Deinde subiungit eorundem quoad aliquam reprobationem et reprehensionem, cum dicit: « Sed habeo adversum te pauca, quia caritatem primam » etc.

d) Deinde subiungit exhortationem ad fervorem et caritatem, quia ad litteram in eis refrigue-

---

[1] Sic! Neronis pro Nervae.

rat caritas erga proximum, et hoc facit ibi: « Memor esto itaque » etc.

e) Deinde subiungit, nisi corrigantur, comminationem, cum dicit: « Sin autem venio tibi, et movebo » etc.

f) Deinde excitat omnium audientium intentionem, quia quod uni dicit omnibus dicit, ibi: « Qui habet aures audiendi, audiat ».

g) Ultimo addit repromissionem, ibi: « Vincenti dabo edere de ligno vitae ».

2. Beato Polycarpo, episcopo Smyrnensi.

Secundo vero ibi: « Et angelo Smyrnae ecclesiae scribe », scribit beato Polycarpo, episcopo Smyrnensi, hortando ipsum et subiectam ecclesiam ad firmitatem et vigorem in persecutionibus. Constat enim ex dictis Eusebii in ecclesiastica historia (lib. 4, cap. 12) et Hieronymi in libro illustrium virorum, Polycarpum et Papiam fuisse auditores Ioannis apostoli, et Polycarpum institutum ab eo episcopum Smyrnensem. Scribendo igitur sibi,

a) praemittit Christi commendationem ut prius, dicens: « Haec dicit primus et novissimus ».

b) Subiungit eius approbationem, quia ad litteram episcopus iste fuit valde perfectus et litteratus, et multos libros adversus Iudaeos composuit; et ideo subdit: « Scio tribulationem tuam et blasphemaris ab his, qui se dicunt Iudaeos esse ».

c) Deinde ponit eius confortationem, animando ipsum ad vigorem et ad firmitatem, quia habebat ibi pati. Unde et sub Antonino in Smyrna cum pluribus aliis quasi innumerabilibus martyribus passus

est [1]; et ideo subdit: « Nihil horum timeas, quae passurus es. Ecce missurus est diabolus ex vobis aliquos in carcerem ».

d) Deinde ponit repromissionem, ibi: « Esto fidelis usque ad mortem ».

e) Deinde vero excitat omnium legentium intentionem, ibi: « Qui habet aures audiendi, audiat ».

f) Et concludit pro sustinentibus et tolerantibus mala aeternam retributionem, ibi: « Qui vicerit ».

3. S. Carpo, episcopo Pergamensi.

Tertio scribit S. Carpo, episcopo Pergamensi, hortando ipsum ad castitatem et decorem, vel potius subiectum sibi populum. Constat autem secundum Eusebium (loc. cit.), Carpum fuisse ibi episcopum et martyrizatum cum pluribus, quia gentiles illius civitatis zelabant plurimum pro idolis suis, ideo ibi erat grandis persecutio contra Christianos, propter quod appellatur sedes satanae locus iste. Primus autem inter passos appellari potuit Antipas, quamvis ex historiis hoc non constet. Ibidem etiam fideles aliqui iuxta Nicolaitarum sectam reputantes, mulieres debere esse communes, et usum earum indifferenter a gentilibus mulieribus ad idololatriam inducebant, et ideo reprehendit eos tanquam tenentes doctrinam Balaam.

a) Praemittitur ergo Christi commendatio, ibi: « Haec dicit, qui habet » etc.

---

[1] Ut Eusebius 4° libro eccl. historiae dicit.

b) In prophetia subiungitur commendatio de passionibus et martyrio, ibi: « Scio, ubi habitas ».

c) Adiungitur reprehensio: « Sed habeo adversum te ».

d) Admittitur comminatio: « Similiter poenitentiam ».

e) Erigitur audientium intentio: « Qui habet aures ».

f) Et in fine ponitur repromissio, ibi: « Vincenti dabo ».

4. S. Irenaeo, episcopo Thyatirensi.

Quarto sancto Irenaeo Thyatirensi episcopo scribit, hortando ipsum ad veritatem et splendorem. Est enim sciendum, quod iste Irenaeus fuit egregius Polycarpi discipulus et prae ceteris excellentioris doctrinae. Sicut enim Polycarpus excessit ceteros discipulos Ioannis evangelistae, sic iste excessit ceteros discipulos Polycarpi. Fuit autem primo episcopus Thyatirae. Deinde vero zelo fidei per multas regiones discurrens et docens usque in Gallias perveniens Lugduni archiepiscopus resedit et sedem illam fundavit ac plurimos libros scripsit [1]. Martyrizatus est autem Lugduni sub imperatore Severo, qui quintam persecutionem in Christianos exercuit. Licet autem iste non fuerit Ioanni contemporaneus, in spiritu tamen prophetico et prophetiae loquitur de isto, quia excellit omnes epi-

[1] « Et sicut patet libro 4. 5. et 6. ecclesiasticae historiae in diversis capitulis ».

scopos ecclesiae Thyatirae. In hac ergo epistola sicut in praecedentibus epistolis

a) praemittitur pars Christi commendativa, ibi: « Hoc dicit Filius Dei ».

b) Adiungitur pars istius ecclesiae approbativa maxime quantum ad tempora ultimiora, in quibus praefuit Irenaeus, et ideo subdit: « Novi opera tua et fidem et caritatem ». Quod dicit propter sui sapientiam et ministerium et praedicationem suam, qua replevit multas provincias. « Et patientiam tuam », quod dicit propter martyrium. « Et opera tua novissima plura prioribus », hoc est tuis praedecessoribus.

c) Annectitur vero pars ecclesiae reprobativa, quantum ad aliquid, nam error Montani et mulierum suarum, Priscae et Maximillae, qui fuerunt falsi prophetae et spiritu contrario in quodam mentis excessu arrepti, praeferebant quaedam nova et contraria fidei, blasphemando Dominum Iesum Christum et Apostolos eius et sanctam Ecclesiam. Ortum habuit in Phrygia, propter quod illi haeretici dicti sunt Cataphrygae. Mulieres autem illae perungebant se ruboribus et oculos perungebant stibio et delectabantur ornatibus et studebant avaritiae cum prophetis suis falsis, sicut de Iezabele dicitur (IV. Reg. c. 9.). Haec autem omnia de istis mulieribus propheticis et de Montano leguntur [1]. Et quia error iste invaluerat in ecclesia Thyatirae, contra quos validissime scripsit Irenaeus, ut testatur Eusebius (loc. cit.), ideo reprobando ecclesiam praedictam dicit Ioannes hic: « Sed habeo adversus

[1] Lib. 5. eccl. histor. 18. cap. 17. Euseb.

te pauca, quia permittis mulierem Iezabelem », Priscam scilicet et Maximillam, Montanum et ceteros Cataphrygas.

d) Deinde vero subiungitur contra istos comminatio, ibi: « Ecce ego mittam eam in lectum ».

e) Deinde vero subiungitur aliquorum approbatio, qui illis non consenserunt: « Vobis autem dico et ceteris, qui Thyatirae estis ».

f) Deinde adiungitur repromissio, maxime quantum ad Irenaeum, qui vicit illum errorem et custodivit ac defensavit civitatem ecclesiae contra ipsum, et hoc ibi: « Et qui vicerit ».

g) Ultimo ibi: « Qui habet aures audiendi, audiat », erigitur universorum intentio.

5. S. Melitoni, episcopo Sardensi.

Quinto scribit beato Melitoni, episcopo Sardensi, hortando ipsum ad operositatem, strenuitatem et valorem, vel potius ad hoc hortatur ecclesiam sibi subiectam. Constat enim [1], quod Melito circa illa tempora fuit episcopus Sardensis et beato martyrio consummatus in civitate illa requiescit. Scribendo ergo illi,

a) praemittit Christi commendationem: « Haec dicit, qui habet septem spiritus Dei »;

b) subiungit reprehensionem de otiositate et accidia, quam habebant multi de Sardensi ecclesia, unde habebant [2] nomen, quod viverent, nomen sci-

---

[1] Ex libro 5. eccl. hist. c. 23.

[2] Habebant *quod timerent* ed. Ven., *quod viverent* A, habebant *vitae* nomen C, habebant nomen scilicet christianitatis B.

licet christianitatis, et tamen mortui erant: « Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas »;

c) deinde subiungit admonitionem ad strenuitatem, quae opponitur accidiae, ibi: « In mente ergo habe »;

d) deinde subdit comminationem contra pigros: « Si ergo non vigilaveris »;

e) deinde quorundam commendationem: « Sed habes pauca nomina in Sardis » etc.;

f) deinde talibus proponit repromissionem et retributionem, ibi: « Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis »;

g) ultimo erigit universorum intentionem, ibi: « Qui habet aures audiendi, audiat ».

6. S. Quadrato, episcopo Philadelphiae.

Sexto scribit sancto Quadrato, episcopo Philadelphiae, hortando ipsum et subiectam sibi ecclesiam ad perseverantiam et longanimitatem. Est autem sciendum, quod iste Quadratus fuit doctor multum excellens et sub Adriano fidei defensiones conscripsit, ut testatur Eusebius[1], et idcirco iste exosus erat Iudaeis et blasphemabatur, quia fidem contra ipsorum vaniloquia defendebat. Scribens ergo Ioannes isti episcopo et subiectae ecclesiae,

a) praemittit Christi commendationem dicens: « Haec dicit sanctus et verus, qui habet clavem David ».

b) Deinde subdit Quadrati commendationem quantum ad litteraturam et ostium scripturae aper-

[1] Lib. 4. eccl. hist. c. 3.

tum, ibi: « Scio opera tua, ecce dedi coram te ostium apertum ».

c) Deinde subdit repromissionem, pro tempore praesenti et ostendit promittens humiliationem Iudaeorum resistentium sibi pro eo, quod scribebat defensiones pro verbo Dei; et hoc facit ibi: « Ecce dabo tibi de synagoga satanae ».

d) Deinde ponit exhortationem et admonitionem ad longanimitatem et perseverantiam, ibi: « Ecce venio cito, tene quod habes ».

e) Deinde subiungit repromissionem pro futuro, ibi: « Et qui vicerit ».

f) Ultimo erigit universorum audientiam et intentionem, ibi: « Qui habet aures audiendi, audiat ».

7. *S. Satyro, episcopo Laodicensi.*

Septimo scribit beato Satyro [1], episcopo Laodicensi, hortando ipsum ad vivacitatem et fervorem; nam Laodicenses, etsi erant fideles, tamen non multum ferventes. Constat autem secundum Eusebium [2], beatum Satyrum fuisse episcopum Laodiceae et beato martyrio finiisse vitam ibique requiescere. Scribens ergo Ioannes huic episcopo,

a) praemittit Christi commendationem, cum dicit: « Haec dicit ».

b) Subiungit Laodicensium reprehensionem, ibi: « Scio, quia nec frigidus es, nec calidus ».

c) Addit admonitionem, ibi: « Suadeo tibi, emere a me aurum ignitum ».

---

[1] Etiam Sayaro.

[2] Lib. 6. eccles. hist. c. 23.

d) Addit repromissionem: « Si quis audierit vocem meam ».

e) Et ultimo erigit intentionem, ibi: « Qui habet aures audiendi ».

Est autem sciendum, quod in omnibus istis septem epistolis Christi commendatio et ecclesiae reprehensio et exhortatio et repromissio sibi congruentissime correspondent et proportionantur, sicut faciliter patere potest diligenti lectori.

PARS II. ECCLESIA CATHOLICA.

Informatio futurorum.

Nunc accedit quartum capitulum, ubi accedit ad reserationem futurorum, quae respiciunt universalem Ecclesiam. Et protenditur tractatus iste usque in finem libri, qui dividi potest secundum sensum imaginarium, vel secundum sensum moralem et mysticum, vel secundum sensum litteralem continentem futurorum eventum.

PRIMUS MODUS DIVIDENDI.

Sensus imaginarius.

Primo quidem secundum sensum imaginarium dividitur in *sex partes* secundum sex modos procedendi; unde possunt dici sex visiones, non quidem diversae tempore, quia eadem die dominica Ioannes creditur totum vidisse, sed divisae imaginibus ac similitudinibus diversis, quas aperit et quibus procedit.

1. Primo namque procedit sub septenario *sigillorum* usque circa principium cap. 8, ubi dicitur (v. 2.): « Et vidi septem angelos ».

2. Procedit sub septenario *angelorum cum tubis* (c. 8, 2-11.): « Et vidi septem angelos », usque ad cap. 12.

3. Procedit sub commixtione et *combinatione signorum* diversorum, ut mulieris et draconis et pugnantium angelorum et bestiarum et agni et 144 millium signatorum nec non et septem angelorum. Et durat pars illa, in qua sic procedit permixte, per tria capitula 12, 13. et 14.

4. Procedit sub septenario *angelorum cum suis phialis* et novissimis *plagis*. Et hoc per duo capitula 15 et 16.

5. Procedit sub figura et *imagine mulieris* et *bestiae* et damnatione eorum. Et hoc a cap. 17-20.

6. Ultimo procedit sub *metaphora novae civitatis* et omnium ornamentorum suorum, quantum ad fundamenta, muros et flumina et lignum vitae per duo capitula ultima 21-22.

Unde consuetum est dici, quod in Apocalypsi sunt septem visiones, addendo istis sex illam de correctione septem ecclesiarum, quae continetur in 2. et 3. capitulo, ut supra visum est etc.

SECUNDUS MODUS DIVIDENDI.

Sensus moralis.

Secundum sensum vero moralem et mysticum praedictae sex visiones sic distinguuntur:

1. Prima visio namque de septenario sigillorum refertur ad reserationem mysteriorum universorum, quae in veteri testamento latebant de Christo. Quae ante adventum eius omnino latuerant, per adventum autem ipsius declarata et reserata sunt.

2. Secunda vero visio de septenario angelorum cum tubis refertur ad praedicationem praedictorum mysteriorum vel reseratorum in Christo, quae quidem praedicatio facta est et fit quotidie per doctores, qui designantur per angelos tubas habentes.

3. Tertia vero visio de permixtione signorum, mulieris scilicet et draconis, bestiarum et angelorum, refertur ad permixtionem bonorum et malorum in Ecclesia militante et ad mutuam pugnam et persecutionem ipsorum.

4. Quarta vero visio de septenario angelorum cum phialis et plagis refertur ad punitionem malorum in praesenti.

5. Quinta vero visio de damnatione mulieris meretricis refertur ad punitionem malorum hominum et angelorum in futuro et ad culpam et ad causam punitionis ipsorum.

6. Sexta vero visio de descriptione civitatis novae et suorum ornamentorum refertur ad praemium et retributionem iustorum.

Et secundum istas radices sex patent intellectus et decursus totius libri iuxta sensum moralem.

TERTIUS MODUS DIVIDENDI.

Sensus litteralis.

Secundum vero sensum litteralem dici potest, quod continetur in istis sex visionibus futurorum eventus quoad tribulationes et persecutiones, quas passura erat Ecclesia maxime in tempore antichristi. Potest autem dividi totus processus Ecclesiae in septem aetatunculas per similitudinem, qua status totius mundi dividitur *in septem aetates*. Habet ergo processus Ecclesiae septem status.

1. Primus quidem suae *fundationis* sub tempore Apostolorum et discipulorum Christi.

2. Secundus vero *persecutionis* sub tempore imperatorum et martyrum.

3. Tertius *prosperitatis* et exaltationis sub tempore Constantini, qui largitus est honorem et abundantiam temporalium bonorum.

4. Quartus vero *divisionis* et dissecationis inter se sub tempore haereticorum.

5. Quintus vero perfectae *pacificationis* et dilatationis sub tempore Caroli et imperatorum successorum. Iste namque dilatavit Ecclesiam, multa coenobia fundando, et pacificavit ad plenum.

6. Sextus vero novissimae *persecutionis* sub tempore *antichristi* et suorum discipulorum.

7. Septimus *praemiationis* bonorum *et punitionis* malorum post diem iudicii et post destructionem antichristi.

Secundum ergo hunc septenarium procedit quaelibet visio. Nam in prima ponuntur septem sigilla,

et respondet primum sigillum primo statui, secundum secundo et sic deinceps. In secunda autem de septem angelis correspondet similiter primus angelus cum tuba et sic deinceps. In tertia vero de dracone et muliere maxime immoratur circa sextum statum de persecutione antichristi et communiter deincéps. Imo secundum hunc modum exponendi quaelibet visio maxime circa hoc immoratur.

Potest autem aliter dici de istis statibus, ut ille status, qui dictus est tertius de tempore Constantini, omittatur. Nam tunc inchoata est divisio et dissensio haereticorum per Arium, et secundum hoc tempus antichristi pertinebit ad quintum statum, et sextus computabitur ab occisione antichristi usque ad finem iudicii. Septimus vero a die iudicii et sic deinceps. Sed quia iuxta hunc modum exponendi tota haec prophetia versaretur circa persecutiones, quas infert antichristus, et per consequens omitterentur multa et maxima, quae circa Ecclesiam tempore intermedio evenerunt — maximum quippe fuit de separatione Graecorum ab universitate Ecclesiae, et de translatione imperii per Ecclesiam a Graecis mediante persona Caroli in Germanos, et de persecutione, quam intulit Chosroe in Christianos, qui cepit Hierusalem et ab oriente, scilicet a Perside, usque in Syriam Ecclesiam devastavit, et de persecutione, quam intulit Mahometus, qui universam Persidem, Arabiam, Syriam Aegyptum, Africam, Hispaniam, Vasconiam et Provinciam subvertit a fide Christi in infidelitatem et saracenismum convertit — cum igitur haec et alia plura notabilia contra universalem Ecclesiam contigerint: non videtur rationabile, quod a Ioanne omissa fuerint in prophetia ista.

Tamen quia ipse ait in principio: « Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quae oportet fieri cito » — et rursus: « Tempus enim prope est » — et cap. 4.: « Ostendam tibi, quae oportet fieri cito post haec » — et cap. 6.: « Oportet te prophetare gentibus et populis et tribubus et linguis et regibus multis » — per quod intelligitur et innuitur, quod non solum de regno nefario antichristi, sed de multis aliis in isto libro prophetabat, tum quia prophetae veteris testamenti non solum tribulationem ultimam, quam Israelitae sub Romanis passi sunt, prophetaverunt, imo et ceteras, quas passi sunt sub aliis monarchiis: idcirco visum est aliis, quod in hoc libro prophetice sint praedictae omnes notabiles passiones, mutationes, persecutiones et novitates, quae circa universalem Ecclesiam contingunt, et non solum persecutio antichristi. Et praecipue, quia non videtur rationabile, id quod dicitur in 7. capitulo referri ad finem mundi, et postmodum in principio octavi fit regressus ad principium Ecclesiae, et tamen sic oportet redire frequenter, si praecedens expositio teneatur. Concordando itaque historias de praeterito, in quibus notabilia, quae contigerunt Ecclesiae, conscribuntur ad prophetiam istam, dici potest, quod quidquid ibi historice describitur, in hoc prophetice continetur.

SEX TEMPORA ECCLESIAE.

Status autem Ecclesiae secundum descriptionem historiarum dividi potest in sex tempora, ut sit

1. Primum tempus a fundatione Ecclesiae per discipulos et apostolos usque ad Iulianum apostatam, in quo tempore Ecclesia extitit quasi clausa et sigillata sub persecutione imperatorum paganorum, et totum istud tempus prophetice praedicitur in prima visione de septem sigillis.

2. Secundum vero tempus fuit mortuo Iuliano, Ioviniano et Valentino imperatoribus usque ad Iustinianum imperatorem, vel usque ad Mauritium, cuius tempore fuit papa magnus Gregorius. In hoc toto tempore fuit Ecclesia quasi sub angelis canentibus cum tubis, quia sub persecutione haereticorum; nam in toto illo decursu plures ex imperatoribus Ariani fuerunt et aliis haeresibus infecti; et totum istud tempus prophetice continetur in secunda visione.

3. Tertium vero tempus fuit a Phoca imperatore, qui successit Mauritio, usque ad Constantinum, quem excaecavit Irene mater sua, cuius tempore Graecorum imperium translatum est in Carolum et in Germanos. In illo namque tempore Ecclesia passa est persecutionem draconis, scilicet Chosroe, et bestiae, scilicet Mahometi, et persecutionem Saracenorum, et totum istud tempus prophetice praedicitur in tertia visione.

4. Quartum vero tempus fuit a Carolo magno primo usque ad Henricum quartum imperatorem, in quo tempore Ecclesia fuit sub quibusdam plagis et phialis iracundia Dei plenis, ratione multiplicis schismatis et quorundam adversorum, ut postea apparebit. Et totum hoc prophetice praedicitur in quarta visione, ubi agitur de angelis, qui habebant septem plagas.

5. Quintum vero tempus fuit a tempore Henrici praedicti et durat usque ad tempora antichristi, in quo Ecclesia quandoque victoriam habuit de Babylone, muliere meretrice, sub Balduino et Godefredo regibus, et aliquando succubuit; et hoc tempus describitur in visione quinta.

6. Sextum vero tempus erit a persecutione antichristi usque ad diem iudicii, post quem erit gloria paradisi et consummatio mysteriorum Dei, et huic correspondet visio sexta.

Incipit prima visio.

FUNDATIO ECCLESIAE. PERSECUTIONES. LIBERATIO.

A Claudio usque ad Iulianum.

In prima ergo visione prophetice describitur totum tempus fundationis Ecclesiae inter gentes et persecutionis imperatorum paganorum et liberationis factae per Constantinum. Quod quidem tempus duravit a Caio et Claudio imperatoribus usque ad Iulianum apostatam inclusive. Et incipit haec visio in principio cap. 4: « Post haec vidi », usque circa principium octavi, ubi scribitur: « Et vidi septem angelos stantes ». Dividitur autem haec visio in *quinque* partes principales.

I. PARS. DEI MAIESTAS.

In prima namque introducitur revelantis auctoritas et maiestas per totum 4. cap., ubi Dei magnificentia introducitur

1. quantum ad *locum,* cum dicitur: « Post haec vidi, et ecce ostium apertum in caelo ». Caelum enim significat hic *Ecclesiam* militantem, in qua singulariter residet Deus, omnibus sectis et ceteris congregationibus reprobatis, ad cuius decursum et statum intuendum ascendit Ioannes. Deinde describitur Dei magnificentia

2. quantum ad suum *thronum,* quia sequitur: « Et ecce sedes posita erat in caelo ». Et designabat sedem Romanam, quae principalis et caput est in Ecclesia et in qua tanquam in capite Deus sedet in principali: « Habens aspectum lapidis iaspidis et sardinis propter stabilitatem fidei ». Quare protegente Deo et beato Petro nunquam sedes illa cecidit a fidei firmitate nec cadet. Iris etiam foederis aeterni est in circuitu istius sedis, promittente Domino beato Petro (Luc. 22, 32.): « Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua ». Deinde vero describitur Dei magnificentia

3. quantum ad concomitantem *coetum,* ibi: « In circuitu sedis sedilia viginti quatuor ». Quae designabant universitatem episcopalium (temporalium) sedium in toto orbe existentium, super quae sedebant 24 seniores, hoc est universi episcopi. Nam in scriptura episcopi seniores dicuntur iuxta illud (I. Ioan. 5, 1.): « Seniores, qui in vobis sunt, obsecro ego consenior ». Et (II. et III. Ioan.): « Senior Electae dominae » et « Senior Gaio carissimo ». Unde et pontifices, qui ministrabant per vices suas tempore David in sanctuario, erant 24, ut dicitur Paralip. (I. c. 25.). Quare et in tempore filii David, Iesu Christi, universi pontifices sanctuarii 24 etiam esse dicuntur. Deinde describitur Dei magnificentia

4. quantum ad suum *influxum,* doctrinae quidem et miraculorum, quia sequitur, quod de throno procedebant fulgura, voces et tonitrua, per quae designatur multitudo doctorum et sanctorum, qui miraculis et doctrina Ecclesiam repleverunt. Influxum etiam gratiae quantum ad sacramentum confirmationis, in quo datur gratia septiformis, unde sequitur: « Et septem lampades, quae sunt septem spiritus Dei ». Et influxum etiam immunditiae ab omni puncto quantum ad sacramentum baptismi, et ideo sequitur: « In conspectu sedis tanquam mare vitreum ». Deinde describitur Dei magnificentia

5. quantum ad *testimonium,* unde sequitur: « Et in medio sedis et in circuitu quatuor animalia », quae designant quatuor Evangelistas, tanquam testes idoneos maiestatis divinae; vel quatuor sedes patriarchales, scilicet Antiochenam, Hierosolymitanam, Alexandrinam et Constantinopolitanam, quae sunt in circuitu sedis Romanae. « Et habent alas senas », ad plenitudinem potestatis, tamen sub ipso throno Romano, cui debent subesse. Describitur etiam Dei magnificentia

6. quantum ad laudis exhibitionem et *iubilum,* ibi: « Et requiem non habebant die ac nocte ».

7. Ultimo autem quantum ad gratiarum actionem et continuum *obsequium,* ibi: « Et cum darent illa animalia ». Per hoc enim designatur, quod quatuor sedes patriarchales et ad ipsarum directionem viginti quatuor seniores, universae scilicet Ecclesiae cathedrales per orbem constitutae sunt in continua laude Dei propter horas canonicas et divinum officium, quod iugiter celebratur.

Et sic intuitus est Ioannes in spiritu prophetico dispositionem magnificam Ecclesiae, quam cernimus adimpletam, et sic patet auctoritas et magnificentia Dei gubernantis et ministeria revelantis.

II. PARS. LIBRI OBSCURITAS.

In secunda vero parte introducitur libri continentis obscuritas, quia est liber divinae praescientiae, in qua futura omnia describuntur. Et incipit haec pars in principio cap. 5: « Et vidi in dextera sedentis librum ». Cuius tangitur comprehensio, cum dicitur, quod erat scriptus intus et foris; et occultatio, cum dicitur, quod erat signatus sigillis septem.

III. PARS. CHRISTI DIGNITAS.

In tertia vero parte introducitur Christi sedentis et aperientis librum summa dignitas, ibi: « Et vidi angelum fortem et praedicantem voce magna ». Ubi ostenditur, quod nullus alius a Christo ad istam libri apertionem fuit idoneus. Deinde, quod ipse Christus fuit idoneus, ibi: « Et unus de senioribus dixit mihi ». Fuit autem idoneus

a) et ratione nobilitatis, quia « vicit leo de tribu Iuda »;

b) et ratione passionis et acerbitatis, per quam meruit apertionem libri, qui « agnum stantem tanquam occisum » vidit;

c) et ratione plenitudinis gratiae et sanctitatis, quia habebat cornua septem et oculos septem.

IV. PARS. COETUS IUCUNDITAS.

In quarta vero parte introducitur coetus applaudentis et gratias exhibentis iucunditas, ibi: « Et cum aperuisset librum ». Ubi introducitur laus omnium fidelium et praelatorum et laus spirituum angelorum, ibi: « Et vidi et audivi vocem angelorum »; et laudem universorum, ibi: « Omnes audivi dicentes ».

Significabant autem haec omnia, quod angelus, hoc est Christus, qui est in medio Romanae Ecclesiae et quatuor patriarchalium sedium et quatuor seniorum, hoc est universalium episcopalium ecclesiarum, sub sacramento eucharistiae, in quo continue immolatur et repraesentatur occisus, meruit nobis apertionem libri divinae praescientiae quantum ad decursum omnium, quae circa Ecclesiam erant ventura, et descriptionem eorum in libro praesenti per ministerium Ioannis, super quo etiam hodie sedes Romana et universa Ecclesia gratias Deo patri exhibet et agno Filio eius, Domino Iesu Christo.

V. PARS. PROCESSUS FUTURORUM.

In quinta vero parte per ordinem exponitur processus futurorum a Caio et Claudio imperatoribus usque ad Iulianum apostatam clara et firma veritas. Et incipit pars ista (c. 6.): « Et vidi, quod aperuisset agnus unum de SEPTEM SIGILLIS ». Ubi per ordinem octo notabilia, quae contigerunt in illi tempore circa Ecclesiam, prophetice designantur.

I. Sigillum. Evangelii divulgatio.

Primo namque figurat et praemonstrat evangelicae divulgationis liberrimum processum Ioannes; et hoc in apertione primi sigilli, cum dicitur: « Et ecce *equus albus* ». Ubi sciendum secundum Eusebium [1], quod in brevi tempore sub Tiberio, Caio et Claudio imperatoribus praedicatio nominis Christi diffusa est per totum orbem. Nam praedicti imperatores apostolos et discipulos Christi per universum mundum discurrere permiserunt. Unde in principio capituli quarti dicit, quod divina providentia sensibus Caesaris ingessit, ut comminaretur periculum omnibus accusatoribus Christianorum, ut in ipsis initiis evangelii sermo praecurreret et repente quasi caelitus lumen ostensum et radius solis erumpens totum orbem claritate superni luminis illustraret, ut compleretur illa prophetia: « In omnem terram exivit sonus eorum », et per omnes civitates et vicos omnes immensae multitudines velut messium tempore frumenta ad areas ita populi ad ecclesias congregabantur. Hunc igitur liberum discursum vidit Ioannes in libro divinae praescientiae contineri. Et hoc erat primum, quod erat ibi clausum, et primum, quod aperuit ibi Christus, et ideo dicitur apertio primi sigilli.

Equus enim albus designabat exercitum apostolorum et discipulorum, qui albi erant in doctrina et in vita et instar equi velocissime discurrerunt, super quos sedebat Christus cum armis praedicatio-

[1] Lib. 2. eccl. hist. c. 3.

nis et gratia verbi, quam eis influebat, sicut promiserat: « Ecce dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt contradicere adversarii vestri », et quia data est corona victoriae et « exivit vincens, ut vinceret », quia mundum suae fidei subiugavit brevi temporis intervallo, ut dictum est.

II. Sigillum. Primae persecutionis edictum.

« Et cum aperuisset sigillum secundum », designat Ioannes et demonstrat primae generalis persecutionis edictum; generalis dico, ut excludatur partialis, quam statim fides habuit a principio in Ierusalem et Iudaea. Nero autem primus inter imperatores Romanos dedit edictum, ut punirentur Christiani, sicut dicit Eusebius [1], et dico martyrizavit beatissimos apostolos Petrum et Paulum et plures alios per diversas partes orbis.

Per equum ergo intelligitur Romanum imperium. Nam equi in scriptura consueverunt designare regna, ut patet in Zach. c. 6, 2. etc. *Rufum* autem tunc fuit Romanum imperium vel per effusionem sanguinis; quia, ut narrat Eusebius, in tantum sceleris Nero progressus est, ut nec a propriis quidem ac domesticis temperavit gladium, sed in matrem et in fratres et in uxores atque in omnes sanguinis proximos patricida extiterit et incestuosus. Vel dictum est rufum ratione multiplicis nefandi sceleris, quia inter omnes imperatores nequissimam ac nefandissimam vitam duxit, ut ex historiis patet. Vel ratione incendii et ignis, quia voluit videre

[1] Hist. eccl. l. 2. c. 26.

Romam ardere. Unde visa fuit quasi rufa et flammea ratione combustionis.

Neroni itaque sedenti super equum rufum super Romanum imperium datum est, ut sumeret pacem de terra et ut se invicem interficiant propter mortes, quas exercuit etiam in Romanos. Unde et ipse fugiens populum et senatum manu se propria interemit. Isti ergo datus est gladius magnus, quia permissione divina sibi datum est, ut magnos Apostolos interficeret et ut primam magnam persecutionem in fideles excitaret.

III. Sigillum. Iustum Dei iudicium.

Ibi: « Et cum aperuisset sigillum tertium », praefigurat iudaicae punitionis iustum Dei iudicium, et a persecutione Christianorum aliquale silentium. Vespasianus enim et Titus contra Iudaeos rebellantes missi sunt a Nerone. Quo mortuo succedentibus Vitellio, Othone et Galba, qui modico tempore regnaverunt, post Vespasianus est electus imperator a militibus existentibus in Iudaea, qui Romam petens Titum filium suum ad procurationem obsidionis Hierosolymorum reliquit, qui anno secundo imperii patris sui Hierosolymam cepit.

Equus itaque *niger* designat regnum Romanorum sub Vespasiano et Tito, vel ratione animositatis, quia color niger signum est animositatis in equo, vel quia Romanum regnum illo tempore Iudaeam denigravit et exterminavit. Qui ergo sedebat tunc temporis imperator, Vespasianus scilicet et Titus, habent *stateram* in manu, hoc est divinam iustitiam et aequitatem; et in una parte appendebatur Iudaeorum culpa, quam exercuerant in

Christum Iesum crucifigendo et discipulos ipsius persequendo et perimendo; et ex altera parte poena condigna, unde mittebantur a Deo Vespasianus et Titus, ut secundum stateram iustitiae punirent Iudaeos.

Audita est autem tunc vox bilibris tritici denario uno, et tres bilibres hordei denario uno; quia sicut ipsi Iudaei Iesum Christum, qui appellabat se triticum et granum frumenti, vendiderant triginta argenteis, sic (ut Iosephus scripsit) Titus vendidit undecies centena millia Iudaeorum dando triginta pro uno denario. Triticum autem hoc appellantur nobiliores Iudaei, et hordeum ignobiliores, libra vero accipi possunt quinque Iudaei. Dabat ergo bilibrem triplici, quia de nobilioribus, pro uno denario decem. Tres autem bilibres hordei, hoc est triginta de ignobilioribus, dabat pro alio denario. Merito autem quinque Iudaei ponuntur sub una libra, quoniam quinarius librorum legis habuit eos mensurare et debuit eos librare, contra quem legem interfecerunt Dominum et discipulos eius.

Sequitur autem: « *Vinum* et *oleum* ne laeseritis », quia Titus ad litteram cum subverteret Iudaeam et Hierusalem, nullum Christianum laesit. Nam Eusebius narrat[1] tertio libro, quod ecclesia, quae in Hierosolymis fuerat congregata, appropinquante obsidione, responso a Deo accepto, emigrare iubetur et transire ad oppidum quoddam, Pellam nomine, trans Iordanem. Per vinum ergo et oleum intelliguntur Christiani, qui fugerunt in Pellam, quia non sunt laesi. Erant enim pleni vino caritatis et oleo pietatis.

---

[1] Lib. 3. eccl. hist. c. 5.

IV. Sigillum. Secundae persecutionis edictum.

Ibi: « Et cum aperuisset sigillum quartum », figurat prophetice et praemonstrat rursum secundae persecutionis edictum, per *Domitianum* promulgatum. Successit namque Tito Domitianus, pater eius, scilicet Titi, qui in superbiam summam erectus iactavit se, quod nec pater nec frater eius Hierosolymam ceperant, sed eius industria et labore fuerat capta. Hic habuit vitam turpissimam et sceleratam; hic Ioannem apostolum in ferventis olei dolio mersit et in Pathmos insulam relegavit, et persecutionem per totum orbem in Christianos excitavit.

Regnum ergo Romanum tempore Domitiani dicitur *equus pallidus*, aut ratione invidiae, quia etiam Domitianus invidebat gloriae patris et fratris sui, Vespasiani et Titi; aut ratione vilitatis, quia sicut color pallidus vilis est, sic Domitianus vilis fuit in vita.

Sequitur autem, quod, quia sedebat super equum, « nomen illi mors, et infernum sequebatur eum ». Nam Domitianus ad litteram a senato damnatus, in palatio est occisus. Isti tamen data est potestas super quatuor partes mundi contra Christianos, interficere quadruplici genere tormentorum, scilicet fame, gladio, morte, per quam innuitur suffocatio seu combustio, « et bestiis terrae ». Nam martyres exponebantur bestiis et praedictis generibus tormentorum.

Est autem sciendum, quod in apertione illorum quatuor sigillorum leguntur quatuor animalia praedicta dixisse: « Veni et vide »! Nam in quatuor evangeliis agitur de istis quatuor revelatis.

Nam in evangelio *Marci* agitur de divulgatione evangelii (c. 16, 15.): « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Illi autem profecti praedicaverunt ». Et ideo primum animal, quod est Marcus, in apertione primi sigilli dicit: « Veni et vide ».

In evangelio vero *Matthaei* multum expresse agitur de persecutione Ecclesiae, ubi dicitur (c. 24.): « Tunc tradent vos in tribulatione et occident vos », et ideo secundum animal, videlicet Matthaeus, loquitur in apertione secundi sigilli.

In apertione vero tertii sigilli loquitur tertium animal, scilicet *Lucas*, quia (c. 19.) agit expresse de destructione Hierosolymae per Titum et Vespasianum, et de fletu Domini super eam, dicens: « Quia si cognovisses et tu ».

In apertione vero quarti sigilli loquitur quartum animal, scilicet *Ioannes*, qui (c. 16.) agit de pressura maxima, quam fideles habituri erant in mundo, quam post Neronem secundus Domitianus exercuit; unde ait: « In mundo pressuram habebitis, in me autem pacem ».

V. Sigillum. Ulteriores persecutiones.

Ibi: « Et cum aperuisset sigillum quintum », praedicit Ioannes ulterioris persecutionis profundum. Est enim sciendum, quod post Neronem et Domitianum, qui primas duas persecutiones exercuerunt in Christianos, Traianus exercuit tertiam, Marcus Antoninus quartam, Severus quintam, Maximus, qui et Maximianus, sextam, Decius septimam, Valerianus octavam, et Aurelianus nonam.

Licet fuerint multi imperatores intermedii inter istos, sub quibus etiam martyrizabantur Christiani, isti tamen dicuntur persecutiones exercuisse, quia renovabantur edicta contra Christianos. Alii vero non renovabant; sed si qui Christiani eorum temporibus interficiebantur, erat propter edicta praedecessorum suorum, quae ipsi non revocabant.

Tempore ergo istorum imperatorum non erant ecclesiae nec altaria stabilia, sed in cryptis sub terra Christiani celebrabant et orabant. Propter diuturnitatem ergo persecutionis mirabantur fideles de divina iustitia et clamabant vindictam postulantes a Deo vero. Et hoc est quod hic praedicit Ioannes: « Vidimus subtus altare animas interfectorum ». Et responsum est eis, quod exspectarent, « donec impleretur numerus martyrum ». Et si quaeratur, quomodo animae dicuntur esse sub altari, potest intelligi ratione corporum sanctorum martyrum, qui sepeliebantur in cryptis, in quibus etiam erigebantur altaria, quia legitur, quod Missae celebrabantur in cryptis martyrum.

VI. Sigillum. Decima persecutio.

Ibi: « Et vidi, cum aperuisset », describit postremae persecutionis excessum. Legitur enim, quod decimam persecutionem exercuit Diocletianus cum collega suo Maximiano, quam et continuavit, consummavit atque accumulavit Galerius Maximus.

Haec autem persecutio fuit maxima et excessiva: quia Maximianus praecepit in oriente vastari ecclesias, et Diocletianus in occidente, ut non esset locus in orbe, in quo non esset persecutio; et in-

tensive, nam mandaverant, ecclesias incendi et scripturas divinas incendi et comburi. Et legitur, quod infra 30 dies 17 millia hominum promiscui sexus per diversas provincias sunt martyrio coronati. Unde Marcellinus papa ad sacrificandum ductus est [1], et postmodum poenitentia ductus a Diocletiano capite truncatus est; et cessavit episcopatus Romanus annis tribus et mensibus sex propter immanitatem persecutionis illius. Diuturnitate etiam fuit gravissima, quia per decem annos continuos incendiis ecclesiarum, proscriptionibus innocentium, caedibus martyrum incessabiliter acta est.

Haec ergo immanitas praedicatur a Ioanne in apertione sexti sigilli, cum dicitur: « Quia terraemotus factus est magnus ». Haec est commotio gentium ab oriente usque ad occidentem: « Et *sol* » Christus « factus est niger » et vilis « tanquam saccus cilicinus » in opinione et reputatione omnium. « Et *luna* tota », scilicet Ecclesia, « facta est sicut sanguis » propter occisionem martyrum. « Et *stellae* », viri scilicet perfecti, quanto magis alii, « ceciderunt de caelo » perfectionis, « sicut ficus emittit grossos suos, cum a vento magno movetur ». Fuit enim tunc maximus et violentissimus persecutionis ventus.

« Et *caelum* recessit sicut liber involutus » — quia libri divinae scripturae tunc temporis combusti sunt. « Et omnes montes et insulae de locis suis motae sunt » — quia ecclesiae aedificatae in locis desertis et in montibus et in locis paludosis

---

[1] Iam S. Augustinus dixit, non esse credibile Marcellinum idolis sacrificasse; et recentiores auctores ab hoc facinore S. Marcellinum penitus absolvunt.

et insularibus; breviter, ubicumque essent absconditae, motae sunt et destructae. Et tunc temporis erant de numero fidelium in diversis partibus orbis aliqui reges, aliqui principes et aliqui tribuni et nobiles, aliqui divites et fortes, aliqui servi, aliqui liberi; ideo omnes conati sunt, se abscondere in speluncis, ut effugerent persecutionem. Et omnes mirati sunt de ira Dei et agni, quam videbantur habere erga fideles ex hoc, quod permittebant tantam persecutionem et tam diutinam exerceri in ipsos.

VII. Sigillum. Religionis pax.

Ibi: « Post haec vidi quatuor angelos », ubi incipit 7. cap., praedicit Ioannes persecutionis totius finem et terminum et christianae religionis pacem ac tempus tranquillum. Ubi primo

1. introducit quatuor tyrannorum perversum conatum. Sicut enim legitur [1], postquam Diocletianus et Maximianus deposuerunt infulas imperii in uno die, *Galerius et Constantius* facti sunt imperatores. Et Galerius instituit duos Caesares, unum in Italia, nomine Severum, et alium in Oriente, nomine Maximinum. In urbe autem Roma Maxentius, filius Maximiani, constitutus est imperator.

Constantius autem ex Helena genuit *Constantinum magnum,* qui mortuo patre factus est imperator et assumsit in consortium imperii Licinium, qui licet primo fuerit pacificus Christianis [2], postmodum tamen factus est persecutor.

Quatuor igitur angeli satanae et quatuor persecutionum nuntii et ministri fuerunt Maximinus in

[1] Lib. 9. eccl. hist.

[2] Textus: Christianus.

Oriente, Severus in Italia, Maxentius in Roma, et Licinius in Aegypto et Alexandria; et sic stabant super quatuor angulos terrae, sicut dicit Ioannes, et hi tenebant ventos, ne flarent super terram, quia post Diocletianum et Maximianum impediebant fideles doctores, ne praedicarent in terra, nec in mari, nec super aliquam arborem, hoc est super ullum fidelem.

2. Deinde introducit liberatoris *triumphum*. Legitur enim de Constantino, quod primo Marsiliae decapitavit Maximianum, collegam Diocletiani, qui rursum ad imperium aspirabat. Deinde Romam veniens contra Maxentium, cum esset sollicitus de bello, habuit de caelo responsum, quod in signo crucis vinceret. Et ostenso sibi signo crucis, dictum est sibi per angelos: « Constantine, in hoc vinces »! Et idcirco signum crucis fecit depingi in fronte sua et militaribus vexillis; belloque agresso de Maxentio triumphavit.

Cumque ingredienti cum triumpho Romam senatus ad eius honorem imaginem erigeret, vexillum crucis dominicae in dexteram imaginis iubet depingi et subtus scribi: « Hoc signum invincibile Dei vivi ».

Iste igitur *Constantinus* est *alter angelus* ascendens ab ortu solis, quia per revelationem et inspirationem divinam vel angelicam ascendit Romam, habens figuram Dei vivi. Et clamavit contra illos quatuor angelos ministros nefariae persecutionis, de quibus dictum est. Clamavit utique timorem incutiendo et debellando, ne nocerent terrae et mari neque arboribus, hoc est alicui Christiano, quousque omnes signarentur in frontibus suis per liberam susceptionem baptismi, quia dedit *edictum,* ut in toto orbe Romano omnis homo posset libere ba-

ptizari et consignari cruce; et quod possint aedificari ecclesiae et ubique imagines Crucifixi depingi. Sed et *ipse baptizatus est* et publice consignatus.

3. Deinde ponit quorundam signatorum numerum, scilicet filiorum Israel, ibi: « Et audivi numerum signatorum ». Ille enim numerus significat multitudinem fidelium, qui ex omnibus tribubus Israel crediderunt et baptizati sunt, non quoniam multo plures crediderint, sed quia numerus ille importat mysterium et est numerus perfectionis.

4. Deinde ibi: « Post haec vidi », ponit quorundam inaestimabilem coetum, scilicet eorum, qui ex gentibus crediderunt. Postmodum ibi: « Clamabant voce magna dicentes », praedicit liberatorum fidelium liberum cultum, quem ex tunc divinitati exhibuerunt, nam fabricatae sunt ecclesiae, et Deo et Agno dictae sunt laudes per angelos, hoc est per episcopos et praelatos in universo mundo.

5. Ultimo ibi: « Et respondit unus de senioribus », exponit totius praedictae visionis figuram et typum, ostendens, quod tota multitudo, quae dicta est, significabat fideles et Christianos, qui libere in toto universo ex tunc servirent Christo absque omni persecutione paganorum. Et ideo dicit, quod non cadet super illos sol neque ullus aestus persecutionis, et non erit lacryma in oculis eorum.

VII. Sigillum. Persecutio Iuliani apostatae.

Octavo et ultimo praedicit Ioannes cuiusdam persecutionis brevissimum residuum. Legitur enim [1]

[1] Lib. 10. hist. eccl.

quod Constantino imperatori christianissimo successerunt Constantius, Constantinus et Constans, eius filii. Sed Constantius favit Arianis. Constantinus autem vocavit Iulianum apostatam ad imperium, qui de christiano factus gentilis persecutus est Ecclesiam. Et fecit in ea silentium a culto divino; sed quia non imperavit nisi uno anno et octo mensibus, quia in bello Persarum interfectus est, idcirco sua persecutio horae dimidiae comparatur (c. 8, 1.).

Incipit secunda visio.

PERSECUTIONES HAERETICORUM.

A Iuliano usque ad Phocam.

In secunda vero visione, quae incipit circa principium octavi cap., ubi dicitur (c. 8, 2.): « Vidi septem angelos stantes », describitur totum tempus persecutionis Ecclesiae propter errores haereticorum et imperatores ac principes fautores eorum, quod tempus comprehenditur a Iuliano apostata, cui post Iovinianum et Valentinianum successit Valerius, imperator haereticus, usque ad Mauritium et Phocam.

Ponuntur autem hic septem angeli cum tubis, et unus, qui praecessit cum thuribulo, propter *octo notabilia*, quae illo tempore circa Ecclesiam contigerunt.

I. PAPA DAMASUS.

Cultus divini ampliatio.

Praedicit namque primo Ioannes cultus divini dilatationem et ampliationem factam per Damasum papam. Legitur enim, quod Damasus papa ad in-

stigationem Hieronymi tempore Valentis instituit, ut in fine cuiusque psalmi cantaretur « Gloria Patri ». Instituit etiam psalmos in ecclesia die noctuque cantari. Et hoc est, quod in hoc loco Ioannes praedicit. Ante enim quam septem angeli inciperent canere tubis, dicit, quod alius angelus, scilicet papa Damasus, venit et stetit ante altare, ut impleret officium sacerdotale, « habens thuribulum aureum », cor scilicet devotione et caritate plenum. « Et data sunt ei incensa multa », liber videlicet psalmorum, qui plenus est orationibus ferventissimis et odoriferis, ut daret, i. e. ordinaret per totum orbem de orationibus ante altare maiestatis divinae. Et ascendit fumus accensorum coram Domino, quia haec institutio fuit salubris Ecclesiae et multum placens Deo. Accepit autem iste angelus thuribulum aureum plenum igne altaris et misit in terram, quia declaravit toti Ecclesiae per orbem diffusae, quanta devotione et caritate erga Deum cor eius aestuaret.

Et exemplo eius « facta sunt tonitrua et voces et fulgura », quia diversi Sancti tempore illo surrexerunt, quorum quidam fuerunt excellentes doctores, significati per « voces », ut Ambrosius, Hieronymus, Gregorius et Augustinus; quidam vero eremitae, significati per « fulgura », ut Macarius, Moyses, Paulus et plures alii per Aegyptum, qui consortium vitae non cum ceteris mortalibus, sed cum supernis angelis habere videbantur; quidam vero confessores et miraculorum factores, sicut Martinus Turonensis episcopus et Rufinus et plures alii, qui designantur per « tonitrua » propter stuporem miraculorum.

Tunc autem ad litteram, sicut dicunt historiae, factus est « terraemotus » per totum orbem, et mare litus suum egressum multas urbes populumque subvertit, quamvis per istum terraemotum possit intelligi commotio in bonum, quae facta est in tota Ecclesia temporibus illis.

II. ARIUS HAERESIARCHA.

Ecclesiae conturbatio.

Ibi: « Et septem angeli », praedixit Ioannes Ecclesiae conturbationem, quae facta est per haeresiarcham Arium et eius potissimum fautorem et renovatorem Valentem, Romanorum imperatorem.

Legitur enim, quod Arius presbyter in Alexandrina ecclesia insurrexit, et volens sibi facere nomen, gradus quosdam in deitate praedicavit, asserens Patrem Filio maiorem, nec personam esse eiusdem substantiae, divinae naturae.

Hunc reprehendebat Alexander eius episcopus. Sed cum nollet acquiescere, sub Constantino magno facta est synodus trecentorum decem et octo episcoporum in Nicaea, urbe Bithyniae, in qua dogma illius perversissimi Arii condemnatur, nec tamen propter hoc eius discipuli destiterunt. Sed primo nisi sunt subvertere et in errorem suum inducere Constantinum magnum, quod non potuerunt. Induxerunt tamen, eo mortuo, Constantinum filium eius; et deinde post Iulianum, Iovinianum et Valentinianum successit Valens, qui colloquio uxoris suae, quae Ariana erat, seductus in haeresim lapsus est et christianos episcopos per diversas terras insecutus

est. Nam etiam Gothis petentibus aliquos episcopos sibi dari, qui eos essent in fidei regula instructuri, misit, impius, non catholicos sed Arianos episcopos, a quibus non fidei sacramenta, sed excrementa perfidiae perceperunt. Qui Valens postmodum igne materiali combustus est a Gothis rebellantibus, et hoc justo Dei judicio, quia ipse prior igne perfidiae illos combusserat.

Hoc est ergo, quod Joannes dicit; et primus, quod primus angelus, scilicet Valens imperator tuba cecinit, quia Arianam perfidiam seminavit et exaltavit, et facta est grando animositatis inter episcopos, ita ut in multis civitatibus episcopi ordinarentur, ut Antiochia, Alexandria, Constantinopoli illo tempore bini seu ternis praesulibus in sectiones dividerentur, sicut narrat historia.

Tunc etiam facta est ignis aemulationis et zeli, quae mixta fuerunt commixta in sanguine, quoniam usque ad caedes et mortes ac martyria plurimorum catholicorum rabies illa provenit. Et haec missa sunt in terram, quia in universam Ecclesiam per orbem diffusam: et tertia pars terrae, simplicium videlicet, et tertia pars arborum, videlicet episcoporum, igne Arianae perfidiae illo tempore fuit combusta.

Nam et *Liberius* papa tandem victus exilii in illa pravitate subscripsit[1], et vix remansit in Gallia catholicus episcopus nisi Hilarius, et major pars Ecclesiae tunc fuit Ariana.

---

[1] [illegible]

Tunc etiam omne foenum viride est combustum, quia gens Gothorum, quae petebat novitatem fidei et volebat fieri christiana, Valentis ministerio igne perfidiae cremata est per episcopos Arianos, quos misit.

III. MACEDONIUS HAERETICUS.

Ibi: « Et secundus angelus », praedixit Ioannes Ecclesiae perturbationem, quae facta est per haereticum Macedonium. Nam Ariana perfidia divisa est[1] in *tres partes.*

1. Nam quidam ex eis tenuerunt cum Ario, Filium et Spiritum sanctum creaturam esse, tamen Filium dici posse pati similem Patri largitate gratiae, non proprietate naturae.

2. Quidam vero, qui dicti sunt Eunomiani, concesserunt, Spiritum sanctum et Filium esse creaturam, nec tamen Filium dici posse similem Patri, quia non potest creatura coaequari.

3. Quidam et alii dicti sunt Macedoniani, qui concesserunt, Spiritum sanctum creaturam, Filium autem eiusdem naturae cum Patre.

Contra istos haereticos congregata est secunda universalis synodus in Constantinopoli centum quinquaginta episcoporum; ubi fuit Macedonius condemnatus, qui praedicabat, Spiritum sanctum esse creaturam et servum Filii.

Et hoc praedicit Ioannes dicens, quod secundus angelus, scilicet Macedonius, ab Ario secundus in perturbando, « cecinit ». Novitatem pessimam

---

[1] « Sicut patet 10. libr. histor. eccl. c. 25.

praedicavit, et tunc « mons magnus igne ardens », hoc est grandis et tumens haeresis, missa est « in mare », scilicet in ecclesias.

Dicebatur enim, quod mare vitreum erat ante thronum; nam Ecclesia propter aquas baptismi, quibus purificatur, dicitur esse mare. Tunc etiam « tertia pars maris » facta est « sanguis », quia tertia persona, quae in mari baptismi tertius invocatur, cum dicitur: « Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti », facta est sanguis, quia a Macedonio dirupta est, cum assereret eam creaturam et servum et non Dominum. Tunc etiam « tertia pars creaturae », quae erat in mari, mortua est, quia noviter baptizati in illo errore, spiritualiter moriebantur. Et « naves » interierunt, quia plures episcopi, qui debebant alios gubernare, in hunc errorem inciderunt.

IV. PELAGIUS HAERESIARCHA.

Ibi: « Et tertius angelus », praedicit Ioannes inquietationem Ecclesiae factam per haeresiarcham *Pelagium*.

Legitur enim, quod anno Arcadii octavo fuit quidam monachus in Britannia, nomine Pelagius, qui doctrina haeretica et exsecrabili Dei Ecclesiam perturbavit, et posuit *tres errores*.

1. Primum contra gratiam, asserens, quod ex puris naturalibus sine gratia vitam aeternam poterat homo mereri, nec oportebat hominem Dei gratiam praevenire; unde orationes, quae fiunt ab Ecclesia sive pro fidelibus sive pro infidelibus, irritas dicebat.

2. Secundum errorem posuit circa originalem culpam, asserens, infantes nasci insontes, sicut et Adam absque peccato fuit ante praevaricationem.

3. Tertium vero errorem posuit circa fontem baptismi, asserens, quod aquae baptismales non proficiebant infantibus, utpote sine originali natis.

Et hoc est, quod praedixit hic Ioannes dicens, quod tertius angelus, videlicet haereticus Pelagius, qui post Arium et Macedonium Ecclesiam conturbavit, cecinit, et tunc ipse, et quia religiosus et monachus erat prius, dicitur quasi « una stella de caelo Ecclesiae cecidisse ». Et tunc « tertia pars aquarum et fluminum in absynthium versa est », quia derogavit aquis gratiae et aquis baptismatis, sicut nullam efficaciam haberent secundum eum. Ex hoc multa millia Christianorum mortua dicuntur esse ex aquis, quia « amarae factae sunt », hoc est propter haeresim huius Pelagii, cui adhaeserunt, cuius doctrina pestifera aquae gratiae baptismatis factae sunt insipidae et amarae.

V. EUTYCHES HAERETICUS.

Ibi: « Et quartus angelus », praedixit Ioannes persecutionem Ecclesiae factam per Eutychen haereticum.

Legitur enim, quod anno secundo Marciani imperatoris instantia Leonis papae primi universalis synodus 630 episcoporum fuit apud Chalcedonem congregata anno Domini 453, ubi fuit Eutyches Constantinopolitanus abbas condemnatus, nec non Dioscorus, Alexandrinus patriarcha, qui eum defendebat. Asserebat namque praefatus haereticus, natu-

ram divini Verbi in carnem fuisse conversam. Unde non confitebatur duas naturas in Christo distinctas, sed per quandam confusionem unitatis, per oppositum ad errorem Nestorii, qui fuit sub Theodosio in tertia universali synodo condemnatus. Ille namque ponebat non solum duas naturas in Christo, imo duas personas, ut non possit dici, quod ille idem, qui erat filius Dei, esset filius hominis.

Errorem igitur Eutyches cum errore Nestorii praevidens hic Ioannes dicit, quod quartus angelus, utique satanae nuntius, qui Ecclesiam conturbavit, videlicet Eutyches, cecinit et praedicavit. Et ex hoc percussa est « tertia pars *solis* », hoc est excellentia Iesu Christi, qui secundum rei veritatem et fidem est una ex tribus personis in deitate. Et « tertia pars *lunae* », videlicet Ecclesiae, est percussa, quia multi ex simplicibus Christianis in illum errorem prolapsi sunt. Et « tertia pars *stellarum* », quia multi episcopi consenserunt, inter quos fuit *Dioscorus* patriarcha. Et ex hoc scriptum est, quod « tertia die » non luxit, in quantum asserebat, quod persona divina ac sua deitas, quae per diem significatur, vertebatur in carnem, quod est alienum divinitati, quae non potest misceri aut in aliud transmutari. Addit autem, quod etiam « tertia pars *noctis* » non lucebat, referendo se ad errorem Nestorii, qui humanitatem Christi non dignificabat; quia non dicebat eam assumtam personam divinam. Unde accipiendo deitatem Christi pro die et humanitatem pro nocte, quia omnis natura creata respectu deitatis infirma est et quasi nihil et tenebra, Eutyches diem obumbrabat, quia deitatem asserebat in carnem conversam; Nestorius vero

humanitatem, quia non dicebat, eam assumtam a persona Verbi.

Si quaeratur, quare de his quatuor haeresibus tantummodo Ioannes prophetice locutus est, omittendo haeresim Manichaei, Montani, Sabellii et plurimorum aliorum; dicendum, quod hoc est, quia intendebat universales persecutiones Ecclesiae praedicere. Isti autem quatuor haeretici, de quibus dictum est, universalem Ecclesiam turbaverunt, et contra eos sunt quatuor generalia concilia celebrata.

Si etiam quaeratur, quare in omnibus istis tertia pars terrae vel maris vel arborum esset percussa; dicendum, quod Ioannes attendebat ad typum credentium. Accipiebat enim pro una parte hominum gentiles sive paganos, pro secunda Iudaeos, pro tertia vero credentes in Christum. Et idcirco dicit, quod tertia pars, hoc est aliqui ex fidelibus, per istos haereticos sunt percussi.

VI. REGNUM VANDALORUM.

Ibi: « Et vidi et audivi vocem unius aquilae », praedicit persecutionem Ecclesiae factam per regnum *Vandalorum* et per *regnum quinarium*, sibi mutuo succedentium in eodem regno.

Ad cuius evidentiam sciendum, quod Bonifacius dux Romani exercitus inferior factus quodam alio duce Romano, qui dictus est Ethyus, Vandalos de Hispania, ubi Gothi eos persequebantur, ad Africam invitavit, qui transeuntes in Africam divina et humana perturbaverunt, sicut dicunt historiae.

Regnaverunt autem ibi inter alios *quinque reges* Vandali, qui totam fidem catholicam turbaverunt.

1. Primo quidem Gundericus;

2. secundo Gensericus, eius frater, qui de fide catholica in Arianam sectam apostatavit;

3. tertio autem Honoricus,

4. quartus autem Trasimundus,

5. quintus vero Gelimer.

Et licet omnes isti quinque Ecclesiam fuerant persecuti, inter ceteros tamen Gensericus primo statum totius Africanae ecclesiae profanavit, incidens in Arianam haeresim.

Deinde vero Honoricus, filius eius, omnibus catholicis tanquam homo vesanus [1] scripsit et de illis 487 in exilium transmisit et ipse persecutionem maximam intulit anno imperatoris Zenonis decimo octavo.

Tertius vero Trasimundus omnes ecclesias catholicas in Africa clausit et viginti episcopos apud Sardiniam insulam relegavit.

Quartus vero Gelimer multis episcopis orthodoxis linguas radicitus extrahi fecit, qui tamen secundum Gregorium in Dialogo postmodum clare loquebantur, ex quibus unus in luxuriam cadens divino dono privatus obmutuit.

Primus autem ex istis regibus, scilicet Gundericus, licet capta Hispania manum contra Ecclesiam levaverit, non tamen legitur in Arianam haeresim prolapsus.

Persecutio Vandalorum contra Ecclesiam fuit

---

[1] Textus corruptus sonat: « Usianis scripsit et de 487. in exilium transit et persecutionem maximam etc. ».

permaxima, unde et ipsi invaserunt Romam, et eorum tempore Paulinus, qui fuit Nolae episcopus, pro filio viduae se vendidit.

Et ideo hanc persecutionem hic praevidit Ioannes sub tuba quinti angeli. Praedixit tamen, quod audivit vocem unius aquilae, hoc est sui ipsius dicentis « Vae » tribus vicibus propter voces trium angelorum, qui erant tuba canituri.

Nam multo graviores persecutiones fuerunt illae, quae per tres angelos sequentes designantur, quam praecedentes. Unde prosequens illam, quae facta est per Vandalos, maxime per Honoricum, dicit, quod quintus angelus, hoc est regnum Vandalorum, quod fuit totum haereticum, cecidit in Africa, et tunc cecidit una stella, rex scilicet Gensericus, qui de fide catholica in Arianam haeresim est prolapsus. Et iste aperuit « puteum abyssi », errorem scilicet Arii, ex cuius fumo obscuratus est sol, Dominus scilicet Iesus Christus, quoniam haeresis sua asserit, Filium et Spiritum sanctum esse creaturas et non Deum.

Exiverunt autem « locustae » ex tunc libere, videlicet haeretici Ariani immundi et saltantes hinc inde ad hominum deceptionem, quibus « data est potestas », ut torquerent Christianos, mittendo eos in exilium, non autem interficiendo, sicut dictum est. Cruciatus autem ille duravit quinque mensibus, hoc est per successionem quinque regum.

Isti autem haeretici, coniuncti Vandalis, habebant similitudinem locustarum propter instabilitatem et saltum. Nam Vandali, persequentes eos, compulsi sunt de regione in regionem transire. Erant tamen « similes equis paratis ad proelium »,

propter hoc quod erat gens satis bellicosa, et habebant quasi « facies hominum », quia inter ceteros barbaros fuerunt affabiles et scientiis dediti. Habebantque « coronas similes auro » ratione industriae naturalis, quae videbatur esse in eis; et « habebant capillos ut mulieres », quia gens illa capillos nutriebat. « Dentes autem habebant leonum et « loricas ferreas » et « voces curruum » propter nimiam potentiam, qua dominati sunt in tota Africa. Et erant « similes scorpionibus in caudis » et aculeis propter persecutionem cautelosam, quam suscitavit Honoricus. Nam ipse (sicut dicit historia a principio) simulavit se iustum et Catholicorum amicum. Demum autem sicut scorpio persecutus est Catholicos et per omnia dedit favorem Arianis.

Subdit autem Ioannes, quod licet potestas istorum fuerit nocere hominibus mensibus quinque, quia per successionem quinque regum, tamen in speciali habuerunt super se unum regem, qui dictus est hebraice Labadon, graece Apollion, latine Exterminans; iste autem fuit ultimus rex Gelimer, qui linguas episcoporum radicitus praecidit et exterminavit, in quo etiam exterminatum est regnum Vandalorum; quia Belisarius, patricius, a Iustiniano in Africam missus, Gelimerum Constantinopolim duxit. Et sic Vandalorum regnum funditus fuit exstinctus.

VII. ANTIPAPA LAURENTIUS.

Ibi: « Post hoc sextus angelus », praedixit Ioannes Ecclesiae dissecationem factam propter anticipatam electionem inter Symmachum et Laurentium [1],

[1] Ed. Venet.: « per Antipapam » Laurentium.

et tangit istud schisma singulariter, quia Ecclesiae Dei intulit summum damnum.

Sub isto autem angelo, tuba canente, tanguntur quaedam annexa. Unde comprehenditur

1. Primo praefata dissecatio et divisio Ecclesiae. Legitur enim, quod anno Domini 502 electi sunt duo Papae in discordia, videlicet Symmachus et Laurentius, quae res grave dissidium in Ecclesia generavit. Et commissa sunt hinc inde multa homicidia maxime Clericorum. Sed Symmachus obtinuit, quia prior ordinatus fuerat et maior pars sibi favebat.

Laurentio autem adhaerebat Paschasius cardinalis diaconus, qui licet alias magnae sanctitatis vir fuerit, nihilominus propter illam culpam Germanus Capuanus episcopus invenit ipsius animam in quodam loco in igne purgatorii positam.

Eodem autem tempore imperabat Anastasius, Eutychiana haeresi maculatus, qui persecutus est catholicos et multos episcopos in exilium relegavit, sicut in Italia regnabat Theodoricus, rex haereticus Arianus, magnus fidei persecutor; nam Ioannem papam et Symmachum patricium et Boëthium martyrizavit et innumerabiles alios catholicos interfecit.

De his ergo quatuor angelis, hoc est nuntiis, ex quibus persecutio fidelibus in diversis mundi partibus eminebat, praedixit Ioannes, quod sextus angelus, videlicet Paschasius cardinalis, tuba cecinit, quia Laurentio, ut Papa fieret, vocem dedit, et hoc soluti sunt quatuor angeli, scilicet Symmachus, Laurentius, Anastasius imperator et rex Italiae Theodoricus, qui prius erant « allegati in flumine

magno Euphrate », hoc est in Romano imperio, quod est quartum inter regna, sicut Euphrates inter flumina; etiam qui legati prius erant per divisionem sinus Adriatici maris, quod est inter Italiam et Constantinopolim, soluti sunt, ut unusquisque in Ecclesia persecutionem aliquam suscitaret. Symmachus quidem et Laurentius propter ambitionem papatus; Theodoricus autem et Anastasius propter haeréses suas.

Subdit autem de exercitu istorum angelorum, quod erant « viginti millies dena millia », et quod procedebant de ore equorum ignis, sulfur et fumus, et quod habebant « loricas igneas, hyacinthinas et sulphureas », per hoc notans triplicem intentionem. Nam Symmachus et Laurentius stimulabantur fumo vanitatis, et ideo habebant loricas hyacinthinas, quae designant hypocrisim et vanam apparentiam. Theodoricus vero agitabatur igne Arianae perfidiae. Anastasius autem sulphure haeresis Eutychianae. Addit autem, quod erant illi, qui per istos occiderentur spiritualiter. Nam homines, qui poenitentiam non egerunt de operibus suis, tales permisit Deus temporibus illis tentari.

2. Comprehenditur vero secundo in principio capituli decimi: « Et vidi alium angelum » *Ecclesiae liberatio* tunc temporis facta per *Iustinum* seniorem imperatorem catholicum. Legitur enim, quod mortuo haeretico Anastasio imperatore successit Iustinus christianissimus, qui zelo fidei orthodoxae mandavit, ut omnes ecclesiae Romanorum per orientem consecrarentur ab episcopis catholicis, et iussit exterminari perfidiam Arianam et omnem aliam haeresim, quam Anastasius prius foverat. De qua re indignatus

Theodoricus rex haereticus adhuc vivens voluit totam Italiam gladio ferire. Sed et Ioannes papa missus ab eodem rege Constantinopolim ab imperatore Iustino receptus est reverenter et obtinuit legationem suam, et tamen rediens ad Theodoricum ab ipso est interfectus.

Iste Iustinus misit « librum apertum », hoc est epistolas per universum orbem contra haereticam pravitatem, et hoc est quod hic praedixit Ioannes, se vidisse alium *angelum,* scil. imperatorem Iustinum, « amictum nube » gratiae, ad testimonium sanctorum ; in cuius capite erat « iris », quae est signum pacis Ecclesiae, et « facies eius erat sicut sol » propter splendorem fidei, et pedes eius tanquam « columna ignis » propter aequitatem iustitiae, quam servavit. Et habebat in manu sua « librum apertum », epistolas scilicet, quas de fide catholica destinavit ; et « posuit pedem dextrum super mare et sinistrum super terram », quia scripsit omnibus habitantibus in terra et in mari. « Et clamavit voce magna » sicut leo pro fidei veritate, et tunc « septem tonitrua », universae scilicet Ecclesiae catholicae ac universi doctores locuti sunt voces suas, hoc est Deo gratias detulerunt. Prohibetur tamen Ioannes voces illas scribere, ad significandum, quod rege Theodorico adhuc vivente non fuerunt ausi viri catholici publice Deum laudare, imo multi tempore illo sunt interfecti, cum redirent ab imperatore Iustino. Interfecit enim tunc Symmachum et Boëthium et reverendum patrem Ioannem.

Addit tamen Ioannes ad consolationem fidelium, quod angelus ille, scilicet Iustinus, iuravit, quod in diebus vocis septimi angeli « consummabitur my-

sterium Dei », hoc est, cessabit omnis haeresis Theodorici et regnum ipsius, et regnabit in tota Italia catholica fides, praenuntiata per prophetas Dei. Et ita factum fuit.

3. Comprehenditur tertio sub isto tubicinio *continuatio pacis* facta per Iustinianum imperatorem, ibi: « Et vox, quam audivi de caelo ».

Legitur enim, quod anno Domini 528 *Iustinianus,* nepos Iustini ex sorore, 38 annis imperavit et fuit orthodoxus, in principio, in divinis et saecularibus litteris non mediocriter instructus; epistolas, quia divina instituta continentes, per diversas provincias misit, libros etiam Romanorum legum abbreviando in uno volumine compilavit, qui appellatur codex Iustiniani. Ibi multas leges contra haereticos et pro episcopis orthodoxis et veritate fidei promulgavit. In fine tamen per Anthimum, patriarcham Constantinopolitanum haereticum, in haeresim prolapsus, iusto Dei iudicio amentiam incurrit et sic mortuus est, et hoc est, quod hic praedicit Ioannes. Ait enim, quod audivit vocem de caelo, id est divinam inspirationem, dicentem sibi, qui typum gerebat Ecclesiae universalis, ut acciperet « librum apertum », scilicet codicem et epistolas Iustiniani, qui dicitur hic « angelus stans super mare et super terram » ratione imperii universalis.

Et notandum, quod non distinguitur hic angelus a superiori, nisi in quantum praecedens dicebatur habere libellum ratione brevium epistolarum, quas misit Iustinus; iste vero dicitur habere librum apertum propter magnitudinem codicis, quem composuit, et digestorum, quem abbreviare fecit.

Subdit autem Ioannes, quod liber ille fuit « in

ore valde dulcis » et « in ventre amarus ». Nam in praedictis iuribus leges pulcherrimae in favorem fidei et Ecclesiae continentur. Sed in fine Iustiniani memoria est amara propter haeresim, in quam fuit prolapsus. Ipse etiam amaricavit Sylverium papam et Mennam servum Dei et papam Agapitum. Unde dixit sibi Agapitus: « Ego ad Iustinianum christianissimum desideravi venire, nunc autem Diocletianum inveni ». Similiter autem amaricavit Vigilium papam, quem fecit trahi per totam Constantinopolim fune in eius collo misso.

4. Comprehenditur quarto sub isto tubicinio *ecclesiarum dedicatio* et festivitatum dedicationis per singulos annos celebrandae institutio per Felicem papam Romanum. Et hoc ibi (c. 10, 11.): « Et dixit mihi: Oportet te iterum ».

Legitur enim, quod Felix papa, qui sedit anno Domini 485, praecepit, ut non celebraretur Missa nisi in altari et loco consecrato. Ritum autem consecrationis accepit (secundum [1]) figuram, regulam et mensuram, quae fuit in veteri testamento. Praecepit etiam, ut annis singulis festum dedicationis ecclesiae celebraretur. Etiam quia episcopus, dum consecrat ecclesiam, videtur ipsam mensurare — circuit enim per eam exterius, deinde vero interius scribit alphabetum graecum ab angulo in angulum — et ideo dicit hic Ioannes in persona totius Ecclesiae vel Felicis papae, quod datus est sibi « calamus virgae », quo metiretur templum et altare et adorantes in eo. Hic est ritus consecrationis ec-

[1] Omittitur in A B.

clesiae, et dictum est sibi, quod « atrium exterius eiiceret foras et dimitteret gentibus » ; quia praecepit Felix, quod extra loca consecrata nullus auderet Missam celebrare.

Notandum autem, quod quia non servando ordinem historiae locutus fuerat de Iustiniano, qui coepit imperare anno Domini 528, et rursus rediens loquebatur de Felice, qui sedit anno Domini 486, idcirco quasi per modum praefationis introducit angelum sibi dicentem: « Oportet te iterum prophetare gentibus et regibus multis » ; per quod etiam innuere videtur, quod non solum liber iste tractat de regno antichristi, imo et de pluribus aliis regnis et regibus, qui sunt Ecclesiam persecuti.

5. Comprehenditur etiam quinto sub isto tubicinio *persecutio Ecclesiae* facta *per Anthimum*, patriarcham Constantinopolitanum; ibi: « Et civitatem sanctam calcabunt ».

Legitur enim, quod anno Domini 538 sedit papa Sylverius, qui rogatus est a Theodora Iustiniani imperatoris Augusta, ut revocaret ad patriarchatum Anthimum haereticum Eutychianum, negantem duas naturas in Christo, quem in conspectu Iustiniani Agapitus, praedecessor ipsius, convicerat et deposuerat, et loco eius Mennam monachum servum Dei instituerat patriarcham. Huic autem petitioni annuere noluit Sylverius, ut revocaret haereticum in sua pravitate damnatum. Hinc est, quod Sylverius depositus est et factum monachum misit Belisarius patritius de mandato Theodorae ac Iustiniano favente in insulam Pontianam. Et loco eius institutus est Vigilius, qui promiserat Theodorae ac Iustiniano, Anthimum revocare.

Menna etiam servus Dei multas persecutiones sustinuit a Iustiniano et a Theodora pro fidei veritate. Ecclesia igitur tunc conculcata per Arthemium, Iustinianum et Theodoram et ceteros Eutychianos, duo servi Dei, Menna et Sylverius virilissime restiterunt, quos tamen illi primo occiderunt morte civili, relegando eos in exilium, quos tandem Deus suscitavit, restituendo famam Sylverio, Vigilio per Iustinianum et Theodoram vituperato et in exilium relegato. Et tunc ascenderunt in caelum ecclesiae et turbati sunt inimici eorum Eutychiani, qui prius gavisi fuerant de ipsorum exilio ac morte civili.

Hoc est ergo, quod hic prophetat Ioannes de his duobus testibus, quos vocat « duas olivas » et « duo candelabra », et de quibus dicit, quod habent potestatem claudendi caelum. Habebant enim auctoritatem excommunicandi et de ore ipsorum exibat ignis fervidae praedicationis, quo devorabantur et confutabantur inimici eorum Eutychiani. Nihilominus dicit, quod Eutychiani calcabant civitatem sanctam quadraginta duobus mensibus, qui sunt tres anni cum dimidio, et quod ipsi duo testes prophetabunt dies 1360, quod tantundem faciunt fere. Et postea subdit, quod post tres dies et dimidium spiritus vitae redibit ad eos, per hoc volens notare tempus, quo Sylverius et Menna in exilio relegati mortui videbantur morte civili.

6. Comprehenditur vero ultimo sub isto tubicinio persecutio maxima contra Ecclesiam facta per *Totilam,* regem Gothorum.

Legitur enim, quod ea tempestate, qua Iustinianus, Theodora et Anthimus et ceteri Eutychiani

persequebantur Catholicos, clerus Romanus fuit in exilium deportatus ad incidendum metalla diversa. Et tunc iusto Dei iudicio Totila, rex Gothorum, pervagatus est totam Italiam et interfecit innumerabilem multitudinem Christianorum. Unde legitur, quod decapitavit sanctum Herculanum, Perusinum episcopum, Perusiumque destruxit. Fuit persecutio maxima. Romam enim obsedit, et tanta fames in civitate facta est, ut filios suos vellent comedere. Intravit quoque Totila Romam a porta sancti Pauli in die decima tertia obsidionis fecitque tota nocte clangi buccina, ut totus populus lugeret et per ecclesias se celaret.

Hanc igitur persecutionem Ioannes hic praedicit, ubi ait: « Et in illa hora factus est terraemotus », hoc est valida persecutio. Et cecidit decima pars civitatis Ecclesiae, quia Italia fuit vastata, et multa millia hominum mortui sunt et ceteri in timorem missi. Nam in civitate Romana his, qui fugerant ad ecclesias, exercitus Gothorum non nocuit, et tamen omnem populum Perusinum interfecit et plebem multam aliarum civitatum, ut historia dicit. Propter quod illi, qui sic evaserunt in civitate Romana, in timorem sunt missi et dederunt gloriam Deo de sua liberatione. Unde occasione istius depopulationis factae per Gothos scribit Augustinus librum de Civitate Dei.

Subdit autem Ioannes, quod « Vae secundum » abiit sub tubicinio istius sexti angeli, quod multa et gravia, ut visum est, in Ecclesia contigerunt. Addit autem, quod cito veniet « vae tertium » angelo septimo continente.

VIII. NARSES.

Octavo ergo praedicit *Ecclesiae liberationem* factam per Narsem, Romanum patritium; et hoc ibi: « Et septimus angelus tuba cecinit ». Ille enim angelus fuit Narses, quem Iustinus misit ad reprimendum Totilam, regem Gothorum, qui vocans Longobardos, auxilio eorum regnum Gothorum delevit et Italiam totaliter liberavit. Qua liberatione facta Romana Ecclesia et omnes episcopi dederunt gloriam Deo et libere divinum officium cantaverunt. Et ideo subdit Ioannes, quod post tubicinium septimi angeli, qui ad modum tubae exaltans vocem plurimum exercitum congregavit, auditae sunt voces laudis, quia regnum Italiae ex tunc factum est Domini nostri Iesu Christi. Et tunc venit tempus iudicandorum mortuorum et reddendi eis mercedem; quia S. Herculanus et ceteri martyres, qui sub Gothis fuerant interfecti, receperunt mercedem honoris a Christianis, eos [1] libere colentibus et adorantibus, Gothis interfectis.

Notandum, quod ille Narses vituperatus est a Romanis et ab Augusta Sophia, postquam habuerat victoriam de Gothis. Nam Romani dixerunt, quod melius erat, Gothis servire quam Graecis, ubi Narses eunuchus imperat et pro sua libidine dominatur. Augusta autem imperat Narseti, ut Constantinopolim remearet et cum suis puellis lanam filaret. Ex his igitur Narses iratus et indignatus remandavit Augustae, se talem telam ordinatum, quam nunquam

[1] « Deum » ed. Ven.

deponeret, quamdiu viveret. Tuncque Longobardos a Pannonia vocavit et Italiam imperatori auferens eam tradit Longobardis, qui Ecclesiam turbaverunt usque ad tempora Caroli magni, qui eos exterminavit. Propter iram ergo Narsetis et Longobardorum, qui ad eius instigationem intraverunt Italiam, interponit Ioannes: « Et iratae sunt gentes, et advenit ira tua ».

Incipit tertia visio.

A Gregorio magno usque ad Carolum magnum. (Seu a Phoca usque ad Constantinum caecum).

In tertia vero visione describit prophetice Ioannes totum tempus, quod fuit a Phoca et Mauritio imperatoribus, sub quibus fuit papa magnus Gregorius, usque ad Constantinum, quem excaecavit [1] Irene mater sua. Contigerunt autem multa circa Ecclesiam sub decursu illius temporis, quae omnia prophetat Ioannes a principio capituli duodecimi usque ad decimum quintum exclusive.

I. NOTABILIA SUB GREGORIO MAGNO.

Primo namque praedicit quaedam incidentia, quae sub Gregorio vel parum ante contigerunt, quae fecerunt in Ecclesia magnam immutationem, et fuerunt in universo quatuor:

1. *Institutio solemnitatis,* quae dicitur Ipopanti sive praesentationis Christi in templo. Legitur enim,

[1] « Exorbavit » A B.

quod anno Iustiniani undecimo fuit maxima mortalitas in Constantinopoli sive Byzantio; et ideo institutum est festum purificationis beatae Virginis et praesentationis Christi in templo, ut celebraretur secunda die mensis Februarii. Et cessavit mortalitas, et hoc est quod dicit hic Ioannes; ait enim, « quod apertum est templum Dei in caelo » Ecclesiae, hoc est, festivitas de templo fuit manifestata, et « arca testamenti », i. e. Christus, visus est in templo, quia recolit Ecclesia introductionem istius arcae in templo in die purificationis.

2. Fuit *destinatio Augustini*, servi Dei, et aliorum monachorum, quos papa Gregorius misit *in Angliam* ad gentem Anglorum convertendam. Quia beato Augustino tanta miraculorum gratia divinitus concessa est, ut vice apostolica aegrotantes in umbra sanaret, caecis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis loquendi officium reformet; ideo dicit Ioannes, quod tunc facta sunt fulgura miraculorum et voces praedicationum per totam Angliam, et gens illa est conversa.

Prope etiam tempora illa, videlicet anno Iustini quarto, rex et tota *gens Armenorum* fidem Domini perceperunt et baptizati sunt.

3. Tertio vero quod contingit, fuit *institutio coenobiorum*. Nam Gregorius septem monachorum monasteria instituit, et plures alii coenobia construxerunt. Et ideo subdit Ioannes, quod « factus est terraemotus », hoc est commotio cordium terrenorum.

4. Fuit interfectio imperatoris Mauritii per Phocam imperatorem. Legitur enim, quod Mauritius imperator a beato Gregorio plurimum discordans in tantum ira in eum excrevit, ut Gregorio

mortem (ut quidam aiunt) minaretur. Et quia divino iudicio milites Phocam centurionem in Caesarem sublimaverunt, qui mandavit, ut Mauritius cum uxore et duobus filiis decapitaretur, quod factum est. Ideo subdit Ioannes, quod illo tempore facta est grando magna, i. e. persecutio et interfectio hominum maximorum, imperatoris videlicet et filiorum suorum.

II. HERACLIUS.

Ibi: « Signum magnum apparuit in caelo », praedicit Ioannes quae contigerunt Ecclesiae sub tempore Heraclii, quantum ad Chosroe effugationem.

Legitur enim, quod Phocas crudelissimus imperator extitit, ita etiam, ut in domesticos crudeliter desaeviret. Unde Ecclesia multum desiderabat imperatoris alterius substitutionem et optabat alium parem tanquam mater.

Heraclius autem interfecto Phoca imperavit, qui invenit rempublicam valde dissolutam et attritam; nam et Europam Barbari et Asiam Persae vehementer vastabant; propter hoc dicit Ioannes, quod mulier amicta sole, sub cuius pedibus erat luna et duodecim stellae in capite, quae figurabat matrem Ecclesiam amictam Christo et coronatam doctrina duodecim Apostolorum, clamabat parturiens et cruciabatur, donec imperatorem Heraclium peperisset.

Legitur autem, quod anno quinto imperatoris Heraclii fuit quidam rex in Perside, Chosroe nominatus, qui totam Palaestinam bello oppressit et

civitatem sanctam Hierusalem cepit, in qua etiam interfecit usque ad nonaginta millia virorum, et Zachariam patriarcham captivavit et crucem dominicam asportavit.

Anno autem sexto imperii Heraclii Chosroe praedictus totam Aegyptum occupavit et Lybiam et Carthaginem. Et rediens turrim argenteam similiter sibi fecit, in qua interlucentibus gemmis thronum exstruxit aureum, ibique solis quadrigam et lunae et stellarum imagines collocavit ac per occultos meatus aquam aspergebat, ut quasi Deus pluviam semper infundere videretur. Faciebatque se vocari ab incolis vicinarum gentium, quas subiugaverat suo imperio, regem regum et dominum dominantium, et se coli ut Deum.

Et hoc est, quod Ioannes designat ipsum per « draconem »; quia sicut Lucifer draco magnus appetiit Dei aequalitatem, sic ille. Et dicit, quod erat « rufus » propter callidum modum, quo quasi Deus pluebat et vocem tonitrui fingebat. Dicit etiam, quod habebat « capita septem et septem diademata » propter multitudinem, quam sibi subiecerat. Habebat etiam « decem cornua » propter acies fortissimas militares, et « trahebat tertiam partem stellarum », quia quasi tertiam partem ecclesiarum totius orbis delevit, nam omnes, qui erant in Asia. Dicit autem, quod « stetit ante mulierem », quia Christianorum sanguinem maxime sitiebat. Et addit, quod voluit « filium suum devorare », scilicet Heraclium, quia omni cautela usus est contra ipsum: primo fugiendo, deinde exercitum destinando.

Legitur enim, quod tunc ecclesia, quae erat in Asia, prae timore fugit citra brachium sancti Geor-

gii, ad imperatorem Constantinopolim et in Graeciam. Et ideo dicitur hic, quod mulier fugit in solitudinem, in Constantinopolim, ubi habet locum a Deo paratum, ut ibi pascatur.

Legitur etiam, quod Heraclius duodecimo anno sui imperii collecta multitudine armatorum ad Persas debellandos proficiscitur, ferens secum in manibus sanctae Dei Genitricis iconiam, quam Verbum, quod format omnia, composuit, et non manus hominum depinxerunt. Persidem per septem annos continuos potenter debellavit, et in suo adventu statim terram sanctam Chosroe dimittens ante Heraclium fugiebat et comburebat omnia sacra. Heraclius vero subsequens civitates et regiones vastabat.

Et hoc est, quod hic praedicit Ioannes, cum dicit, quod « Michael », qui erat dux exercitus christiani, « et angeli eius praeliabantur cum dracone ». Dicit autem draconem illum esse « serpentem antiquum », quia regnum Persarum antiquissimum fuit etiam a diebus Assyriorum. Hic autem draco proiectus fuit, quia Chosroe per hoc expulsus et repulsus fugit usque ad terram suam. Et quia hoc fuit causa magnae laetitiae in Ecclesia, ideo subdit, se audivisse vocem dicentem: « Nunc facta est salus et virtus ».

Notandum autem, quod per hoc, quod ait de angelis, qui praeliati sunt cum dracone, qui non dilexerunt animas suas usque ad mortem (c. 12. 1.), evidenter innuit, se per angelos intelligere omnes Christianos, nam angeli, qui sunt spiritus, mori non possunt.

III. SANCTA MARIA VICTRIX.

Ibi (c. 12, 12.): « Vae terrae »! praedicit Ioannes post fugam Chosroe, ducis exercitus, destinationem factam ab eo contra Heraclium et exercitum christianum.

Legitur enim, quod postquam Chosroes Heraclium fugiens pervenit in Persidem, terram suam, iratus est valde et misit primo duos praetores sive duces grandis exercitus, qui cum Heraclio decertarent. Imperator autem Heraclius, quamvis in praelio in aggressu cuiusdam pontis multas plagas recepit, et multi de Romano exercitu fuerunt interfecti, tamen in medio pontis quendam Persam, virum gigantem aggreditur et lancea transfossum in fluenta proiecit, quo victo ceteri Persae in fugam sunt versi.

Ille ergo exercitus signatur per flumen, quod misit draco ad devorandam mulierem, hoc est congregationem fidelium cum Heraclio existente. Flumen tamen illud absorptum fuit, quia fugatus fuit ille exercitus et consumtus, ut dictum est.

Legitur enim etiam, quod post hoc Chosroes misit duabus vicibus duos alios praetores, unum post alium cum maxima militia, ut praeliarentur cum Heraclio. Et primum quidem cum sua militia per intercessionem sanctae Dei genitricis Mariae superavit, vehementissimo grandine super Persarum exercitum descendente. Secundum occidit opitulante Dei genitrice Maria persistens in bello usque ad horam nonam, ubi cecidit maxima pars Persarum exercitus. Et hoc praedicit Ioannes, cum subdit: « Et iratus est draco in mulierem ».

IV. DUELLUM CUM DRACONE.

Quarto tangit quae acciderunt Heraclio quantum ad aliam Chosroe debellationem.

Legitur enim, quod post istos exercitus debellatos Chosroes instituit filium suum regem et misit eum cum Persarum principibus et exercitu grandi iuxta Danubium fluvium. Cumque diu hinc inde exercitui, ut Heraclius et filius Chosroe inirent singulariter certamen, et cui sors victoriam conferret, ipse sine damno utriusque exercitus imperaret. Pulsatus autem Dominus lacrymis Christianorum fideli suo Heraclio concessit de hoste triumphum; tantaque mentis mutatio Kyrothis, filii Chosroe, invasit exercitum, ut sponte cum omni familia et prole Heraclio se subderent. Et hoc est, quod dicit Ioannes se vidisse « bestiam, cui draco dedit suam potestatem », scilicet filium Chosroe. Et ipse qui erat unus de principibus quasi unus solus, in singulari certamine est devictus, non tamen mortuus. Et ideo non dicit occisum, sed « quasi occisum in morte ». Postmodum vero, quia idem rebellavit et Christianitatem abnegavit cum exercitu suo et fideles impugnavit, Heraclio recedente: ideirco subdit Ioannes, quod « plaga mortis eius curata est ». Et admirata est universa terra. Et quia datum est ei bellum facere cum sanctis et vincere eos, qui multos sanctos martyrizavit, sicut sanctum Anastasium monachum et 7 (« 70 » ed. ven.) monachos cum eo et multos alios Christianos.

V. VICTORIA S. CRUCIS.

Quinto ibi: « Si quis habet aures audiendi », praedicit Ioannes totius belli Heraclii cum Chosroe

finem et terminationem. Sciendum enim, quod per septem annos duravit. Unde superius dicitur, quod « mulier fugit ad locum, ubi aleretur » per 1260 dies, qui faciunt tres annos cum dimidio. Et deinde subditur, quod « mulier volavit in desertum locum, ubi alitur per tempus et tempora et dimidium temporis », ut tempus sit annus et tempora duo anni, et dimidium temporis dimidius annus, et sic sunt tres anni cum dimidio, qui additi et prioribus tribus annis cum dimidio efficiunt 7 annos.

Finis autem impugnationis fuit, quod Heraclius cum dicto filio Chosroe pergens in Persidem ad locum, ubi sedebat Chosroe in aureo throno, pervenit, quam videns Chosroe tremefactus est. Et ait illi imperator: « Si credere volueris Domino nostro Iesu Christo et illius te servum esse confessus fueris, regnum tibi Persarum totum cum patrimonio tuo nec non et vitam tibi dabo ». Cum autem ille nequaquam acquiesceret, extracto gladio caput eius imperator christianissimus amputavit.

Quod si alicubi legatur, quod Kyrothis patrem suum Chosroe cum filiis occidit, intelligendum est, quod simul erat cum Heraclio imperatore, pace facta cum ipso, et ideo factum unius alteri imputatur.

Duxit autem imperator multa millia Persarum, qui erant cum Chosroe, in captivitatem, sed et crucem Domini in Hierusalem reportavit.

Et ideo dicit hic Ioannes, quod qui habet aures spirituales audiat, hoc est, intelligat finem belli Persarum, qui fuit ille, quod quia Persae multos in captivitatem deduxerant, ipsi in captivitatem ierunt. Chosroes vero, qui gladio multos occiderat,

gladio occisus est. Et tunc probata est fides et patientia *Zachariae*, Patriarchae et populi concaptivi, quem Heraclius de Perside in Hierusalem reduxit.

VI. MAHOMETUS.

Ibi (c. 13, 11.): « Vidi aliam bestiam », praedicit Ioannes tempore Heraclii quantum ad Mahometi et legis suae Saracenicae introductionem.

Legitur enim, quod praedictus Heraclius haeresi depravatus per Cyrum, Alexandrinum episcopum, et Sergium, Patriarcham Constantinopolitanum, qui asserebant, tantum unam naturam esse in Christo, post tantas victorias, quas habuerat, unde fidem catholicam tenere iusto Dei iudicio impotens est effectus. Et insurrexit suo tempore circa annum 25. sui imperii Mahometus, princeps Arabum sive Saracenorum, et sectam perfidam adinvenit. Et quia hactenus sub regno Persarum fuerat versa vice, cum gente sua Saracenica illos debellavit, et sic regnum Persarum transtulit sub dominio Saracenorum.

Iste igitur *Mahometus* designatur *per bestiam*, quae habebat duo cornua, similia agno; quia sui dicunt, eum habuisse donum prophetiae super omnes prophetas alios. Dicunt etiam, ipsum habuisse gratiam miraculorum. Nam inter cetera asserunt, angelum sibi fuisse locutum et arborem fici ad eius vocationem sibi se humiliter inclinasse. Bos etiam et agnus ei locuti sunt, sicut fingunt. « Loquebatur autem sicut draco », i. e. sicut Chosroes, quia sicut ille voluit adorari ut Deus, sic et iste vel

saltem voluit reputari maximus inter nuntios Dei. Unde asserunt Saraceni, nomen Mahometi fuisse ante creationem mundi in conspectu Dei, et nisi fuisset, nequaquam mundum condidisset. Potestatem etiam prioris bestiae faciebat, quia regnum Persarum ipse confirmavit et exaltavit. Nam regnum Saracenorum et Persarum idem est nomine mutato. Seduxit etiam habitantes in terra propter sectam Deo exsecrabilem, quam confecit, in qua tamen aliquid posuit de igne caelesti, quia aliqua verba sumpsit de novo et veteri testamento et de scriptura sacra, ut deciperet simplices Christianos et Iudaeos. Instituit etiam « imaginem bestiae », hoc est summum pontificem in secta sua post se, quem Saraceni vocant Calipham, ut ipsum decepti homines adorarent, tanquam habentem speciem vitae et potestatem spiritualem. Unde et Saraceni illi obediunt, sicut et nos Domino Papae. Fecit etiam homines habere characterem, hoc est circumcisionem et alia sacramenta et falsas caeremonias, quas instituit in suo Alcorano. Praecipit etiam, ne quis possit emere vel vendere, nisi habeat characterem bestiae, quoniam ordinavit, ut nemini communicarent, qui blasphemarent legem suam. Imo iniunxit Saracenis, et cum nullo disputarent, sed quod statim interficerent omnem blasphemantem legem suam.

Et quoniam ille plus nocuit Ecclesiae, quam aliquis seductor, qui unquam fuit, quia non solum Persidem, Arabiam et Syriam, imo et Aegyptum et Africam et Hispaniam, et partem Galliarum infecit: ideirco Ioannes tempus durationis sectae illius insinuans, dicit, quod homo, qui habet intellectum,

computet numerum bestiae, est enim 666. Et secundum expositionem Innocentii papae tertii intelliguntur anni 666, quibus debet durare secta Saracenorum. Etsi computemus a tempore Mahometi, qui coepit anno 627, iam de multo tempore transierunt, unde et ipsimet Saraceni confitentur (ut dicitur), quod a quinquaginta annis citra durat eorum secta de gratia, quia secundum eorum prophetias debuisset cessare. Alii vero dicunt, quod post mortem Mahometi unusquisque ad sectam suam rediit, et quod dissipata est secta eius, quod postea successor eius Ebiben et post multa tempora alius, qui dictus est Elegip, repararunt et dilataverunt regnum et Coranum fecerunt corrigi, emendari et abbreviari et exponi, et tunc lex Saracenorum lex dicitur proprie inchoata.

Si autem ab illo tempore anni 666 computentur, nondum essent transacti, sed quia de futuris non est per certitudinem annuntiandum, idcirco intellectus istius membri Spiritui sancto relinquitur.

Notandum, quod Mahometus quidam, nomine Sergius, Nestorianus, innuit praedictum Mahometum ad decipiendum simplicem illam gentem, qui habitans in latibulo quodam furtim Mahometo dabat responsum; et forte praedictus Mahometus est imago bestiae, de qua loquitur hic Ioannes.

VII. AGNUS SUPRA MONTEM SION.

Ibi: « Et vidi et ecce Agnus », praedicit Ioannes multorum religiosorum et religiosarum virginum et martyrum coronationem, quae facta est diebus illis.

Legitur enim, quod anno Domini 634 Saraceni Syriam infestarunt, et anno sequenti capta Damasco, Phoenice et Aegypto Hierusalem obsidentes expugnarunt. Et quoniam in Aegypto erant multa monasteria monachorum et sanctimonialium, similiter in Syria et Mesopotamia: idcirco multi et multae religiosi et religiosae, qui in virginitate Domino servierant, nolentes turpitudini Saracenorum acquiescere, martyrio coronati sunt.

Anno autem Domini 748 Saraceni Africam, terram christiano cultui maxime dedicatam, ceperunt et occupaverunt et multas virgines, eremitas, et sanctimoniales martyrio coronaverunt, de quorum praemio et cantico et numero copiose et multo Ioannes loquitur in hac parte, cum dicit, se vidisse « Agnum supra montem Sion », in Ecclesia scilicet triumphante, et « cum eo 144 millia, qui cum mulieribus non sunt coinquinati », et cetera quae sequuntur.

VIII. SANCTUS BONIFACIUS.

Ibi: « Et vidi alterum angelum volantem », praedicit Ioannes quandam notabilem gentium conversionem. Legitur enim, quod anno Domini 741 Gregorius papa tertius misit quendam sanctum virum, nomine Bonifacium, archiepiscopum Moguntinum ad praedicandum in tribus nationibus fidem Christi, videlicet in Thuringia, Phrygia[1] et Austriacia, qui constantissime praedicavit et fidem plantavit, demum autem ab inimicis fidei in Phrygia martyrizatur.

[1] Id est Frisia in Hollandia.

Scripsit etiam constantissime reprehensivam litteram regi Anglorum tanquam legatus solemnis Ecclesiae Romanae.

Hoc praedicens Ioannes dicit, se vidisse « angelum volantem per medium caeli », Bonifacium scilicet, Ecclesiae solemnissimum legatum, ut « evangelizaret sedentibus super terram » fidem Christi, qui appellatur evangelium aeternum. Et dixit Thuringiis et Phrygionibus timere Dominum etc.

IX. GRAECORUM DEPRAVATIO.

Ibi (c. 14, 8.): « Et alius angelus secutus est », introducit ac praedicit impii Graecorum regni depravationem. Est enim sciendum, quod a Constantino filio magni Constantini, qui sedem Romani imperii Constantinopolim transtulit, usque ad reprobationem regni Graecorum pauci fuerunt imperatores vere catholici. Sed eorum pars maior fuit vel Ariana vel Eutychiana, unde propter favorem eorum haeretici catholicam Ecclesiam confuderunt. Maxime autem ab Heraclio et deinceps fuerunt imperatores haeretica perfidia depravati, ita ut merito Deus decreverit eos proiicere et a Romanorum imperio separare.

Legitur autem, quod Constans, qui alio nomine dictus est Constantinus, nepos Heraclii, quia filius filii sui, imitatus haeresim Heraclii, consensit Paulo Constantinopolitano patriarchae asserenti, in Christo unam solam naturam.

Beatus Martinus papa, qui sedit anno Domini 654, celebravit concilium, ubi omnes assertores istius pravi dogmatis condemnavit, maxime Paulum, falsi

nominis patriarcham. Qua re cognita Constantinus imperator Martinum papam Constantinopolim evocavit et inde eum in exilium relegavit, multos etiam orthodoxorum verberibus et exiliis damnavit, eo quod haeresi suae nullatenus acquiescere vellent.

Istud ergo concilium papae Martini, imperatorem haereticum condemnantis, et per consequens detestantis totum imperium Graecorum praevidens Ioannes dicit, quod « alius angelus », scilicet Martinus, clamavit, quod Babylon, hoc est imperium Constantinopolitanum, a quo confusio omnium haeresum, ex quo sedes imperii translata est, in totam Ecclesiam emanavit, cecidit per diversos errores et cum viro fornicationis suae, i. e. haeresum diversarum, potavit omnes gentes.

X. DOMINIUM GRAECÔRUM REPUDIATUR A ROMANIS.

Ibi (c. 14, 9.): « Et tertius angelus », praedicit Ioannes dominii Graecorum repudiationem a Romanis.

Legitur enim, quod anno Domini 714 imperavit *Philippus*, cognomine *Bardanus*[1]. Hic autem, cum esset haereticus, omnes imagines ab urbe Constantinopolitana praecepit auferri. Ipse etiam misit Romam ad papam Constantinum litteras pravi dogmatis, quas vir sanctus concilio Romani populi refutavit et praecepit ac cum eo Romanus populus statuit, ne nomen haeretici imperatoris poneretur

[1] « Lardanus » A B.

in chartis, nec percussura solidorum ipsius reciperetur, nec eius effigies in ecclesia poneretur, nec proferretur nomen eius ad Missarum solemnia.

Hoc praevidens Ioannes dicit, quod « tertius angelus », scilicet (papa) Constantinus clamavit: « Si quis adoraverit bestiam et imaginem eius aut acceperit characterem, hic bibet de vino irae Dei ». Nam sub anathemate praecepit, ne effigies aut moneta imperatoris Philippi a populo reciperetur, ut dictum est.

Hunc autem Philippum Anthimus, qui et Anastasium oculis privavit, et ab imperiali dignitate deponens eius sibi vindicavit imperium. Philippus autem interfecerat Iustinianum augustum praedecessorem suum et Tiberium, filium eius. Unde ab illis diebus Romani coeperunt desistere a Constantinopolitano imperio et ipsum repudiare.

XI. RELIGIONIS ASSUMTIO.

Ibi (c. 14, 12.): « Haec sapientia vel patientia est », praedicit Ioannes multorum nobilium conversionem ad Christum per habitus monachalis susceptionem et *Cassini montis* reaedificationem.

Legitur enim, quod anno Domini 716 quidam vir divino amore compunctus Romam venit et hortatu papae Gregorii secundi montem Cassinum reparavit, evolutis 108 annis, ex quo locus ille a Longobardis fuerat desolatus. Concurrentibus autem pluribus monachis pater eorum et abbas effectus est et tam se quam alios regularibus subdidit disciplinis.

Circa illa etiam tempora legitur, quod *Cheret* et *Ophy, reges Anglorum,* Romam venerunt, ibi-

que in monachos attonsi regi regum militaverunt.

Per idem etiam tempus *Carolomannus*, frater Pipini, cum quinque annis regnasset, divino timore compunctus, factus monachus montem Cassinum expetiit.

Similiter et *Heldericus*, rex Francorum, ad religionem transivit.

Et similiter *rex Longobardorum* cum uxore et filiis. Unde maxima multitudo nobilium et potentium, mundum contemnentes induerunt Christum. Quae tempora aspiciens Ioannes hic dicit: « Patientia sanctorum », scilicet mundum contemnere propter Christum; et statim de eorum stipendio subiungens ait: « Beati mortui — morte civili — qui in Domino moriuntur », propter religionis assumtionem: « Opera enim eorum sequuntur illos ».

XII. REGNUM FRANCORUM.

Ibi (c. 14, 14.): « Et vidi et ecce nubem candidam », praedicit Ioannes regis Francorum translationem in personam Pipini.

Legitur enim, quod *Pipinus*, filius Caroli Martelli, victoriosi principis, cum regni Francorum principatum teneret sub Helderico rege, qui solo regio nomine contentus otio deditus erat. Pipinus ipse legatos misit ad Zachariam papam, consulens: « Qui potius rex esse aut deberet dici, ille scilicet, qui magnos pro regni pace sustinet labores, an qui otio deditus solo nomine regnaret ». Cui idem pontifex remandavit: « Illum debere appellari regem, qui bene rempublicam gubernaret »? Et hac responsione Franci animati, Helderico rege in monasterio

retruso, Pipinum anno Domini 700 constituunt super se regem.

Hic autem fuit strenuissimus rex et falcem suae potestatis extendit ad regni Francorum dilatationem.

Ideo Ioannes dicit, se vidisse nubem candidam, quia regnum nobile, plenum splendore fidei, scilicet regnum Francorum, quod tunc coepit splendescere et florere. Et super istam nubem vidit sedentem Pipinum cum corona aurea et falce acuta in manu.

XIII. PAPA STEPHANUS IN GALLIA.

Ibi (c. 14, 15.): « Et alius angelus exivit de templo », praedicit Ioannes papae Stephani adventum in Francia et *Pipini* invocationem contra Aistulphum regem Longobardorum.

Legitur enim, quod anno Domini 753 Stephanus papa propter persecutionem Aistulphi, Longobardorum regis, exivit de Roma, et in Franciam venienti occurrit Pipinus rex per spatium trium milliariorum, et de equo descendens cum magna humilitate terrae prostratus ad palatium suum Papam deduxit. Cui praefatus Papa lacrymabiliter persecutionem Ecclesiae aperuit. Congregans ergo Pipinus copiosum exercitum Italiam aggreditur, et exercitus Aistulphi a Francis debellatur. Unde Aistulphus pacem cum Romanis ad nutum Francorum inire compulsus est. Sed post discessum Pipini Aistulphus foedera pacis violavit. Pipinus igitur Italiam repetens Aistulphum Papiae reclusit et ad tenendum pacis foedera invitum compulit; sancto Petro quoque, quae sui iuris erant, fecit restitui.

Et hoc est, quod dicit Ioannes, quod alius angelus, scilicet papa Stephanus exivit de templo Romanae Ecclesiae et clamavit voce magna ad sedentem super nubem, ad regem scilicet Pipinum, ut mitteret falcem potentiae et exercitus sui contra Aistulphum et populum Longobardorum, cum iam erant maturi et digni, ut de terra praescinderentur propter persecutiones, quas Ecclesiae inferebant.

XIV. CAROLUS MAGNUS.

Ibi (c. 14, 17.): « Et alius angelus exivit de templo », praedicit Ioannes *Caroli Magni* substitutionem.

Legitur enim, quod Pipinus duos filios habuit: primus, qui dictus est Carolus, qui per felicitatis magnitudinem cognominatus est magnus, patri non impar gloria, imo multo victoriosior ac longe praeclarior. Secundus vero, qui dictus est Carolomannus, quo mortuo monarchia regni Francorum ad Carolum Magnum devenit.

Et de illo dicit Ioannes hic, quod alius angelus a Pipino, scilicet Carolus eius filius, exivit de templo, ubi fuerat in regem inunctus; habens et ipse falcem acutam potestatis et probitatis et exercitus bellicosi non minus, quam pater suus Pipinus.

XIV. PAPA ADRIANUS.

Ibi (c. 14, 18.): « Et alius angelus exivit de altari », praedicit papae Adriani recursum ad Carolum contra Desiderium, regem Longobardorum, et Desiderii captionem ac regni Longobardorum finem et destructionem.

Legitur enim, quod anno Domini 774 Adrianus papa in magna angustia consistens pro ablatis civitatibus et malis innumeris a Longobardorum rege Desiderio sibi illatis, ad Carolum regem maximo itinere nuntios destinavit, obnixe deprecans, ut oppressioni Ecclesiae compati dignaretur. Carolus itaque Italiam ingrediens Desiderium cum suis fugat et intra Papiam includit. Papiam demum capiens, Desiderium in exilio perpetuo in Gallias deportavit. Pariterque victi Longobardi a Francis, extunc eorum regnum cessavit. Et sic Papa et Romana Ecclesia a Desiderio, Aistulphi filio, liberatur.

Et hoc est, quod hic praedicit Ioannes, quod alius angelus, scilicet Adrianus exivit de altari, in quo introierat sicut sacerdos ad celebrandum, et hic « habebat potestatem super ignem et aquam », quia plenitudinem potestatis in foro exteriori excommunicandi et sententiandi [1], quae auctoritas significatur per ignem; et in foro interiori quoad emundationem conscientiae per sacramenta, quae potestas significatur per aquam. Et hic clamavit ad Carolum, ut mitteret falcem sui exercitus, et vindemiaret botros Longobardos; scilicet qui iam erant digni praescindi, quod et fecit. Et misit illos in lacum irae Dei, eos interficiendo et capiendo; et exivit sanguis per stadia 1600, quia fama Caroli et eius potentia fuit usquequaque diffusa etiam extra civitatem Ecclesiae. Nam ad infideles et ad Graecos et Persas Caroli fama pervenit.

Et sic in hac tertia visione quindecim notabilia sunt praedicta, quae a tempore Gregorii usque

[1] Sententiam ferre.

ad Carolum Magnum in Ecclesia vel circa Ecclesiam contigerunt.

Incipit quarta visio.

A Carolo Magno usque ad papam Urbanum.

In quarta visione Ioannes contemplatus est, quod contigit Ecclesiae tempore quarto, a translatione videlicet imperii in Carolum et Germanos usque ad tempora papae Urbani, sub quo placuit benignitati divinae, ut *Hierusalem* et Terra sancta ac regnum Israel restitueretur Ecclesiae et Christianis sub *Balduino* et *Godofrido*.

Incipit autem haec visio (c. 15.) ibi: « Et vidi aliud signum » etc., et durat usque ad capitulum 17. exclusive.

Intendit autem describere *septem plagas* et persecutiones, non quidem quas mali intulerunt Ecclesiae, sed potius quas mali sustinuerunt iusto Dei iudicio a bonis. Antequam ad illas septem plagas procedit, tangit aliqua, quae respiciunt translationem imperii a Graecis in Francos. Unde praedicit per ordinem *Decem*, quae circa tempus praefatum in Ecclesia contigerunt.

I. CAROLI MAGNI REGNUM.

Primo namque introducens 7 nuntios vel angelos, qui debent 7 plagas novissimas auctoritate Dei inferre, antequam eas prosequatur, praedicit regni Caroli fidem, devotionem, honorem et dilatationem.

Ubi considerandum est, quod Carolus 33 annis regnavit in Francia, antequam ad Romanum imperium vocaretur. In tempore autem regni sui dilatavit regnum Franciae:

1. primo quidem Saxones debellando, cum quibus noluit pacem facere, nisi baptizarentur et fierent Christiani.

2. Deinde vero Saracenos de Vasconia, Caesaraugusta, Pampilonia et deinde de Hispania effugando, unde viam sancti Iacobi purgavit, et monasterium in Compostella beato apostolo (Iacobo) aedificavit.

3. Deinde etiam Hunnos vel Ungaros, qui alios solebant infestare, subiecit totaliter et domavit, rogatu etiam imperatoris Constantinopolitani a Saracenis Hierusalem liberavit.

Parisiis etiam studium divinae sapientiae et philosophiae instituit et fundavit. Voluit etiam, quod universae ecclesiae Galliarum cantum et officium discerent a Romanis et id semper celebrarent.

In tantum etiam fuit devotus fidei et Ecclesiae, quod, dum ad limina beati Petri Romam veniens festinaret, pedestris uno milliare ante ingressum ecclesiae ivit et omnes gradus ecclesiae osculans singillatim ad summum pervenit Pontificem, qui in atrio super gradus iuxta fores ecclesiae assistebat.

Et hoc est, quod dicit Ioannes, se vidisse « mare vitreum », hoc est populum gallicum christianissimum, et baptizatum, « mixtum igne », zelo scilicet fidei et fervore, ac eos, qui vicerunt bestiam et imaginem eius, Carolum scilicet et duodecim pares [1]

[1] Postea sic dicti « Pairs ».

ac exercitum suum, qui Mahometum in Hispania et in Terra Sancta ac Saracenos debellaverunt, « stantes super mare vitreum », hoc est super Saxones, quos ad veritatem fidei compulerunt, etiam ad baptismum; et « habentes citharas Dei » et « cantantes canticum novum Moysi et Agni », hoc est officium Gregorii et Ecclesiae Romanae; et dicentes: « Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine, iustae et verae sunt viae tuae », per studium theologicum, quod incepit in Francia, in quo viae Dei et eius opera edocentur. Dicentes etiam: « Quis non timebit te, Domine » ? propter reverentiam et timorem, quem Carolus habuit ad Ecclesiam et successores eius. Dicentes etiam, quod « omnes gentes venient et adorabunt in conspectu tuo », propter veritatem fidei, cui firmiter adhaeserunt, quia a primo rege Francorum christiano hucusque nullus a veritate fidei legitur deviasse; quod non reperitur de aliquo alio rege.

Unde manifestum est, quod congruentissime ius Romani imperii fuit in Carolum translatum.

II. MULTIPLICATIO COENOBIORUM.

Ibi (c. 15, 5.): « Et post hoc vidi, et ecce apertum est templum », praedicit Ioannes septem plagarum futurarum dispositionem et cum hoc ecclesiarum et coenobiorum per Carolum dedicationem.

Legitur enim, quod Carolus etiam antequam adipisceretur dignitatem imperialem, fundavit multa coenobia et multas ecclesias cathedrales. Unde Gallia et Hispania plenae sunt coenobiis ab ipso fundatis, secundum numerum alphabeti et ordinem

fundavit abbatias. Et in prima reliquit unum A aureum. In secundo B, et sic de aliis. Quae litterae in pluribus monasteriis hucusque servantur.

Et hoc est, quod praedicit Ioannes se vidisse « septem angelos, vestitos lapide mundo et candido », per quod designatur, quod essent nuntii divinae vindictae exercendae in malos; quibus unus de quatuor animalibus, scilicet Lucas, dedit septem phialas, plenas iracundia Dei, quia ipse maxime praedicit mala, quae futura sunt in orbe, ut patet Lucae 21, ubi scribitur: « Erunt signa in sole et luna et stellis » etc.

Subdit autem Ioannes, quod « Templum Dei impletum est fumo a maiestate Dei », propter multiplicationem coenobiorum et monasteriorum, quae Carolus aedificavit, in quibus incensum orationis multiplicis hucusque Deo offertur.

Concludit autem, quod nemo poterat in templum introire, donec consummarentur septem plagae, quia Christiani Hierusalem et templum Domini non recuperaverunt usque ad tempus Urbani, quo istae 7 plagae fuerunt consummatae.

III. PAPA ADRIANUS.

Ibi (c. 16, 1.): « Et audivi vocem magnam », prosequendo effusionem septem phialarum et inchoando a prima, praedicit duarum haeresum condemnationem factam per papam Adrianum.

Legitur enim, quod *Constantinus IV.* anno decimo quarto imperii sui synodum episcoporum 330 in Constantinopolim congregavit, in qua promulgavit *edictum de imaginibus* Dei et Sanctorum ab

Ecclesia deponendis, omnes autem sibi subiectos iurare praecepit super sanctae Crucis lignum, ne aliquam Dei Sanctorumque eius imaginem venerarentur. Eos vero, qui Dei Genitricem invocabant et eos etiam, qui vigilias Deo agebant, eosque qui ad ecclesias consecuti religiose vivebant, eos etiam qui a iuramentis et immunditiis abstinebant, et eos qui reliquias Sanctorum penes se habebant privabat patrimoniis et modis omnibus cruciabat; monachos, ut uxores, et monachas, ut viros ducerent, compellebat. Nec plures sub alicuius gentilis persecutione quam sub hoc martyrizati sunt.

Unde beatum *Stephanum* per 40 annos inclusum, etiam gentibus venerandum, amara morte martyrizavit. Qui imperator nequissimus plaga pessimi incendii divinitus percutiebatur et clamans adhuc vivus igni inexstinguibili traditus miserabiliter moritur.

Cui successit *Leo*, filius eius. Anno 5. post Leonem vero uxor Irene cum filio Constantino imperare coeperunt anno 797, sub quo ad instantiam patriarchae Constantinopolitani Adrianus papa apud Nicaeam universalem synodum congregat, in qua fides catholica in praesentia Irenes et filii eius Constantini cunctorum subscriptione roboratur et haeresis execrantium Dei et Sanctorum imagines in perpetuum abdicatur.

Idem etiam Adrianus haeresim Feliciani condemnavit, qui asserebat, Filium Dei in divina natura verum esse Filium Dei, in humana vero adoptivum; personam Dei et hominis dividens in duas, scilicet in personam veri filii et adoptivi.

Et quia duae haereses, prima de repudiatione

imaginum et secunda de divisione personarum, assimilantur errori Saracenorum, quod detestantur imagines more Iudaeorum et Christum dicunt puram creaturam more Nestorianorum: ideo Ioannes dicit, quod primo angelo, i. e. Adriano, effundente phialam suam, factum est vulnus pessimum, quia anathematizatio per sententiam concilii generalis in homines habentes characterem bestiae; hoc est assimilationem ad legem Mahometi.

IV. PAPA LEO III.

Ibi (c. 16, 3.): « Et secundus angelus effudit phialam suam in mare » etc., praedicit Ioannes Romanae Ecclesiae exsecrabile damnum et vituperium per quosdam Romanos sibi illatum.

Legitur enim, quod anno Domini 797 Leo sedit in Romana Ecclesia, qui mox clavem confessionis sancti Petri cum vexillo Romanae urbis Carolo regi misit. Ipso autem Leone papa maioris litaniae agente mysteria, in ipsa processione quidam ex Romanis clam armati ipsum ceperunt et linguam et oculos eruerunt. Cui voce et sensu divinitus reddito, iterum ei linguam et oculos radicitus evellentes, eum semivivum revolutum in suo sanguine reliquerunt. Et cum ab ipsis carnificibus teneretur in custodia in monasterio sancti Erasmi, rursus sibi videndi loquendique officium fuit divinitus reformatum.

Hanc etiam malitiam praevidens Ioannes dicit, quod secundus angelus, hoc est ille Romanus, huius flagitii inventor et procurator effudit phialam suam in mare, hoc est in Romanam Ecclesiam, in qua principaliter residet veritas baptismatis et aliorum

sacramentorum. Et « factum est sanguis tanquam mortui », quia praedictum papam Leonem quasi semimortuum reliquerunt, revolutum in suo sanguine, ut dictum est. Et multi de populo Romano mortui sunt etiam huic flagitio consentientes.

V. CAROLUS IMPERATOR ROMANUS.

Ibi (c. 16, 4.): « Et tertius angelus effudit phialam suam », praedicit Ioannes Dei vindictam per Carolum in Romanos exercitam et eiusdem Caroli in imperatorem creationem.

Narrat namque Gilbertus, quod praefatus Leo de carcere effugiens ad Carolum regem venit in Franciam. Cuius oppressionis insignis rex condolens, cum exercitu properat, praedictumque venerabilem Papam in sua sede recollocat, causas examinat, reosque Romanos condemnat et plurimos de maioribus Romanorum decollavit. Scribitur enim, quod decollavit 300 una die, et propter hoc dicit Ioannes, quod tertius angelus, scilicet Carolus, effudit phialam suam scilicet indignationem super flumina et fontes aquarum, hoc est super malitiosos Romanos, qui tantum flumen malitiae effuderunt.

Legitur autem, quod omnes populi hoc audientes gavisi sunt, et maxime dux terrae Spoletanae, qui praedicto Leoni favebat et partes eius adiuvabat. Et propter hoc subdit Ioannes, se audivisse angelum aquarum, et ducem illum, qui princeps erat plurium populorum, dicentem: « Iustus es, Domine, quia sanguinem dedisti eis bibere ».

Legitur etiam, quod Romani illo tempore, qui iam ab imperatore Constantinopolitano dudum omni-

no destiterant, accepta tunc occasionis opportunitate, quia Irene excaecato imperatore Constantino filio suo imperium sibi usurpaverat, uno omnium consensu Carolo regi imperatorias laudes acclamant, eumque per manum Leonis papae coronari faciunt, Caesaremque et Augustum ipsum appellant. Et sic imperavit Carolus anno Domini 802[1].

Facta est autem haec Romani imperii translatio evolutis annis circiter 368, ex quo Constantinus baptizatus est a Sylvestro et civitas Constantinopolis dedicata est in sedem imperii Romani. Clamorem ergo populi Romani hanc translationem iustam reputantis propter multa demerita Graecorum, dicit hic Ioannes se audivisse, unde ait: « Et audivi alterum angelum » — Romanum populum — dicentem: « Etiam Domine Deus omnipotens, vera ostendis et iusta iudicia tua », quoad translationem regnorum.

VI. IMPERATOR OTHO III.

Ibi (c. 16, 8.): « Et quartus angelus effudit phialam suam ». Praedicit Ioannes quandam notabilem rebellionem factam in imperatorem *Othonem* tertium et in *Gregorium* papam quintum, per quendam patritium Romanum, nomine *Crescentium*. Legitur enim quod praefatus Crescentius, cum esset factus patritius Romanorum et deberet Ecclesiam defendere, volens sibi mortuo Othone secundo imperium usurpare, eiecit papam Gregorium de sede beati Petri cum iniuria et furore, et instituit quen-

[1] Rectius 800.

dam viventem bestialiter et sui sceleris complicem, nomine Ioannem. Et legitur, quod tunc temporis populus Romanus in imperatorem insurrexit et multis ex militibus eius peremptis ipsum in palatio obsederunt. Totus etiam populus quasi Italicus in imperatorem aestuavit et coniuravit, et vix simulato pacto imperator a Roma abstractus discessit.

Et hoc est, quod hic praedixit Ioannes quartum angelum, scilicet Crescentium, phialam suam effudisse « in Solem », in papam scilicet, qui sicut sol refulsit in templo Dei. Et similiter in imperatorem, qui dominus est de iure aliorum regum, sicut sol est rex planetarum. Et afflicti sunt homines de Roma et in Italia aestu iracundiae et coniurationis et blasphemaverunt potestatem imperialem et ecclesiasticam, cum tamen utraque sit a Deo.

VII. CRESCENTIUS ET PSEUDOPAPA IOANNES.

Ibi (c. 16, 10.): « Et quintus angelus », praedicit Ioannes vindictam per praedictum Othonem imperatorem exercitam in Crescentium propter rebellionem praedictam.

Legitur enim, quod Otho tertius praedictus anno 18. sui imperii praefatum Crescentium est aggressus bello, victusque Crescentius fugit. Sed in fuga comprehensus, vili iumento impositus ac tractus paulatim lingua et omnibus membris truncatus, ad ultimum ante urbem suspensus est. Ioannem etiam pseudopapam, intrusum a Crescentio, in carcere mori fecit et oculos sibi eruit.

Et hoc est, quod hic dicit Ioannes quintum angelum, scilicet Othonem imperatorem, effudisse phia-

lem suam « super sedem bestiae », hoc est super papatum Ioannis bestialiter viventis et super imperium Crescentii bestialiter usurpatum. Et factum est regnum utriusque tenebrosum, quia alter mortuus est in carcere et alter membratim truncatus. Et ideo manducaverunt linguas suas prae dolore. Et quia Romani non approbaverunt factum Othonis, volentes magis habere imperatorem ex se ipsis Crescentium et coniuraverunt contra ipsum, ut dictum est, ideo subdit Ioannes, quod « non egerunt poenitentiam ex operibus suis ».

VIII. PAPA GREGORIUS VII.

Ibi (c. 16, 12.): « Et sextus angelus effudit phialam suam », praedicit Ioannes Gregorii papae septimi constantiam et Ecclesiae a servitute liberationem propter virtutem suam.

Legitur enim, quod anno Domini 1073 Gregorius septimus, qui prius dictus est Hildebrandus, Romae sedit. Hic autem fuit vir nimiae sanctitatis, praeditus spiritu prophetiae, ita ut secreta cordis rimaretur. Hic pro libertate Ecclesiae fidelissime laboravit. Unde in generali concilio a se celebrato anathematizavit omnes simoniacos et uxoratos sacerdotes a divino officio removit, excommunicavit etiam omnes electos, qui investituram ecclesiarum acciperent de manu laici cuiuscumque, cum tamen prius imperatores, reges et principes sibi usurpassent hanc iurisdictionem super episcopos et praelatos.

Contra hunc Papam insurrexit imperator Henricus et multi ex laicis, multi etiam praelati, qui a

simonia declinare nolebant; multi etiam, qui continentiam non tenebant, magistri etiam plurimi falso exsurgentes pravis dogmatibus plebem averterunt ab ecclesiastica disciplina. Et tam grave scandalum ortum est, ut nullius haeresis tempore sancta Ecclesia graviori schismate sit discissa.

Ex tunc autem praedictus papa Gregorius praedictum imperatorem Henricum excommunicat et alium eligi facit. Sed imperator Henricus expugnatis fortalitiis et castellis, quae pro Gregorio contra ipsum erant, totam Romam obsedit, quem Romani accipientes Gregorium papam in exilium relegaveverunt, ubi et mortuus est.

Constantiam autem huius Papae praevidens Ioannes dicit, quod sextus angelus scilicet Gregorius, effudit phialam suam in flumen magnum Euphraten, in imperatorem videlicet Romanum et instatum Ecclesiae, tunc temporis multis incontinentiis et simoniis et aliis vitiis depravatum; et siccavit aquam vitiorum in concilio generali, ut praepararetur via liberae electionis et inthronizationis « regibus ab ortu solis », hoc est regibus ecclesiasticis, qui sunt reges solares, qui tamen antea non habebant viam liberam, cum ab imperatoribus et principibus laicis eos oporteret investiri.

IX. DRACO MAHOMETANUS.

Ibi (c. 16, 13.): « Et vidi de ore draconis », praedicit Ioannes quandam notabilem persecutionem, quam Turci et Saraceni in Christianos exercuerunt.

Legitur enim, quod circa annum Domini 1096 Soldanus Babyloniae et Turci omnes terras Chri-

stianorum, quae ultra mare erant, invaserunt, dilataveruntque Turci suum imperium usque in Antiochiam et Asiam minorem, et imperium Graecorum in magna parte vastarunt. Est autem sciendum, quod sicut Christiani habent praedicatores suos, qui crucem praedicant contra Saracenos; sic et e converso Saraceni suam zelantes perfidiam habent suos pseudoprophetas, qui contra Christianos animant Saracenos et praedicant Mahometum. Et tales tunc insurrexerunt et concitaverunt reges illos Saracenorum, ut insurgerent in Christianos et vastarent terras eorum.

Et hoc est, quod hic dicit Ioannes, se vidisse paulo post sextum angelum, scilicet post papam Gregorium: « Exire de ore draconis », hoc est regis Persarum et Turcorum, quia Chosroe, rex Persarum, superius dictus est draco; et « de ore bestiae », scilicet Soldani Babyloniae, et « de ore pseudoprophetae », i. e. collegii pseudopraedicatorum, se zelare fingentium Mahometum exire; « tres spiritus immundos in modum ranarum », hoc est tres animosas exhortationes, quorum quilibet de istis Saracenis exhortatus est reges ac miratos eorum, ut congregarentur ad praeliandum contra Christianos, in quo tamen praelio omnipotens Deus magnificabitur, dando victoriam suo populo christiano, ut infra dicetur.

Subdit autem, quod beati erunt Christiani, qui illo tempore vigilaverint et a praedictis Saracenis patientur. Congregabuntur autem praedictae gentes in loco, qui dicitur hebraice Armagedo, quod interpretatur consurrectio. Nam congregati fuerunt in Terra sancta, in qua Dominus passus est et resurrexit.

HIEROSOLYMA RECUPERATA.

Ibi (c. 16, 17.): « Et septimus angelus », praedicit Ioannes universalem Christianorum cruce signationem et generale passagium factum contra Turcos et Saracenos.

Legitur enim, quod anno Domini 1096 *Urbanus* papa concilium celebravit in Claromonte, in quo statuit, quod horae beatae Virginis omni die dicerentur et quod officium diebus Sabbatorum solemniter celebraretur. Ibique recepit litteras ab Alexio, imperatore Constantinopolitano, in quibus continebatur miseria civitatis sanctae Hierusalem et oppressio sua a Turcis. Tuncque Papa crucem praedicavit et legatos solemnes mittens per universam christianitatem passagium praedicavit. Tunc occidentales populi una inspiratione commoti, duces et comites, nobiles et ignobiles, divites et pauperes, servi et liberi, episcopi et clerici et monachi, senes et iuvenes, pueri et puellae, et omnes uno animo, nullo nullum angarizante, ab Hispania, Provincia, Aquitania, Britannia, Scotia, Anglia, Normandia, Francia, Lotharingia, Burgundia, Germania, Longobardia et Apulia et universis regnis et signo sanctae crucis signati ire paraverant, iniurias Dei in hostes christiani nominis vindicare.

Et sicut dicunt historiae, nunquam tot in unam coiere sententiam. Quamvis enim aestimaretur numerus pergentium Hierosolymam sexagesies centum millia, opinionem tamen hominum numerus ipse vincebat.

Diviserunt se autem in tres partes. Nam quidam

per Hungariam iverunt Constantinopolim, quidam vero iverunt per Slavoniam, quidam per Apuliam.

Et hoc est, quod hic dicit Ioannes, quod cum angelus septimus, scilicet imperator Alexius, effudit phialam suam in aëre per famam scilicet, et litteras, notificans Urbano persecutionem Turcorum: « tunc exivit vox de throno Ecclesiae », dicente Urbano: « Factum est, quod petis ». Et tunc factae sunt voces praedicationis crucis et terraemotus magnus, qualis nunquam fuit; quia commotio hominum undique concurrentium (ut dictum est) tunc etiam fulgura et tonitrua fuerunt. Nam cometae et multa alia signa apparuerunt. Fracta est autem tunc unitas magna, hoc est ille grandis exercitus christianus in tres partes, et partes iverunt, ut dictum est. Et tunc Babylon magna, hoc est Saracenismus venit « in memoriam ante Deum, dare illi de calice indignationis suae », et nunquam Saracenismus sic fuit confusus et humiliatus sicut in illo passaggio: ita ut propter grandinem exercituum christianorum Saraceni compulsi fuerint, Christum Dominum blasphemare.

Incipit quinta visio.

A restitutione Hierosolymae usque ad antichristum.

In quinta vero visione praedicit Ioannes totum decursum temporis a restitutione civitatis sanctae Hierusalem et regni Israel, quae facta est sub papa Urbano anno Domini 1098 per exercitum Domini, qui illuc cum crucis signaculo transfretavit, usque ad

tempus antichristi et diem iudicii extremi. Et durat haec pars usque ad principium 21 capituli exclusive.

I. SARACENISMUS EXSECRABILIS.

Primo igitur praedicit Saracenismum et sectae Mahometi statum exsecrabilem et horrendam culpam, et hoc per totum capitulum 17.

Ubi considerandum, quod tota secta Saracenorum divisa fuit in duo dominia principalia, quibus praefuerunt duo Soldani. Unum quidem dominium habebat caput et sedem in Perside; et princeps illius dominii dicebatur Soldanus Turcorum sive Persarum. Aliud vero dominium habuit et habet sedem suam in Aegypto, in civitate Babyloniae, cuius princeps dicitur Soldanus Aegypti.

Inter ista autem duo dominia fuit et est divisio. Ita quod anno Domini 1100 Turci terram Hierosolymorum invadentes, inde Saracenos, qui erant sub Soldani Aegypti dominio, expulerunt; nec ex tunc Soldanus Babyloniae recuperare ipsam potuit de manu Turcorum. Utrumque autem imperium, quod unum Saracenismum constituit, plenum est omni turpitudine et fornicatione, quia lex illa est foetidissima et quae nullam prohibet immunditiae turpitudinem, quam potius provocat. Plena est lex illa nominibus blasphemiae propter infinitos errores, quod dicit de Christo et paradiso, ita ut sit mirabile, quod divina iustitia tanto tempore illam durare permittat. Et tamen non obstantibus spurcitiis in divitiis, deliciis et ampliatione dominii, Saraceni plurimum prosperantur.

Foeditatem ergo istius sectae volens aperire Ioannes, primo illam exprimit sub quadam figura dicens : quod unus de septem angelis dixit sibi, quod ostenderet sibi damnationem meretricis magnae, videlicet Saracenismi, in quo fornicati sunt reges terrae et inebriati sunt de vino prostitutionis eius ad litteram, quantum ad duplicem fornicationem corporis, quae consistit in carnalibus immunditiis, et mentis, quae consistit in idololatria et recessu a cultu veri Dei, qui est Christus.

Dicit autem, se vidisse « *mulierem sedentem super bestiam* », hoc est imperium Turcorum residens in possessione et terra Soldani Aegypti. Nam expulerat eum de Hierusalem et tota Syria Soldanus Turcorum fere per annos 90. Per bestiam autem Soldanus Aegypti intelligitur, et per mulierem Soldanus Persidis et Turcorum. Et hoc rationabiliter, quia respectu Turcorum Aegyptii bestiales sunt, et minus nobiles et bellicosi.

Dicit autem, quod bestia habebat « *capita septem et cornua decem* » propter diversas provincias et diversos principes, quia subsunt Soldano Aegypti. Mulier autem erat « circumdata purpura et coccino », sicut dicit, propter potentiam et prosperitatem regni Turcorum. Habebat autem « scriptum in fronte mysterium Babylonis » magna mater abominationum, ut intelligatur per Babylonem non civitas illa, quae est in Aegypto, sed potius secta Saracenorum, quae mater est omnis abominationis. Et appropriatur regno Turcorum et Persidis propter sepulcrum Mahometi, qui dicitur esse in Arabia in fine circa principium Persidis.

Haec autem mulier erat « *ebria* » sanguine

sanctorum Iesu; quoniam diversis temporibus interfecerunt Saraceni innumerabiles Christianos.

Deinde ibi: « Et miratus sum, cum audissem ». Post admirationem Ioannis, qui gerebat typum Ecclesiae, angelus autem figuram sibi exponit.

Et primo dicit sibi, quid significat bestia, exponens, quod ipsa fuit et non est. Significat enim Soldanum Aegypti, qui ante annos 90 fuit dominus in Hierusalem in Syria. Sed tunc non erat, quia per Turcos expulsus erat inde. Sed dicit, quod ascensura est de abysso, hoc est de Aegypto, et in interitum ibit, quia ad litteram capta Hierusalem et recepta de manu Turcorum ascendit rex Aegypti ad debellandum exercitum christianum; et tamen non praevaluit, imo maior pars exercitus sui in interitum ivit.

Deinde exponit sibi, quid significent « septem capita », quia septem montes, septem provincias, quae subiiciuntur praedicto Soldano; et quid significent « decem cornua », quia decem admiratos vel reges, qui omnes una die praedictum Soldanum iuvabunt ad pugnandum contra Agnum et exercitum suum, ut dictum est.

Deinde exponit, quid important « aquae », quia populos et gentes et linguas etc., quae ex praedictis patent.

II. CHRISTIANORUM VICTORIA.

Ibi (c. 18, l.): « Et post haec vidi ». Posita culpa et secta detestabili Saracenorum praedicit Ioannes iustam Dei vindictam et debitam poenam a Deo illatam.

Ubi considerandum, quod, sicut ex historiis patet, *Ademarus* episcopus Podiensis per Orientem fuit legatus auctoritate apostolica dirigens exercitum Domini, qui in Hierusalem ac terram sanctam ivit anno Domini 1098. Fuit autem vir ille maximi fervoris et maximae auctoritatis in vita sua et in fama et maximae potestatis quantum ad auctoritatem a Papa sibi commissam. Eo igitur populum Domini fortiter exhortante multa praelia et multos conflictus habuerunt cum Saracenis. Unde legitur sex vicibus (Saracenos) debellasse tandem Hierusalem, Antiochiam et totam Syriam in Christianorum dominium transtulerunt.

Et tunc confusa est « Babylon », hoc est secta Saracenorum, quae fornicationibus suis et immunditiis potaverat omnes gentes.

Et hoc est, quod hic praedicit Ioannes, postquam viderat mulierem, se vidisse alium angelum, videlicet legatum descendentem de caelo Ecclesiae, quia missum a latere Papae, et ideo habentem potestatem magnam. Et tota terra et acies christiana illuminata est a gloria vitae, scientiae et doctrinae suae. Et exclamavit in fortitudine aciem exhortando, quod cecidit Babylon, hoc est Saracenismus in praesentia exercitus christiani.

III. EXHORTATIO AD POENITENTIAM.

Ibi (c. 18, 4.): « Et audivi aliam vocem », praedicit Ioannes praedicantium in praefato exercitu exhortationem salutiferam.

Est enim sciendum, quod vel praefatus legatus vel sacerdotes et litterati multi, qui erant in exer-

citu ad praedicandum exercitum Dei, monebant ad poenitentiam et vitam sanctam, et ne cum Saracenis communicarent. Multi etiam tunc de Saracenismo exiverunt et videntes veritatem Dei Christiani sunt facti. In speciali autem legitur, quod Dominus apparuit in somnis cuidam presbytero in exercitu ad praedicandum exercitui Dei existenti, dicens sibi, quod exercitus Christianorum a Deo se elongaverat per peccatum, et idcirco illos dimiserat ad horam. Tanta enim fame afflicti sunt, ut Saracenorum corpora foetentia comedere sint compulsi. Dum etiam obsiderent quoddam munitissimum castrum prope Hierusalem, octo mansionibus situm, contigit, multos eorum perire. Et idcirco Deus admonuit in somnis presbyterum praefatum, ut moneret exercitum ad poenitentiam et ut non communicarent cum peccatis Saracenorum, ne forte acciperent de poenis eorum.

Et hoc est quod hic dicit Ioannes, se audivisse aliam vocem illius presbyteri dicentis: « Exite de illa populus meus ». Subdit autem tria peccata Saracenorum, propter quae Deus punivit eos et a quibus volebat Christianos exire.

1. Primum peccatum est homicidii et malitiae. Et hoc tangit ibi: « Reddite illi sicut et ipsa ».

2. Secundum est peccatum carnis ac delectationis superfluae et immunditiae, quod tangit ibi: « Quantum glorificavit se in deliciis... ».

3. Tertium est peccatum superbiae et iactantiae, quod tangit ibi: « Sedeo ut regina et vidua non sum ».

Et pro his tribus concludit aequitatem divinae vindictae, ibi: « Et ideo in una die venient plagae eius ».

IV. LOCUS TRISTITIAE.

Ibi (c. 18, 9.): « Et flebunt et plagent se », praedicit malorum hominum sibi compatientium dolorem et tristitiam.

Ubi sciendum, quod terra sancta, cum habeat optimos portus in mari, sicut Iopen, Achon et Tyrum, sicut etiam prope Arabiam, unde portantur aromata et res valde pretiosae tempore, quo tenebantur a Turcis, confluebant ad eam plurimi mercatores. Horum igitur stuporem et compassionem hic Ioannes ponit utens colore rhetorico, qui ducit in admirationem. Et primo dicit de regibus, qualiter mirabantur.

Deinde ibi: « Et negotiatores tui », dicit idem de mercatoribus, ponens diversa genera et modos mercium.

Deinde ibi: « Et omnis gubernator », dicit idem de navigantibus. Notandum autem, quod scienter dicit: « Clamabunt videntes locum incendii eius », quia narrat historia, quod picem et ignem super muros Hierusalem nostri iactaverunt, ita quod nullus audebat appropinquare. Cumque ex communi decreto nudis pedibus totus exercitus orando circuiret urbem, in tali humiliatione idibus Iulii in sexta feria ceperunt eam.

V. HORA LAETITIAE.

Ibi (c. 18, 20.): « Exsulta super eam caelum », praedicit Ioannes exercitus christiani in illa hora exsultationem et laetitiam.

Legitur enim, quod ingredientes Christiani in templo Salomonis et in porticu cum Saracenis bello durissimo contracto, tanta in eos debaccati sunt caede, ut in occisorum sanguine usque ad equorum genua equitarent. Tunc quoque mundata cum mira laetitia patriarcha ordinatur et rex eligitur et spolia dividuntur, de qua laetitia hic dicitur: « Exsulta super eam caelum », exercitus scilicet Christianorum caelitus. « Et apostoli sancti », hoc est episcopi succedentes apostolis, qui in praedicto agmine erant, et « prophetae praedicatores », scilicet in acie existentes.

VI. GODEFRIDUS ANGELUS FORTIS.

Ibi (c. 18, 21.): « Et sustulit unus angelus fortis », praedicit Ioannes quendam ultimatum conflictum cum Soldano Babyloniae ac durissimam pugnam.

Legitur enim, quod capta Hierosolyma ordinatoque patriarcha atque rege electo, cum milites de repatriando agerent, ecce Soldanus Saracenorum Aegypti ad debellandos eos venit cum quadringentis millibus equitum, centum millibus peditum; quibus cum occurrisset exercitus Domini, in quo non plus quam quinque millia equitum et 15 millia peditum erant, Deo pugnante pro servis suis et nube eos ab aestu solis defendente, Saraceni solo eorum impetu territi proiectis armis omnes fugerunt, caesaque sunt centum millia paganorum. In porta vero Ascalone soffocati sunt usque ad duo millia, et eorum, qui in mari perierunt, et qui inter spineta consumti sunt, numerus nescitur.

Et hoc est, quod dicit hic Ioannes: unum angelum fortem, scilicet *Godefridum*, qui electus erat in regem Hierosolymitanum, virum utique fortem et strenuum, lapidem quasi molarem misisse in mare, exercitum scilicet Saracenorum compulisse, ut se in mari demergerent et perirent. Et ideo vox citharoedorum et musicorum in eis deficit, et sicut alias ipsi effuderant sanguinem sanctorum Christianorum, ita ipsi Saraceni tunc temporis interfecti sunt Domino propugnante.

VII. ECCLESIAE TRIUMPHUS.

Ibi (c. 19, 1.): « Post hoc audivi quasi tubam », praedicit Ioannes laetitiam diffusam per totam Ecclesiam de isto felici triumpho. Diffusa namque fama huius victoriae per totam christianitatem rumoribus perstrepentibus, 24 seniores, universae scilicet Ecclesiae cathedrales totius christianitatis, et quatuor animalia eorum, quatuor scilicet patriarchae, et universa Ecclesia laetitia perfusi dixerunt alleluia, et laudem ac gloriam et gratiarum actionem super haec Domino reddiderunt. Et hoc est, quod hic dicitur.

VIII. NUPTIAE AGNI.

Ibi (c. 19, 6.): « Et audivi vocem tubae », praedicit Ioannes exsultationem et laetitiam omnium illorum Christianorum, qui tunc remanserunt per Syriam.

Est enim sciendum, quod legatus congregatione facta omnium episcoporum exaltavit vocem suam

quasi tubam, et omnes episcopi assistentes quasi tonitrua acclamabant dicentes: « Gaudeamus, quia venerunt nuptiae Agni », Domini scilicet Iesu Christi, et « uxor eius », exercitus scilicet Domini ibi existens, « praeparavit se ». Et « datum est ei, ut cooperiat se byssino », hoc est iustificationibus Sanctorum. Ad litteram namque legatus et episcopi praedicantes exercitui dicebant, quod non poterant tueri nec cooperiri ab incursibus Sarracenorum nisi per bonam vitam et iustitiam ac orationibus Sanctorum.

Et notandum, quod Ioannes docet nos hic exponere librum istum, cum dicit byssinum, etiam iustificationes sunt Sanctorum. Per hoc enim innuit, verba esse mystica nec intelligenda esse corporaliter, sicut enim istud non erat corporale, sed spirituale; sic enim nec caelum nec terra, quae in hoc libro scribuntur.

IX. TESTIMONIUM IESU.

Ibi (c. 19, 9.): « Et dixit mihi: Scribe », ponit Ioannes sui ipsius reverentiam propter liberationem Hierusalem per angelum ostensam; praevidens enim in spiritu confusionem Saracenorum et liberationem terrae sanctae, quae anno Domini millesimo nonagesimo nono facta est, et quia Christiani obtinerent de illa terra bene usque ad viginti dietas, prae nimia exsultatione et reverentia voluit angelum adorare. Sed prohibitum est et dictum est ei, ut adoraret Deum et Dominum Iesum Christum, qui erat testis horum verborum et Dominus omnis spiritus prophetici et omnis visionis.

X. BALDUINUS REX.

Ibi (c. 19, 11.): « Et vidi caelum apertum », praedicit secundi regni et regis Hierosolymitani substitutionem et ipsius multiplicem excellentiam.

Legitur enim, quod anno Domini 1100 Godefridus dux Lotharingiae, qui electus fuerat in regem Hierosolymitanum, mortuus fraterque eius, nomine Balduinus, vir magnanimus et fidei devotus, in bello strenuissimus, sibi in regem substitutus est, et apud Bethlehem coronatus, mox Saracenos invadens cepit Caesaream Palaestinae et admiratum ac episcopum Saracenorum ibidem existentem, et regnum plurimum dilatavit. Et quia circa illa tempora incepit ordo Hospitaliorum et Templariorum et domus theutonicae, qui sunt ordines militares et signo crucis insigniti ac quasi quidam caelestis exercitus: idcirco Ioannes se dicit vidisse « equum album », Balduinum, qui sedebat super eum, vocabatur « fidelis » in ordine ad Christum et « verax » quantum ad votum, quod fecerat de passagio ultramarino; et « iudicabat cum iustitia » in ordine ad proximum et cum iustitia pugnabat contra sectam Saracenorum; et « oculi eius erant sicut flamma ignis » ratione fervoris et zeli, quam habebat pro fide. Et « in capite eius erant multa diademata » propter crebras victorias quas habuit de Saracenis; et propter hoc subdit, quod « vestitus erat veste aspersa sanguine » Saracenorum. Et « vocabatur nomen eius verbum Dei », quia propter praedicationem factam et verbum fidei terram suam Lotharingiam dereliquerat et venerat in terram sanctam. Exer-

citus etiam caeli, hospitalarii scilicet et templarii et theutonici, sequebantur eum in equis albis, vestito bysso, hoc est iustitia et sanctitate.

Nam ipsemet Ioannes ita exposuit supra byssinum. Habebat in vestimento suo et femore scriptum « Rex regum et Dominus dominantium », quia amore Regis regum inter alias virtutes continentiam et castitatem servabat.

Regnum etiam Hierosolymorum ceteris dignius et nobilius reputatur, propter quod regnans in eo poterat dici rex regum et per anthonomasiam sicut rosa flos florum.

XI. PATRIARCHA HIEROSOLYMITANUS.

Ibi (c. 19, 17.): « Vidi unum angelum », praedicit Ioannes patriarchae Hierosolymitani, qui dicebatur *Arcadius*, exhortationem et prophetiam.

Legitur enim, quod Balduino coronato Saraceni habuerunt responsum a daemoniis vaticinantibus eis, quod Hierusalem cito ab eis esset capienda, funditus destruenda, et quod omnibus nefandis horribilius dictum est, ipsam Domini gloriosi sepulcri petram frustratim confringendam, crucem quoque dominicam ad mare delatam in remotissimo pelago submergendam. Et propter istud responsum valde animati sunt Saraceni ad impugnandum Christianos.

Quod audiens patriarcha Arcadius econtra excitabat asserens, quod ipsi facerent magnam stragem de Saracenis, ita ut aves caeli possent saturari de carnibus regum, tribunorum et equorum. Et hoc est, quod dicit Ioannes se audivisse unum angelum, scilicet patriarcham, stantem in sole intel-

ligentiae et prophetiae, vel in sole auctoritatis ecclesiasticae, quia sicut sol refulsit in templo Dei, et hic clamabat voce magna omnibus avibus, i. e. Christianis, vel ad litteram avibus materialibus, ut congregarentur ad comedendum carnes regum etc.

XII. VICTORIA MIRACULOSA.

Ibi (c. 19, 16.): « Et vidi bestiam », praedicit Ioannes Balduini regis de Soldano et eius exercitu miraculosam victoriam.

Legitur enim, quod Balduinus rex anno secundo regni sui tam animose contra Saracenos cum suis militibus advolabat, quod Tyberiadem, Sydonem, Acharonem et cunctas urbes maritimas tempore brevi subegit. Anno autem a nativitate Domini 1124 praefatus rex a Saracenis praeventus capitur, de qua re rex Aegypti cum suis mente gavisi ascendentes usque ad 60 millia congregantur, ut Christianos a finibus suis exterminarent. Christiani vero, in arcto positi, utrique sexui nec non et pueris et lactentibus infantibus ieiunium indicentes et exemplo Ninivitarum pecoribus pabula denegantes, die pugnae indicta vix tria millia cum tota illa multitudine ad pugnandum procedunt. Principes autem gradiuntur in fronte, primo quidem patriarcha pro vexillo ferens Christi crucem. Deinde abbas quidam Cluniacensis proferens lanceam transfixam in latere Iesu Christi. Deinde episcopus Bethlehemitanus ferens in pixide lac beatae Virginis Mariae. Saraceni vero, ne quis possit ex Christianis evadere, eos circulariter undique circumcinxerunt.

Et dum ita in promptu populum Dei haberent,

splendor subitus de aëre cecidit super exercitum paganorum, et omni robore virium, Deo faciente, illico enervati in fugam versi sunt, non solum a viris, sed etiam a pueris et feminis caeduntur. Et legitur, quod perierunt in bello septem millia, in aquas vero submersi sunt quinque millia, et tamen omnes Christiani incolumes sunt reversi, et post modicum tempus civitatem illam famosissimam Tyrum Christi imperio subiugaverunt.

Et hoc est, quod hic praedicit Ioannes dicens, se vidisse bestiam, i. e. regem Aegypti et reges terrae, admiratos scilicet et potentes sibi subiectos, congregatos ad faciendum proelium cum eo, qui sedebat in equo albo, cum rege scilicet Hierosolymitanorum sic capto, ut dictum est. Et « comprehensa bestia », rex ille videlicet, et cum eo pseudoprophetae, qui falso praedixerant, Hierusalem subvertendam et petram dominici sepulchri confringendam et crucem submergendam. Et « missi sunt in stagnum ignis » ardentis, quia in corpore et in anima sunt occisi. Ceteri vero gladio sedentis super equum album consumpti sunt, sicut patet ex historia praemissa.

XIII. CONCORDIA INTER PAPAM ET IMPERATOREM.

Ibi (c. 20, l.): « Et vidi angelum descendentem », praedicit Ioannes quandam notabilem reconciliationem factam inter imperatorem *Henricum V.* et *Calixtum* papam.

Legitur enim, quod anno Domini 1122 discordia illa, quae orta fuerat inter regnum et sacerdotium imperatore Henrico (IV.) et continuata sub

quodam alio imperatore similiter Henrico nomine (V.) et sub papa Gregorio (VII.), qui dictus est Hildebrandus et continuata a successoribus eius Victore et Urbano et prae omnibus fortiter a Paschasio, erat in magno scandalo toti mundo.

Consistebat autem in hoc discordia, quia Papa nolebat consentire consuetudini imperatorum omnium, a Carolo Magno, qui primus de regibus Francorum imperavit Romanis, iamque per 300 et eos amplius annos imperant, sub 43 apostolicis pontificibus illicite episcopatus dederant et abbatias et praebendam et ceteras ecclesiasticas dignitates per virgam et annulum, suae auctoritatis et hoc esse sui iuris allegabant. Hac uique consuetudine imperator volebat uti. Sed econtra censebant summi pontifices Gregorius VII. et postmodum eius successores Victor, Urbanus et Paschalis ex sententia et iudicio synodali definierunt, nec posse nec debere dari per virgam et annulum episcopatum vel aliam ecclesiasticam dignitatem vel investituram per manum laicalem. Et quicunque accipiebant, excommunicabantur.

Pro reconciliatione ergo ista facienda venit Henricus quintus huius nominis imperator Romam, ibique renuntiavit sub his verbis: « Ego Henricus imperator Deo et sanctis eius Petro et Paulo et Domino papae Calixto sanctaeque Romanae Ecclesiae dimitto omnem investituram per annulum et baculum et concedo in omnibus ecclesiis liberam electionem fieri et presbyterorum consecrationem.

Huius ergo reconciliationem et colligationem inter imperatorem et Papam praedicit Ioannes in hoc loco, cum ait: « Et vidi angelum descenden-

tem de caelo », videlicet Calixtum papam, « habentem clavem abyssi », i. e. auctoritatem, claudendi portas caeli et e converso. Nam eadem est clavis caelum aperiens et infernum claudens et e converso: « Et habentem catenam magnam in manu sua »; quia multitudinem praelatorum, cardinalium et episcoporum assistentium, ibi maxime in facto hoc. « Et apprehendit draconem » per censuram ecclesiasticam et excommunicationem, ligans imperatorem, quem vocat: « Draconem et serpentem antiquum », qui est diabolus et satanas. Unde per haec quatuor nomina innuit imperium Romanum, vel Constantinopolitanum. Satanas enim interpretatur adversarius vel contrarius. Illud autem imperium pro maiori parte semper fuit contrarium et obvium fidei christianae. Primo quidem absorbendo crudeliter et evidenter sicut *draco* tempore imperatorum paganorum, sub quibus martyrizati sunt Sancti; deinde vero ad modum *serpentis* per venenum erroris tempore imperatorum haereticorum; et deinde ad modum *diaboli,* duos bolos facere cupientis tempore illorum imperatorum a Carolo Magno etc., qui non contenti erant iurisdictione et auctoritate imperiali, quae solum ad temporalia se extendit, sed usurpaverunt sibi auctoritatem sacerdotalem et papalem, per baculum et annulum dignitates ecclesiasticas conferendo, et in pluribus aliis iuri ecclesiastico derogando.

Subdit autem, quod ligavit et clausit et signavit Calixtus papa istud imperium, auctoritatem illam auferendo, ut deinceps non seducat gentes simoniace, et contra Spiritum sanctum dando spiritualia, « donec consummentur anni mille », non

quidem computandi a tempore Calixti, quia non est spes, quod duret tantum nec etiam ab incarnatione Domini, quia iam transierunt, sed a Sylvestro papa et Constantino, sub quo sacerdotes inceperunt regnare et ut reges honorari, qui antea consueverunt interfici et viliter sicut servi tractari vel potius percuti et mactari. Tunc autem solvetur antichristus duodecimo.

XIV. S. BERNARDUS.

Ibi (c. 20, 4.): « Et vidi sedes », praedicit Ioannes imperii et sacerdotii concordiam firmatam.

Legitur enim, quod sub tempore imperatoris Lotharii [1], qui successit Henrico praedicto, et sub tempore Innocentii papae secundi successoris Calixti fuit summa concordia inter imperium et sacerdotium, ita ut anno Domini 1135 manifestius appareret concordia imperatoris et Ecclesiae, et in die sancto Pentecostes cum Papa Missarum solemnia celebraret, adstantibus imperatore, principibus multis et episcopis, visa est corona aurea de caelo descendens super monasterium, ubi Papa celebrabat. Super autem coronam insidebat columba habens in rostro thuribulum cum incenso, quam duo ardentes cerei praecedere videbantur. Quae visio quidem concordiam imperii et Ecclesiae manifeste approbabat.

Et hoc est, quod hic dicit Ioannes se vidisse « sedes », imperialem et papalem et multos pro utraque parte tam praelatos quam principes seden-

[1] Iabdini A B.

tes, et sederunt super eas Papa et imperator « et iudicium datum est illis ».

Sciendum etiam, quod illo tempore *ordo* canonicus *Praemonstratensis* et monasticus *Cisterciensis* inceperunt et dicuntur quasi « duae olivae in conspectu Dei », et quasi duae sedes, in quibus Christus per devotionis pinguedinem et perfectionis lumen singulariter residebat, per omnes fere christiani orbis terminos bonae opinionis odore diffuso, novas abbatias, ubi cultus divinus antea non fuerat, construebant. Quamvis enim antea incepissent, tunc tamen ordo Cisterciensis per beatum *Bernardum* fuit maxime dilatatus, qui quasi ante deficiebat.

Bene ergo dicit Ioannes, se vidisse sedes has, scilicet duas religiones et multos sedentes et quiescentes in eis per contemplationem et multiplicationem perfectionum.

XV. SALADINUS.

Ibi (c. 20, 4.): « Et animas decollatorum », praedixit *Soldani* Aegypti maximam persecutionem, quam exercuit inter Christianos, auferendo ab eis terram sanctam.

Legitur enim, quod anno Domini 1187 Soldanus innumerabili multitudine gentium congregata Galilaeam ingressus cum exercitu christiano congreditur. Et prima quidem die nostri gesserunt fortius. Sed secunda die fit nostrum strages mirabilis et rex christianus captus est et crux Domini a Saracenis asportata, raroque aut nunquam nostris temporibus in aliquo proelio tantum sanguinis est effusum.

Templarii quoque et Hospitalarii proceresque et viri fortiores vel trucidati vel capti sunt. Et sic Christiani (nostris exigentibus meritis) sunt Saracenis et gentilibus subiugati, et tota terra sancta et civitas sancta Hierusalem una cum civitatibus aliis. Unde usque ad 20 dietas de terra, quas tenebant antea Christiani, traditae sunt in manibus Soldani.

Hanc igitur desolationem et decollationem Christianorum — quia quot ex Templariis praesentiae Soldani oblati sunt, iubente eo omnes pariter decollantur, sicut dicit historia — hanc utique decollationem Ioannes praevidens dicit, se vidisse animas decollatorum propter verbum Dei et testimonium Iesu Christi.

XVI. ACCON ET DAMIATA.

Ibi (c. 20, 4.): « Et qui non adoraverunt », praedicit Ioannes particularem recuperationem post praedictam desolationem iam factam.

Legitur enim, quod anno Domini 1188 crescebat rumor undique lamentabilis de transmarinis partibus, et ingemiscebat mundus plebesque signo crucis accepto ire Hierusalem proponebant. Unde imperator rex Franciae et Angliae, Bithyniae et Alemanniae et Gulielmus rex Siciliae et innumerabiles archiepiscopi et episcopi, principes, comites, milites et barones cruce signati sunt. Et anno Domini 1191 Accon recepta est a Christianis, cuius captione audita tantus timor et tremor irruit super Saracenos, quod Ascalonem aliaque castella, quae de manu nostrorum rapuerant, dirimunt vacuaque dimittunt.

Et post haec anno Domini 1217 *Damiatam* urbem valde populosam ceperunt, ubi octoginta millia Saracenorum tam fame quam gladio perierunt.

Haec igitur recuperatio hic designatur, cum dicit Ioannes, se vidisse eos, qui non adoraverunt bestiam, regem scilicet Aegypti, nec imaginem eius, videlicet Mahometum, nec acceperunt characterem eius, circumcisionem scilicet et cetera execranda Saracenorum.

Et subiungit, quod « vixerunt », hoc est opera viventium ostenderunt, dum restiterunt Soldano, cum tamen antea Christiani in ipsius praesentia mortui viderentur, et regnaverunt cum Christo mille annis, regno scilicet Christianitatis manendo usque ad tempus antichristi.

XVII. FREDERICUS II.

Ibi (c. 20, 5.): « Ceteri vero mortuorum », praedicit imperii vacationem et cessationem factam sub Frederico II. per Ecclesiae sententiam et censuram.

Legitur enim, quod anno Domini 1229 orta est discordia inter papam Gregorium IX. et imperatorem Fredericum. Et cum ad concilium generale convenirent, capti sunt Pisis ab imperatore duo cardinales et multi alii praelati, propter quod est excommunicatus imperator, et tandem, cum emendare nollet, ab Innocentio IV, successore Gregorii, depositus est in concilio Lugdunensi. Et ratione istius Frederici multi spiritualiter mortui sunt, schismatici effecti contra sententiam Ecclesiae illi adhaerentes,

ita ut istud schisma adhuc in multis partibus perseveret.

Unde de fautoribus illius imperatoris schismatici dicit hic Ioannes, quod ceteri mortuorum spiritualiter non vixerunt, donec consummentur mille anni, ubi videtur innuere, quod apostema perversum, quod diffudit Fredericus in christianitate, vix poterit exterminari usque ad tempus antichristi, quod designatur per millenarium annorum.

XVIII. S. FRANCISCUS ET S. DOMINICUS.

Ibi (c. 20, 5.): « Haec est resurrectio prima », praedicit duarum religionum utilem institutionem et mundo fructuosam, scilicet ordinis Minorum per alumni Christi confessorem *Franciscum,* et ordinis Praedicatorum per eximium patrem et doctorem *Dominicum.*

Legitur enim, quod tempore papae Innocentii III. et imperatoris Frederici hos duos Sanctos tanquam duo luminaria Dominus destinavit, qui instituerent duas religiones, quarum doctrinis et exhortationibus, meritis et exemplis quasi tota christianitas videretur cum Christo surrexisse et respectu praecedentis temporis in novitate vitae ambulasse.

Unde cum sit duplex resurrectio, una spiritualis per gratiam et veritatem et consecrationem et vitam sanctam, et alia corporalis, cum animae corporibus unientur in fine: in adventu horum duorum ordinum videtur prima resurrectio inchoata, et totus mundus innovatus.

Nam ante plenus erat erroribus et actibus turpibus, ita ut hic dicat Ioannes, quod « haec est

resurrectio prima », et quod beatus et sanctus, qui habet potestatem in resurrectione prima, quia in iis secunda mors non habet locum etc.

XIX. ANTICHRISTUS.

Ibi (cap. 20, 7.): « Et cum consummati fuerint mille anni », praedicit Ioannes *antichristi* introductionem et persecutionem acerbissimam, ubi considerandum est, quod isti mille anni, post quos praedicitur adventus antichristi, et hic et supra, ubi dicebatur: « Donec consummentur mille anni, et post hoc oportet ipsum solvi modico tempore », dubium est, a quo tempore debeant computari, et manifestum est, quod non possunt inchoari a nativitate Christi, quia iam transierunt 1300 anni et amplius, tamen adhuc non apparet antichristus. Et ideo probabilius alii inchoant a Constantino sub tempore papae Silvestri, quando Christus et Ecclesia reincepit regnare et honor imperii translatus est in personam Silvestri et in Romanam Ecclesiam, et episcopi, ac sacerdotes honorati sunt sicut reges, qui iam per 300 annos sub paganis imperatoribus atrociter fuerant trucidati.

Sedit autem Silvester anno Domini CCCXVI [1], qui si tollantur ab his, qui hodie computantur, remanent mille et tres et sic iam deberet esse natus et habere tres annos. Propter quod certitudo istius numeri magis debet *sancto Spiritui* reservari.

---

[1] Ita etiam manuscripti florentini, licet in cod. Laurent. 32. D. 13. serius suffectus sit annus 319. Scribebat igitur auctor anno 1319.

Quod autem subdit Ioannes, quod seducent gentes, quae sunt super quatuor angulos terrae, scilicet Gog et Magog, volunt aliqui dicere, quod ista est gens Tartarorum, quos ultra montes Caspios Alexander inclusit. Illi autem anno Domini 1240 de montibus illis egressi vastaverunt Georgiam, Armeniam maiorem, Indiam et Thraciam et tandem ceperunt civitatem potentissimam Baldac et Calipham Saracenorum interfecerunt; et postmodum Iconium, Lapidiam et Damascum devastaverunt. Irruerunt etiam in Hungariam, Poloniam, Sclavoniam, et Rusciam, tria regna magna, atque usque ad fines Germaniae pervenerunt. Et cum anhelarent ad obtinendum monarchiam, voluerunt aliqui dicere, quod isti introducturi sunt antichristum, quod hic Ioannes videtur innuere, cum dicit, quod gens Gog et Magog. Sed tamen gens Gog et Magog non debent intelligi unus populus aut una gens specialis, sed totum corpus diaboli, hominum scilicet iniquorum et malorum, et hoc est quod Ioannes dicit, ipsos esse super quatuor angulos terrae et eorum numerum esse sicut arenam maris. Isti omnes tempore antichristi persequentur civitatem dilectam, scilicet Ecclesiam in toto orbe diffusam, et finaliter devorabuntur et destruentur cum suo capite antichristo.

XX. DIES IUDICII.

Ibi (c. 20, 11.): « Et vidi thronum magnum », praedicit Ioannes diem iudicii et sententiam Dei extremam, quae datura est post tempora antichristi. Et primo introducit

1. regem sententiantem;

2. coetum sententiam exspectantem, ibi: « Et vidi mortuos »;

3. conscientiam cuiuslibet accusantem, ibi: « Et libri aperti sunt »;

4. scripturam testificantem, ibi: « Et alius liber apertus est »;

5. sententiam concludentem, quae confirmabitur ex duplici libro, quia ex libro conscientiae cuiuslibet iudicatur, qui sententiam approbabit. Confirmabitur etiam ex libro infallibili divinae scientiae et praescientiae, quae sententiam concordabit esse iustam ex accusatione et conscientia omnium iudicatorum. Ideo dicitur, quod iudicati sunt mortui ex iis, quae scripta erant in libro. Et sic finitur quinta visio.

Incipit sexta visio.

Status universi post iudicium.

In sexta vero et ultima visione describit Ioannes statum universi post iudicium. Et primo quidem de generali statu totius mundi, secundo vero in speciali statum ipsius caeli et gloriae Sanctorum, quod facit ibi (c. 21, 9.): « Et venit unus de septem angelis ».

I. STATUS TOTIUS MUNDI.

1. Praedicit innovationem elementorum. Nam caelum et terra et mare et totum universum innovabitur, non quidem quoad substantiam, sed quoad

qualitates et effectus, qui cessabunt. Et hoc facit in principio 21. capituli, ubi haec visio incipit, ibi: « Et vidi caelum novum et terram novam ».

2. Ibi: « Audivi vocem », praedicit invocationem et comparitionem hominum [1] auctoritate vocis exeuntis de throno.

3. Ibi: « Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia », praedicit consummationem et innovationem universorum, unde subdit: « Factum est: Ego sum Alpha et Omega, principium et finis ».

4. Ultimo praedicit distributionem stipendiorum, quae erit perpetua, immutabilis et aeterna. Nam iustis reddetur vita perpetua. Quantum ad hoc, quod dicit: « Ego dabo sitienti de fonte meo ». Iniustis autem calamitas dabitur aeterna et interminabilis poena, quae est mors secunda. Et quantum ad hoc subdit: « Timidis et incredulis ».

II. STATUS CAELI.

Deinde ibi: « Et venit unus de septem angelis », prosequitur in speciali statum caeli futurum post diem iudicii, et describit *gloriam caelestem* quantum ad 12 conditiones:

1. Commendat eam quantum ad situm, ibi: « Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum ».

2. Describit eam quantum ad pulcritudinem et aspectum, ibi: « Habentem claritatem Dei et lumen eius ».

---

[1] « Electorum » ed. Ven.

3. Quoad ingressum duodenarium, ibi: « Habentem portus duodecim ».

4. Quantum ad firmum fundamentum, ibi: « Et murus civitatis habens fundamenta 12 ».

5. Magnificat eam quantum ad suum gyrum et certum spatium, ibi: « Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam ».

6. Magnificat eam quantum ad materiae nobilitatem et valorem immensum, ibi: « Ipsa vero civitas Dei aurum mundum et erat structura muri ». Et ponit quadruplicem materiam; nam murus est de lapide, civitas de auro, fundamentum vero muri ex 12 lapidibus pretiosis, et portae ex margaritis.

7. Describit aedificiorum modum, ostendens, quod infra muros non habent gazophilacia nec templum, sed Dominus Deus et Agnus erit ibi pro templo et ipse est una speciosa platea. Et hoc facit ibi: « Et platea civitatis ».

8. Extollit eam quantum ad suum directivum, quod erit claritas Dei, ibi: « Civitas non eget sole ».

9. Describit eam quantum ad ritum, qui observatur in ea; quia portae ipsius non claudentur nec aliquid immundum intrabit in ipsam. Et hoc facit ibi: « Et portae eius non claudentur ».

10. Describit eam quantum ad spiritualem potum, quo recreabuntur habitantes in ea, ibi: « Et ostendit mihi fluvium aquae vivae ».

11. Describit eam quantum ad pretiosum et gloriosum cibum, ibi: « In medio plateae eius lignum ». Ubi componit cibi nobilitatem, dicens, quod « affert fructus duodecim per singulos menses »; et cibi sanitatem, subdens, quod « folia ligni ad sanitatem gentium »; et cibi aeternitatem et perpetui-

tatem subdens: « Et omne maledictum non erit amplius ».

12. Extollit civitatem caelestem et ostendit celebrem quantum ad actum et exercitium habitantium in ea. Hoc enim erit exercitium gloriae, vacare scilicet et videre semper in faciem Dei et Agni, et illuminari ab eis et regnare in saecula saeculorum cum eis. Et hoc facit ibi: « Et sedes Dei et Agni ».

Rubrica. Hic ostendit Ioannes hunc librum esse auctoritativum, immutabilem et firmum ex parte multorum.

Conclusio.

Post sex visiones in quibus expressa est continentia futurorum, subdit Ioannes libri istius auctoritatem et immutabilitatem et ceteras eius conditiones. Unde

1. Ostendit hunc librum esse valde *authenticum* et firmum, dicens: « Haec verba fidelissima sunt et vera ». Et auctoritatem ipsius concludit ex parte Dei, dicens: « Dominus spirituum et prophetarum ». Et ex parte angeli mediatoris et internuntii, ibi: « Misit Angelum suum ostendere ». Et ex parte Iesu Christi, subdens: « Et ecce venio velociter ». Et ex parte Ioannis, idonei scriptoris, subdens: « Ecce ego Ioannes, quae audivi ». Et ut ostendat auctoritatem suam, declarat se non minorem angelo in gratia, imo parem, quia non permisit se angelus adorari ab eo; et hoc facit ibi: « Vide, ne feceris, conservus enim tuus sum ».

2. Ibi: « Et dixit mihi: Ne signaveris verba », ostendit, librum istum esse satis *intelligibilem,* nec omnino clausum, dicens, ut non omnino claudat et signaret verba prophetiae huius libri, et rationem huius assignat, quia in libro isto agitur de futuris ut de patientia Dei in sustinendo malos et de longanimitate in differendo praemia bonorum et de aequitate, secundum quam reddet unicuique iuxta opera sua. Et ideo bonum est, quod sit aliqualiter patens et intelligibilis liber iste. Et hanc rationem innuit ibi: « Tempus enim prope est. Qui nocet, noceat adhuc ».

3. Ostendit librum istum *nobilem* valde et dignum, quia revelatus est ab illo, qui est Alpha et Omega, principium efficiens omnium et finis universorum; et hoc facit ibi: « Ego sum Alpha et Omega ».

4. Ostendit, hunc librum esse *utilem* et commodum et valde proficuum, ubi dicitur: « Beati, qui lavant stolas suas ».

5. Ostendit ipsum *amabilem* et acceptum, quoniam ab amatissimo Iesu revelatur; et hoc facit ibi: « Ego Iesus misi angelum meum ». Unde subdit: « Ego sum genus et radix David ». Et addit: « Sponsus et sponsa dicunt: Veni ». Nam Christus et Ecclesia triumphans invitant militantem.

6. Ostendit ipsum esse *finalem* et completivum totius Scripturae divinae, ibi: « Contestor enim omni audienti ». Unde dicit, quod huic libro nihil est apponendum nec subtrahendum.

Ultimo concludit hunc librum finitum per sacrae orationis et postulationis devotae verbum, dicens: « Veni, Domine Iesu! Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis. Amen ».

In hoc igitur quaternario librorum epistolarum Pauli, actuum et canonicarum et libri Apocalypsis, octava pars et ultima sacri Canonis consummatur. Ad quem ascendere oportet per ascensum odoriferum et aromaticum, cum enim haec pars maxime deserviat instructioni morali et ad aedificium fidei, ut visum est in toto decursu. Studentes in ea debent per exsecutionem eorum fidei diffundere aromata et suavitatis odorem, ut accedat, quod scriptum est Cant. (c. 3, 6.): « Ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii et reliqua ».

Explicit compendium sensus litteralis totius divinae Scripturae a fratre Petro Aureoli ordinis Fratrum Minorum et sacrae theologiae doctore. Deo gratias. Amen. Amen.

INDEX.

Dedicatio Rmo ac Colmo P. Aloysio a Parma Min. Gli. . *pag.* VII
Prooemium editoris X
Commendatio theologica XIII
Petrus Aureoli doctor facundus. XV
Opera a Petro Aureoli conscripta XXIII
I. Opera typis edita . . . . . »
II. Opera inedita XXX
Codices manuscripti XXXIII

Prologus in totam s. scripturam 1
Commendatio s. scripturae in speciali 7
Primus articulus. Intelligentia docilium animarum 10
Secundus articulus. Scripturarum magnificentia et excellentia. 14
A. Mons Domini 15
B. Domus Dei 20
Tertius articulus. Divisio generalis bibliae in octo partes principales. 28
I. Octo modi docendi . . . . . »
II. Domus varia 30
III. Ascensio octuplex. 31

A. VETUS TESTAMENTUM.

I. PARS POLITICA.

Pentateuchus. 39
1. Genesis. . . . . »
2. Exodus. 41
3. Leviticus . . . . . »

4. Numeri. . . . . *pag.* 42
5. Deuteronomium. 43

II. PARS HISTORICA.

1. Iosue 47
2. Iudicum 48
3. Ruth . . . . . »
4. I. et II. liber Regum et I. Paralipomenon . . . . . »
5. III. et IV. Regum et II. Paralipomenon 49
6. Esdras et Nehemias. . . . . »
7. Tobias, Iudith, Esther, Machabaeorum . . . . . »

III. PARS HYMNODICA.

1. Liber Psalmorum 52
2. Canticum canticorum 55
3. Threnorum 58
Prima lamentatio Ieremiae 60
Pars I. XI Excellentiae, quas habuit Hierusalem. . . . 61
» *II.* 64
Secunda lamentatio. 66
Pars I. 67
» *II.* 70
» *III.* 71
» *IV.* 72
Tertia lamentatio 73
Prima expositio litteralis 74
Secunda expositio messianica 75
Quarta lamentatio 78
Pars I. Deplorat templi et cultus divini desolationem. . . 79
» *II. Desolationis templi modus et ratio* 81
» *III. Futura consolatio in conversione Iudaeorum* . . 83
Oratio Ieremiae 84

IV. PARS DISPUTATIVA.

1. Liber Iob 87
2. Liber Ecclesiastes 89

V. PARS ETHICA.

Exordium. . . . . *pag.* 92
1. Liber Proverbiorum 93
2. Liber Sapientiae. 95
Pars I. Respectu iustitiae - zelus 96
» *II. Respectu sapientiae - generatio et ortus* 97
» *III. Respectu iustitiae et sapientiae - operatio et fructus.* 98
3. Liber Ecclesiasticus. 101
I. Commendationes Sapientiae (9) 102
II. Propositiones (52). 103
III. Exempla (6) 111

VI. PARS PROPHETICA.

Prologus in Prophetas 113
Liber Isaiae 118
Tractatus primus (Tragoedia).
Pars I. De regno duarum tribuum separatim . . . . . »
» *II. De gente finitima congregatim* 122
» *III. De universi mundi machina summatim* 123
» *IV. De decem tribubus combinatim*. 124
» *V. De gente iudaica separatim et congregatim* . . . 126
Tractatus secundus (Comoedia) 127
Pars I. De liberatione facta per Christum a peccato. . . 128
» *II. De liberatione facta per Cyrum* 129
» *III. De liberatione per Christum.* 130
Liber Ieremiae (16 partes) 133
Liber Baruch (7 partes) 138
Liber Ezechielis (7 partes) 139
Liber Danielis (5 partes). 141
Duodecim Prophetae minores.
Prologus 143
1. Liber Osee. 144
I. Vates 145
II. Iudex. 147
III. Praeco 149
IV. Pater. 151
V. Amicus 154

II. Liber Ioel. . . . . *pag.* 155
I. Comminatio . . . . . »
II. Repromissio 156
III. Liber Amos (8 partes) . . . . . »
IV. Liber Abdiae (4 puncta) 159
V. Liber Ionae (7 partes) . . . . . »
VI. Liber Michaeae. 160
Pars I. Comminativa . . . . . »
» *II. Repromissiva* 162
VII. Liber Nahum (5 partes) 164
VIII. Liber Habacuc (3 partes). 165
IX. Liber Sophoniae (5 partes) 168
X. Liber Aggaei (6 partes). 170
XI. Liber Zachariae 171
Pars I. Tempus praesentis reaedificationis 172
» *II. Tempus futurae inhabitationis.* 174
» *III. Tempora Machabaeorum* 177
» *IV. Tempora Romanorum* 178
XII. Liber Malachiae 184
Conclusio 187

B. NOVUM TESTAMENTUM.

VII. PARS TESTIMONIALIS.

Prologus 191
I. Evangelium secundum Matthaeum 193
22 conditiones de Christo praedictae 195
Epilogus 211
II. Evangelium secundum Marcum 212
20 conditiones de Christo 215
III. Evangelium secundum Lucam. 220
Pars I. De ingressu Iesu in mundum 221
» *II. De conversatione Iesu cum hominibus.* 223
» *III. De totali conatu Iesu Salvatoris* 225
» *IV. De Iesu loquela tanquam Salvatoris* 226
» *V. De Iesu Salvatoris discessu et morte* 230
» *VI. De Iesu Salvatoris resurrectione.* 231
IV. Evangelium secundum Ioannem 232
Pars I. Explicatio. . . . . »

Pars II. Probatio . . . . . *pag.* 233
» *III. Conclusio* 241
» *IV. Conditio sui ipsius* . . . . . »
Epilogus 242

VIII. PARS EPISTOLARIS.

Prologus 243
XIV Epistolae S. Pauli 244
Ad Romanos . . . . . »
Pars I. Inchoativa 245
» *II. Exsecutiva* . . . . . »
» *III. Excusativa* 258
» *IV. Recommendativa* . . . . . »
I. Ad Corinthios (10 partes). 259
II. Ad Corinthios (25 partes) 269
Epistola ad Galatas. 279
Pars I. Paulus praelatus et pastor 280
» *II.* » *praeco evangelicus* 281
» *III.* » *magister et doctor* 283
» *IV.* » *amicus et consultator* 289
» *V.* » *zelotypus et aemulator Iesu Christi* . . . 290
Epistola ad Ephesios (9 partes) 292
Epistola ad Philippenses (8 partes) 302
Epistola ad Colossenses (12 partes) 307
I. Ad Thessalonicenses (5 partes). 313
II. Ad Thessalonicenses (3 partes). 316
I. Ad Timotheum (7 partes) 319
II. Ad Timotheum (9 partes) 328
Ad Titum (5 partes) 331
Ad Philemonem (7 partes) 333
Ad Hebraeos. 335
Reverentia Iudaeorum erga legem . . . . . »
Pars I. Christus melior angelis. 338
» *II.* » *excellentior Moyse* 340
» *III.* » » *pontifex quam Aaron* . . . 343
» *IV. Sacerdotium Christi excellentius legali sacerdotio.* 344
» *V. Tabernaculum Christi excellentius antiquo.* . . . 350
» *VI. Christus excellentior Moyse in lege et testamento.* 351
» *VII.* » » *summ. Pont. in tabernaculo.* 352

Pars VIII. Christus excellentior summus Pontifex in sanguine suo . . . . . pag. 354
» *IX. Christus excellentior ex testamenti dedicatione* . 355
» *X.* » » *Pontifex in sui oblatione* . 356
» *XI.* » » *in sanctitate* 360
» *XII.* » » *in legis datione* 362
Conclusio 363
Liber Actuum Apostolorum 365
I. Ecclesia a Spiritu S. mirabiliter corroborata 366
II. » » » *multiplicata* 368
III. » » » *diffusa.* 371
IV. » » *digne intitulata.* 373
V. » » *mirabiliter translata* 374
Liber septem canonicarum.
Prologus 380
Epistola S. Iacobi (20 partes) 381
Prima canonica Petri (3 partes).
Prologus 395
I. Exordium. 396
II. Processus. 397
Terminus 408
Secunda canonica Petri 409
Pars I. Exordialis. 410
» *II. Fundamentalis* . . . . . »
» *III. Informativa.* 414
Prima canonica Ioannis 418
Tractatus primus.
Pars I. De virtute fidei 419
» *II. De virtute caritatis* 420
» *III. De virtute spei* 423
Tractatus secundus.
Pars I. (IV) Replicatio de fide 425
» *II. (V) Replicatio de caritate* 426
» *III. (VI) Replicatio de spe* 427
Tractatus tertius.
Pars I. (VII) Replicatio de caritate. 428
» *II. (VIII) Replicatio de fide.* 429
» *III. (IX) Replicatio de spe* 431
Secunda epistola Ioannis (8 partes) 432
Tertia canonica Ioannis (8 partes). 434

Canonica Iudae . . . . . pag. 435
1. Salutatio et Exordium 436
2. Narratio . . . . . »
3. Conclusio 438
IV. Liber epistolaris. Apocalypsis B. Ioannis Apostoli . . . »
I. Praeambulum 439
II. Tractatus 442
A. Pars prima (Ecclesia Asiana).
Informatio morum. 442
1. S. Timotheo, episcopo Ephesino 443
2. B. Polycarpo, episcopo Smyrnensi 444
3. S. Carpo, episcopo Bergamensi 445
4. S. Irenaeo, episcopo Thyatirensi. 446
5. S. Melitoni, episcopo Sardensi 448
6. S. Quadrato, episcopo Philadelphensi 449
7. S. Satyro, episcopo Laodicensi 450
B. Pars secunda (Ecclesia catholica).
Informatio futurorum. 451
Primus modus dividendi. Sensus imaginarius . . . . . »
Secundus modus dividendi. Sensus moralis 452
Tertius modus dividendi. Sensus litteralis. 454
Sex tempora Ecclesiae 456
Prima Visio. Fundatio Ecclesiae - persecutiones - liberatio.
A Claudio usque ad Iulianum 458
Pars I. Dei maiestas . . . . . »
» *II. Libri obscuritas* 461
» *III. Christi dignitas* . . . . . »
» *IV. Coetus iucunditas.* 462
» *V. Processus futurorum.* . . . . . »
Sigillum I. Evangelii divulgatio 463
» *II. Primae persecutionis edictum* 464
» *III. Iustum Dei iudicium* 465
» *IV. Secundae persecutionis edictum* 467
» *V. Ulteriores persecutiones* 468
» *VI. Decima persecutio* 469
» *VII. Religionis pax* 471
» *VIII. Persecutio Iulianae apostatae.* 473
Secunda Visio. Persecutio Haereticorum.
A Iuliano usque ad Phocam. 474
I. Papa Damasus. Cultus divini ampliatio . . . . . »

II. Arius haeresiarcha. Ecclesiae conturbatio. . . . pag. 476
III. Macedonius haereticus 478
IV. Pelagius haeresiarcha 479
V. Eutyches haereticus 480
VI. Regnum Vandalorum 482
VII. Antipapa Laurentius 485
VIII. Narses. 494
Tertia Visio. A Gregorio Magno usque ad Carolum Magnum. 495
I. Notabilia sub Gregorio . . . . . »
II. Heraclius. 497
III. S. Maria victrix 500
IV. Duellum cum dracone 501
V. Victoria S. Crucis. . . . . . »
VI. Mahometus 503
VII. Agnus supra montem Sion 505
VIII. S. Bonifacius 506
IX. Graecorum depravatio 507
X. Dominium Graecorum repudiatur a Romanis 508
XI. Religionis assumptio 509
XII. Regnum Francorum 510
XIII. Papa Stephanus in Gallia 511
XIV. Carolus Magnus 512
XV. Papa Adrianus . . . . . »
Quarta Visio. A Carolo Magno usque ad papam Urbanum . 514
I. Caroli Magni regnum. . . . . . »
II. Multiplicatio coenobiorum 516
III. Papa Adrianus 517
IV. Papa Leo III 519
V. Carolus imperator Romanus 520
VI. Imperator Otho III 521
VII. Crescentius et pseudopapa Ioannes 522
VIII. Papa Gregorius VII. 523
IX. Draco Mahometanus 524
X. Hierosolyma recuperata. 526
Quinta Visio. A restitutione Hierosolymae usque ad antichristum 527
I. Saracenismus exsecrabilis 528
II. Christianorum victoria 530
III. Exhortatio ad poenitentiam 531
IV. Locus tristitiae. 533

V. Hora laetitiae . . . . . *pag.* 533
VI. Godefridus angelus fortis 534
VII. Ecclesiae triumphus 535
VIII. Nuptiae agni. . . . . . »
IX. Testimonium Iesu 536
X. Balduinus rex 537
XI. Patriarcha Hierosolymitanus. 538
XII. Victoria miraculosa 539
XIII. Concordia inter Papam et imperatorem 540
XIV. S. Bernardus 543
XV. Saladinus 544
XVI. Accon et Damiata 545
XVII. Fridericus II 546
XVIII. S. Franciscus et S. Dominicus. 547
XIX. Antichristus 548
XX. Dies iudicii 549
Sexta Visio. Status universi post iudicium. 550
I. Status totius mundi . . . . . »
II. Status caeli 551
Conclusio 559
Tabula alphabetica 566
Summarium breve 576
Oratio devotissima ad Virginem Mariam. 578

TABULA ALPHABETICA

BREVIS ET SUMMARIA

SUPER COMPENDIUM PETRI AUREOLI.

A

Actus apostolorum dividitur in quinque partibus, videlicet: 1. de primitiva fidelium congregatione, 2. de ipsius per Spiritum S. multiplicatione, 3. de ipsius diffusione per Iudaeam, 4. de ipsius intitulatione nomine christiano, 5. de ipsius in gentibus translatione. pag. 365-380.

— apostolorum continet septem viagia vel itinera Pauli. pag. 375-379.

Aetates omnes et personarum conditiones de omnibus in sacra scriptura instruuntur passim Sap. Eccl. Epist.

Apocalypsis libri auctoritas et immutabilitas describitur. pag. 553.

— beati Ioannis continet omnem decursum totius Ecclesiae quantum ad prosperitates et adversitates, quae debebant illi contingere. pag. 439.

— primum caput continet commendationem huius libri. pag. 439.

— libri multiplex modus dividendi. pag. 451.

Ascendere debet multipliciter ille, qui capere vult intelligentiam scripturarum. pag. 10-14.

B

Baruch liber continet 7 conclusiones, secundum quas continet 7 partes. pag. 138-139.

C

Caelum est Ecclesia militans, in qua residet Deus. pag. 459.

Cantica canticorum composuit Salomon de unione Dei ad synagogam. pag. 55.

— canticorum agit de decem statibus seu eventibus Iudaeorum qui ibi ordinate ponuntur. pag. 56.

Christus fuit praedicatus et praenuntiatus a prophetis, quod habiturus esset 22 conditiones, quas omnes habuit Iesus, quae ordinate ponuntur in evangelio S. Matthaei. pag. 193-212.

— probatur esse verus imperator, rex et Dominus universorum per 20 proprietates, quae ponuntur in evangelio S. Marci ordinate. pag. 212-220.

— probatur fuisse spiritualis medicus et salvator universorum per 6 conditiones, quas ponit Lucas in evangelio suo ordinate. pag. 220-231.

— probatur esse verus Deus ex 19 conditiones, quas ponit B. Ioannes in evangelio suo ordinate. pag. 232-242.

Christianum nomen debet habere sex conditiones. pag. 406.

Cruce signatorum passagium tempore Urbani papae secundi describitur et eorum maximus numerus ponitur. pag. 526.

D

Danielis liber dividitur in 5 partes, quarum prima est acquisitio sapientiae respectu Danielis. In secunda, declaratio intelligentiae. In tertia, declaratio sanctimoniae ipsius. In quarta, continuatio prophetiae, ubi agitur de mutatione diversorum regnorum. In quinta vero ponitur annotatio duarum historiarum. pag. 141-142.

Deus ponitur in libro Genesis tanquam creator, et eius omnipotentia declaratur in eius operibus; ponitur tanquam salvator suarum creaturarum de diluvio, ponitur disseminatio omnium gentium et eius ad homines amicitia declaratur. pag. 39-40.

Deuteronomii liber continet epilogum itineris et laboris, foederis et praeceptorum, muneris et promissorum et eventuum futurorum circa filios Israel. pag. 43-45.

Dialectica sive pars disputativa sacrae scripturae continet librum Iob per modum dialogi et librum Ecclesiastem per modum soliloquii. pag. 87.

Dialogus est sermo vel disputatio duorum. pag. 87.

Disputationum quatuor genera, scil. dialectica, sophistica, tentativa et definitiva. pag. 88.

Dividi non potest sacra scriptura in partes subiectivas vel integrales nec per virtutes theologicas, sed solum dividitur per modum docendi. pag. 35.

Docet sacra scriptura 8 vias secundum octuplicem domum, cui comparatur. pag. 31-34.

Domus octo diversae, scil. lapidea, lignea, eburnea, nubea, aurea, bellica, caelica et rorida, quae sacrae scripturae comparantur. pag. 30-31.

Duodecim prophetarum libri explanantur et dividuntur. pag. 143-187.

E

Ecclesia debet esse informata de quatuor, scil. de credendis, agendis, initiis et futurorum eventibus. pag. 241.

Ecclesiastes in toto libro suo disputat, decem genera vanitatum esse despicienda. pag. 89-91.

Ecclesiasticus liber tradit ethicam modo magistrali. pag. 101.

— liber docet sapientiam tripliciter, scil. per propositiones sapientes, per commendationem s. scripturae et per exemplorum narrationes. pag. 103-112.

— liber ponit novem commendationes sapientiae. pag. 102.

— liber continet 52 doctrinas. pag. 103-111.

— liber ponit sex particulas commendationis sanctorum. pag. 111.

Episcopi officia sunt: propugnantis, excommunicantis, determinantis, exemplantis et dispensantis. pag. 319-320.

Episcoporum Asiae nomina, quibus Ioannes scripsit apocalypsim, ponuntur. pag. 443-451.

Epistolae Pauli distinguuntur contra canonicas sicut universale et particulare. pag. 244.

Epistola Pauli ad Romanos continet novem materias disputativas contra contentionem gentilium et Iudaeorum, qui crediderant, et tripliciter dividitur. pag. 244-258.

— ad Cor. I. ponit X errores, in quibus deficiebant Corinthii. pag. 259-269.

— ad Cor. II. continet 25 commendationes B. Pauli, de quibus apud Corinthios se commendat familiariter. pag. 269-279.

— Pauli ad Galatas tractat, quod circumcisio et alia legaliter nullo modo suadenda sunt, et circa hoc quinque procedit modis. pag. 279-292.

— Pauli ad Galatas ostendit praedicationem Apostoli esse authenticam ex sex conditionibus, pag. 281.

Epistola Pauli ad Ephesios in 9 partes dividitur et est maxime inductiva ad gratitudinem pro beneficiis receptis. pag. 292-302.
— Pauli ad Philippenses continet 8 partes, maxime inducentes eos ad patientiam et tolerantiam. pag. 302-307.
— Pauli ad Colossenses inducit Colossenses ad amorem Christi et suae fidei per 12 persuasiones. pag. 307-313.
— Pauli ad Thessalonicenses I. reprehendit eos de quatuor, in quibus errabant. pag. 313-316.
— Pauli ad Thessalonicenses II. informat eos de die iudicii et hoc in tribus partibus suis. pag. 316-319.
— ad Timotheum I. continet 5 officia, quae pertinent ad episcopum in 5 suis partibus. pag. 319-327.
— ad Timotheum II. inducit eum ad fidei praedicationem per 9 rationes seu partes in ipsa epistola contentas. pag. 328-331.
— ad Titum monet et docet Titum de quinque servandis. pag. 331-333.
— ad Hebraeos continet 12 rationes Iudaeorum circa legis observantiam, contra quos B. Paulus alias duodecim in contrarium adducit. pag. 335-365.
Epistolae canonicae sunt informativae diversarum virtutum. pag. 380.
Epistola Iacobi monet ad observantiam 20 virtutum moralium. pag. 381-395.
— canonica Petri I. tractat de virtutibus moralibus secundum diversos status et tempora. pag. 395.
— canonica Petri I. continet sex beneficia, quae a Deo recepimus. pag. 397.
— Petri I. continet septem, quae nos inducant ad sanctitatem. pag. 398-400.
— Petri I. informat quatuor status personarum, scil. in statu infimo, in statu domestico et inconomico. In statu politico et communi. In statu seu principatu ecclesiastico. pag. 401-408.
— Petri II. commendat fidem de quatuor excellentiis. pag. 410-412.
— Petri II. continet informationem morum respectu ipsorum futurorum et detestatur haereticorum sectas et eorum ponit condemnationem. pag. 414-418.
— Ioannis I. tractat de virtutibus fidei, spei et caritatis. pag. 418-432.
— Ioannis II. dividitur in 8 partes. pag. 432-434.
— Ioannis III. dividitur in 8 partes. pag. 434-435.

Epistola Iudae in 6 partes dividitur. pag. 435-438.

Ethica monastica et consultiva pars sacrae scripturae continet libros Proverbiorum, Sapientiae et Ecclesiastici. pag. 92.

Evangelistae per figuram 4 animalium bene figurantur et designantur. pag. 191-193.

Exodus liber tractat de Moyse famulo Dei legem proponente et de eius ritu et progressu. pag. 41.

Ezechiel liber dividitur in 7 partes. pag. 139.

G

Genesis liber tractat de Deo creatore, legislatore, salvatore omnium, gentium disseminatore, hominum amatore et promotore. pag. 39-40.

Gregorii papae I. tempora ponuntur et accidentia eorum. pag. 495.

H

Haeretici infestaverunt Ecclesiam multipliciter. pag. 474-485.

Heraclii imperatoris gesta bona et mala. pag. 497-499.

Hierusalem excessit alias civitates in 11 conditionibus et excellentiis, quas habuit. pag. 61-62.

Historica pars s. scripturae sub denario numero intendit ostendere, Deum fuisse fidelem exsecutorem circa ea quae dixit de terra promissionis et sub denario numero continetur. pag. 46.

Hymnodica sive decantativa pars s. scripturae sub ternario numero continetur; scil. poetica, in qua psalmi, elega, in qua threni Ieremiae, et dramata, in qua cantica canticorum. pag. 51.

I

Ieremias in threnis suis deplorat Christi passionem 16 lamentationibus. pag. 58.

Ieremiae liber continet legationis cuiusdam ordinem: 1. circa personam missam, 2. circa causam legationis, 3. an legatio fuerit iusta. pag. 133 etc.

Ioannes evangelista ostendit Christum esse Deum verum per 19 conditiones, quas ponit in evangelio suo. pag. 232-242.

Ioannes evangelista ostendit duplicem suam conditionem, scil. familiaritatem cum Christo et incorruptibilitatem quantum ad carnem. pag. 242.

Iob liber continet 4 disputationes: 1. dialecticam inter Iob et amicos suos, 2. sophisticam inter Heliu et Iob, 3. tentativam inter Dominum et Iob, 4. definitivam inter Dominum et amicos Iob. pag. 87-88.

Isaias est eximius prophetarum. pag. 118.

Isaiae liber dividitur in 2 partes, scil. tragoediam, quae est oratio exprobrativa et comminativa, et in comoediam, quae est oratio exhortativa et consolatoria. pag. 118.

Isaiae pars exprobrativa dividitur in quinque partes. pag. 118.

— oratio consolatoria continet duplicem liberationem populi, scil. temporalem per Cyrum regem Persarum et spiritualem per Christum. pag. 129-130.

L

Leviticus liber tractat de legibus moralibus, iudicialibus, obsequialibus, sacrificialibus, sacerdotalibus, cibarialibus, discernibilibus, solemnialibus et promicibilibus. pag. 41-42.

Libri legales s. scripturae comparantur domui lapideae, quia docent nos vias timoris. pag. 31.

— historiales s. scripturae domui ligneae comparantur, quia docent nos vias rigoris. pag. 31.

— Iob et Regum et Ecclesiastes comparantur domui bellicae et docent nos vias vigoris, scil. investigationem divinorum iudiciorum. pag. 32.

— decantativi s. scripturae comparantur domui eburneae, et docent nos vias dulcoris. pag. 32.

— sapientiales comparantur domui aureae, quia docent nos vias decoris. pag. 32-33.

— prophetales comparantur domui nubeae, quia docent nos vias splendoris. pag. 33.

— evangelicales comparantur domui caelicae, quia docent nos vias amoris. pag. 33.

— epistolares novi testamenti comparantur domui roridae, quia docent nos vias foecundativi et rigativi humoris. pag. 34.

Lucas evangelista ostendit Christum esse verum medicum et salvatorem spiritualem humani generis propter sex conditiones, quas ponit in evangelio. pag. 220-231.

M

Mahometus signatur in Apocalypsi per bestiam, et eius origo et conditiones describuntur. pag. 503-505.

Marcus evangelista ostendit Christum esse verum imperatorem et regem et Dominum universorum propter 20 proprietates seu conditiones eius, quas ponit in evangelio suo. pag. 212-220.

Materiae sunt 8, de quibus in s. scriptura tractatur. pag. 17.

Matthaeus evangelista ostendit Christum esse verum Messiam per prophetas praenuntiatum et hoc per 22 conditiones, quas ponit in evangelio suo. pag. 193-212.

N

Narsetis patritii gesta ponuntur. pag. 494.

Numerorum liber continet 8 numerationes, scil. pugnatorum, oblatorum, ministrorum, exploratorum, occisorum, genitorum, mansionum, praesidiorum. pag. 42.

O

Oratio Ieremiae in 8 partes ordinabiliter distinguitur. pag. 84-88.

P

Phocae imperatoris acta scribuntur. pag. 495-497.

Poëtici cantus in tria distinguuntur genera: scil. in carmina, quae sunt cantus dulcoris et laetitiae, in elega, quae sunt cantus moeroris et tristitiae, et in dramata, quae sunt cantus amoris et amicitiae. pag. 51.

Politica sive legislativa pars s. scripturae continetur in 5 libris Moysi. pag. 39-45.

— pars sive legislativa s. scripturae, si ad litteram intelligatur, habet ascensum arenosum. pag. 44.

Prophetarum aliqui sunt principales, aliqui minores secundum divinam electionem. pag. 116.

Prophetia respicit duo tempora, scil. tempus captivitatis et tempus gratiae. pag. 113.

Prophetiae de Christi adventu a prophetis coeperunt praedicari circa tempora, quibus Roma condita fuit, quia illud regnum Deus parabat, quod debebat Christum suscipere. pag. 113.

Prophetica sive declarativa pars s. scripturae continetur in libris 4 prophetarum maiorum et 12 minorum. pag. 114-115.

Proverbiorum liber tradit Ethicam modo paternali, i. e. patrem introducit docentem filium. pag. 92.

— liber continet partem monasticam et consultativam et instruit filium 4 modis. pag. 93-95.

Psalmi pertinent ad cantus laetitiae et dulcoris et dividuntur in Alleluia, in cantica, in intellectus, in psalmos, in titulos, et in orationes, et rationes omnium ponuntur. pag. 52-55.

Psalmus est expressio divinae laudis, aliquando in generali, aliquando pro casu speciali, aliquando pro persona speciali, aliquando pro diversis temporibus. pag. 54.

Purificationis festi beatae Virginis institutio. pag. 496.

R

Regnum Israel incurrit 12 infelicitates in captivitate Babylonica, quas Ieremias lamentatur secunda lamentatione. pag. 70.

Regulae decem diversae s. scripturae. pag. 24-27.

Romana Ecclesia figuratur per sedem positam in caelo, quae Deo et beato Petro protegentibus illam, nunquam cecidit nec cadet a fidei firmitate. pag. 459.

S

Sacra scriptura figuratur per tabernaculum Moysi et propitiatorium, ex quo Dominus loquebatur Moysi. pag. 2.

— est mons protectivus, incentivus, rorativus, fragrantivus et allectivus. pag. 3.

— teste Dionysio duplex alimentum proponit solidum et manens et humidum et profusum. pag. 7.

— assimilatur rori aquae, lacti, vino ac melli. pag. 8.

— monti assimilatur valde congrue. pag. 15-20.

— domui comparatur in pictura, in sculptura, in clausura et structura propter floridam exornationem, propter mysticam elocutionem, propheticam indagationem et propter providam coaptationem. pag. 20.

Sacra scriptura continet omnes colores rhetoricos. pag. 20-21.
— continet exornationes et floridationes sententiarum, quas Tullius ponit in rhetoricis. pag. 21-23.
— in 8 partes principales dividitur secundum 8 docendi modos, quos assumit. pag. 28.
Sacrae scripturae exempla praeterita sunt forma vitae sequentium. pag. 1.
— eloquiis Dominus respondet uniuscuiusque quaestionibus. pag. 1.
Sapientia in nobis oritur propter tria. pag. 98.
Sapientiae liber tradit Ethicam modo imperiali. pag. 95.
Sapientiae liber per omnia sua capitula distinguitur. pag. 96-101.
Saraceni habent duos Soldanos. pag. 528.
Saracenorum sectam describit Ioannes in Apocalypsi in 5. visione. pag. 529.
— praedicatores eis praedicant, sicut praedicatores christiani praedicant christianis. pag. 525.
Sigilla septem significant septem persecutiones Ecclesiae. pag. 462-474.
Soliloquium est sermo eiusdem ad se ipsum. pag. 87.

T

Templi destructio deploratur a Ieremia propter quatuor, quae erant circa templum. pag. 79-81.
— destructio non solum prima a Babyloniis, sed et secunda a Romanis facta a Ieremia deploratur. pag. 81.
Tempora sex Ecclesiae ponuntur quantum ad principium et finem. pag. 451-452.
— quinque circa Babylonicam captivitatem designantur. pag. 116-117.
Testimonialis et evangelica pars s. scripturae 4 libris evangeliorum continetur. pag. 191.
Threnorum liber continet cantum tristitiae et moeroris. pag. 58.
— liber continet 4 planctus et unam orationem Ieremiae. pag. 58.
— liber utitur omnibus locis provocantibus ad misericordiam et indignationem. pag. 60.
Tyrannorum et principum persecutio facta Ecclesiae in diversis partibus. pag. 479 et sq.

V

Vanitatum decem genera sunt despicienda. pag. 89-91.
Visio prima Apocalypsis extenditur a tempore primae fundationis Ecclesiae in gentibus et extenditur usque ad tempora Iuliani apostatae. pag. 458-473.
— secunda Apocalypsis extenditur a tempore Iuliani apostatae usque ad tempora Phocae imperatoris. pag. 474-494.
— tertia Apocalypsis describit tempora a Mauritio et Phoca usque ad Constantinum imperatorem, quem Irene mater eius excaecavit. pag. 495-512.
— quarta Apocalypsis describit tempora Caroli Magni, in quem per Ecclesiam imperium translatum fuit usque ad recuperationem terrae sanctae tempore Urbani papae secundi. pag. 514-526.
Visio quinta Apocalypsis describit tempora a recuperatione Hierusalem de manibus Saracenorum usque ad diem iudicii. pag. 527-549.
— sexta Apocalypsis describit statum universi post diem iudicii. pag. 550-553.

Explicit tabula brevissima super Compendium Petri Aureoli.

SUMMARIUM BREVE

OMNIUM LIBRORUM DIVINAE SCRIPTURAE CUM DECLARATIONE VOCABULORUM VEL NOMINUM IPSORUM LIBRORUM.

Bibliotheca interpretatur librorum repositio. Nam biblii sunt libri, theca repositio dicitur. Unde et librum veteris ac novi testamenti bibliothecam appellamus, eo quod multi libri in uno volumine sunt repositi.

Quorum I. liber Beresith hebraice dicitur, graece vere Genesis, latine autem generatio, eo quod initium generationis mundi contineat.

II. Dicitur Exodus graeco eloquio, latine exodus, eo quod seriem exitus filiorum Israel de terra Aegypti edisserat, hebraice Ellesmoth.

III. Leviticus dicitur, eo quod officia Levitarum et ordinem dilucidet, hebraice Naiethra.

IV. Liber Numeri dicitur, eo quod in ipso sunt numerati filii Israel, processuri ad bellum 20 annorum et supra, hebraice Vagedaber.

V. Liber appellatur graece Deuteromium, latine secunda lex, hebraice Eleaddaberim. Siquidem Deuteronomium secunda nomos, lex, sonat. Nam quidquid primis libris dictum est, in hoc reiteratur. Hos quinque libros edidit Moyses, qui graeco eloquio Pentateucus dicitur, i. e. quinquenale volumen, cum penta sit V, teucus volumen. Hi sunt 5 libri, quos Torath, i. e. legem dicunt Hebraei.

Hos sequitur liber Iosue.

Post hunc librum Sophyn i. e. Iudicum, qui continet accidentia iudicum, qui fuerunt a tempore Iosue usque ad regem Saul primum Iudaeorum.

Huic contigua est historia Ruth, quia in tempore Iudicum eiusdem feminae actio memoratur floruisse.

Post Ruth autem sequitur Samuel, quem primum et secundum Regum dicimus.

Post quem ponitur Malachim i. e. Regum tertius et quartus.

His quoque 4 libris Regum supponitur, cum easdem causas partim contineat, Paralipomenon liber, qui in duo volumina scinditur. Paralipomenon graece, latine praetermissorum vel reliquorum dicitur, quia ea, quae in praecedentibus libris aut minus aut obscure dicta sunt, in hoc summatim et apte aperiuntur.

His subiiciuntur 16 prophetae, 4 maiores, qui maiora volumina condiderunt, scil. Isaias, Ieremias, Daniel, Ezechiel. Et 12 minores, qui minora volumina condiderunt, scil. Osee, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias. Hunc Hebraei Esdram esse dicunt.

Sequitur deinde liber Iob, qui eiusdem viri continet acta.

Deinde ponitur liber Psalmorum, qui habet 150 psalmos, quos omnes licet et David vere composuit, quidam tamen eorum aliorum nominibus intitulantur per interpretationem nominum, ad quam sequentis psalmi pertinet sensus; et quamvis liber unus sit psalmorum, in quatuor tamen partibus ab Hebraeis dividitur, i. e. in fine quatuor psalmorum, quorum finis est: fiat, fiat.

His adduntur tres libri Salomonis, i. e. Proverbia, Ecclesiastes, i. e. concionator, Cantica canticorum.

Sequitur hos liber Sapientiae, qui ideo sic nominatur, quia de Filio Dei, qui sapientia Patris est, apte loquitur.

Huic supponitur Ecclesiasticus, ideo sic dictus, quia mores totius Ecclesiae continet. Hos duos, i. e. librum Sapientiae et Ecclesiasticum composuit Iesus, filius Syrach hierosolymita, ut Hieronymus et Isidorus dicunt. Sed librum Sapientiae composuisse Salomonem potest perpendi ex verbo, quod ibi dixit: « Tu, Domine, me elegisti regem super populum tuum ». Neque Iesus filius Syrach rex fuit.

Sequuntur deinde Esdras, Tobias, Iudith, Esther et libri Machabaeorum duo.

Deinde subiunguntur 4 libri Evangeliorum, quorum primum Matthaeus hebraico eloquio conscripsit. Reliquos tres Marcus, Lucas, Ioannes graeco stilo.

Post hos Actuum Apostolorum, quem librum Lucas confecit.

Exinde septem Epistolae canonicae, scil. Iacobi apostoli Hierosolymitani epistola una, Petri apostoli duae, S. Ioannis evangelistae tres, Iudae apostoli una.

His tandem subiicitur Apocalysis, i. e. revelatio S. Ioannis apostoli.

Post hanc 14 Epistolae Pauli: ad Romanos una, ad Corinthios duae, ad Galatas una, ad Ephesios una, ad Thessalonicenses duae, ad Timotheum duae, ad Titum una, ad Philemonem una, ad Hebraeos una.

ORATIO DEVOTISSIMA

AD VIRGINEM MARIAM.

Funda preces in caelis,
Maria, stella maris!

Remove cito peccata,
Unde vota sint grata
Omniumque prolata,
Maria, stella maris.

A Deo benedicta,
Ab angelo iam dicta,
In caelis descripta,
Maria, stella maris.

Tu tota es formosa,
In tota speciosa,
In tota gratiosa,
Maria, stella maris.

Tu es norma iustorum,
Tutela peccatorum,
Laetitia sanctorum
Maria, stella maris.

Eia glorificata
Et cum Christo locata,
Sis nostra advocata,
Maria, stella maris.

Ut a morbo pestilentiae
Et ab omni pravo scelere
Nos defendat semper et hodie
Maria, stella maris.

LAUS DEO OPTIMO MAXIMOQUE.

Cum permissione Ecclesiastica.

208.7
Au 645 AUREOLUS, PETRO, ORD. MIN. 26792

AUTHOR
Compendium Sensus Litteralis

TITLE
Scripturaa

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	STORAGE - CBPL
JUL 8 0 1991	Ockes SFTS Fac. 0018424
AUG 2 9 1991	RENEWED AUG 3 19

26792